COMMENTARIUM TEXTUS
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER III.
DE REBUS

PARTES

II. - De locis et temporibus sacris.
III. - De cultu divino.
IV. - De magisterio ecclesiastico.
V. - De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.
VI. - De bonis Ecclesiae temporalibus.

CUM DECLARATIONIBUS AUTHENTICIS USQUE AD DIEM 31 OCTOBRIS 1922 (A. A. S. XIV, FASC. 15)

AUCTORE

FR. ALBERTO BLAT O. P.

LECT. S. THEOL. AC IURIS CAN. DOCT.
ET CODICIS PROFESSORE IN PONTIFICIO COLLEGIO INTERNATIONALI
" ANGELICO "

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX
(IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH)

1923

NOMINI ET HONORI

ANDREAE FRÜHWIRTH

S. R. ECCL. PRESB. CARDINALIS

QUI

DUM PER DUODECIM ANNOS

CUM LAUDE ORDINEM PRAEDICATORUM REGERET

EIDEM APOSTOLICAM FACULTATEM IMPETRAVIT

ACADEMICOS IURIS CANONICI GRADUS CONFERENDI

VOLUMEN HOC

GRATI ANIMI ERGO OB SINGULAREM BENEVOLENTIAM

LIBENTISSIME DEDICAT

FR. ALBERTUS BLAT O. P.

BENEVOLO LECTORI

Dum hoc volumen iamdiu expectatum tibi offerre possum, placet mihi ad similitudinem praefationis in Commentarium Libri I, quod interiecto intervallo in lucem prodiit, aliquos tractatus peculiares indigitare, quos utiliter consulere valeas, ad harum partium Codicis canones penitius cognoscendos.

Praecipui Auctores commendatione digni, ad ius praecedens quod attinet, sunt sequentes. Emmus. Card. Gasparri, qui in Tractatu de Ssma. Eucharistia abunde ac erudite de ecclesiis et altaribus plurima docuit, quae etiam post publicatum Codicem vigore non sunt destituta. « De locis sacris » valde laudabilem tractatum elucubravit Rdmus. et eximius P. D. S. Many Presb. Sti. Sulpitii duobus abhinc mensibus vita functus, qui fuit S. R. R. Auditor. « De oratoriis domesticis et de usu altaris portatilis » classicum opus edidit Io. Bapt. Gattico Can. Reg. Lateranensis, sicuti « De beneficiis ecclesiasticis » singularem tractatum scripsit Nicolaus Garcias. In specie « Praxis iuris patronatus » inveniri potest elucidata per Iulianum Viviani.

His addas Commentatores const^{s}.[1] « Officiorum ac munerum » et Decretorum generalium « de prohibitione ac censura librorum », inter quos percurres magnô cum fructu Commentarium Card. Gennari et

[1] Leo XIII. 25 Ian. 1897.

alterum clar. Card. M. Lega in Vol. III pag. 422 seqq. sui Operis: « Praelectiones in Textum I. C. de iudiciis ecclesiasticis ». Denique pertractavit magna cum eruditione Card. De Luca de Iure patronatus necnon de contractibus circa bona ecclesiastica in eiusdem « Theatro iustitiae et veritatis ».

Desiderantur post Codicem speciales de his Codicis partibus tractatus, si unum vel alterum excipias, v. gr. « La sepultura ecclesiastica e jus funerandi » sacerdotis ac doct. Rossi Iosephi. Nihil opus est de adhibito methodo adiungere. Sequutus sum etenim illud in hoc Commentario usitatum, et scopum mihi praefixum pressius retinui.

Nolo huic colloquio finem dare, quin maximas publice referam gratias Emmo. Card. Bisleti Sacrae Congr. de Seminariis et Universitatibus Praefecto, qui epistolam dignatus est ad me dirigere, stimulos addens ad Commentarii prosecutionem. Eam hic subiicio, ut sic velut spontaneam mei laboris commendationem, qualis est, eam suscipere faveas. Hortationi vero tam praeclari purpurati Principis deferens prosequar, Deo iuvante, in aliorum librorum Codicis commentario perficiendo.

Interim vero, tibi benevole lector, fausta quaeque adprecans, desidero ut bene valeas.

Romae in Collegio Angelico, die 18 Octobris anni 1922.

fr. Albertus Blat, O. P.

SACRA CONGREGAZIONE
DEI SEMINARI
E DELLE UNIVERSITÀ

Roma, 22 Ottobre 1921.

Rev. fr. Alberto Blat

Vostra Riverenza si è degnata di farmi omaggio anche in quest' anno di un altro volume del suo commento del Codice di Diritto Canonico.

Alla congratulazione aggiungo, oltre la espressione di gratitudine per il dono fattomi, quella di riconoscenza per il servigio che rende alla S. Chiesa e alla nostra scuola di Diritto con sì apprezzata ed utilissima pubblicazione.

Il Signore conforti V. R. nell' intrapreso lavoro, onde si accresca altresì decoro all' inclito Ordine Domenicano.

Con venerazione mi confermo
di V. R.

devmo. per servirla
GAETANO Card. BISLETI.

Al Rev. Fr. ALBERTO BLAT, O. P.
Professore di Diritto Canonico
nel Pontificio Collegio Angelico.

CENSURA ECCLESIASTICA ET LICENTIAE

Nos infrascripti, iussu Revmi. P. fr. Ludovici Theissling Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, attente perlegimus opus manuscriptum, cui titulus: *Commentarium Textus Codicis Iuris Canonici. Liber III, De Rebus. Partes ceterae, praeter primam,* ab Adm. Rev. P. S. Theol. Lect. fr. Alberto Blat, O. P. Iuris Can. Doctore et in Pontificio Internationali Collegio « Angelico » Textus Canonici Professore concinnatum, et dignum iudicamus ut typis mandetur.

Romae, die 31 Decembris 1921.

Fr. SABINUS ALONSO O. P.
S. Theol. Lect.
et Iuris Can. Doct. ac Prof.

Fr. AUGUSTINUS-MARIA DARMANIN O. P.
S. Theol. Lect.
et Iuris Can. Doct. ac Prof.

Imprimi permittimus:

Romae, die 1ma Ianuarii 1922.

FR. LUD. THEISSLING, O. P., *Mag. Gen.*

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

IOSEPHUS PALICA, Arch. Philippen., Vicesger.

LIBER TERTIUS

DE REBUS

PARS SECUNDA

De locis et temporibus sacris

SECTIO I

De locis sacris.

CAN. 1154. - Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt.

CAN. 1155. - § 1. Consecratio alicuius loci, quanquam ad regulares pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, dummodo Ordinarius charactere episcopali sit insignitus, non tamen ad Vicarium Generalem sine speciali mandato, firmo iure S. R. E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli.

§ 2. Ordinarius territorii, licet charactere episcopali careat, potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio.

CAN. 1156. - Ius benedicendi locum sacrum, si hic pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

CAN. 1157. - Non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu.

CAN. 1158. - De peracta consecratione vel benedictione redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo servetur.

CAN. 1159. - § 1. Consecratio vel benedictio alicuius loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione maiorem.

§ 2. Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest; in dubio autem, peragatur ad cautelam.

CAN. 1160. - Loca sacra exempta sunt a iurisdictione auctoritatis civilis et in eis legitima Ecclesiae auctoritas iurisdictionem suam libere exercet.

Iuxta Libri tertii divisionem initio ipsius explicatam, venit commentanda primo *Pars secunda* quae continet tractationem *De locis et temporibus sacris,* quae sunt circumstantiae servandae, ut in prima

parte praescriptum est, pro sacramentorum administratione ac receptione; atque opportune in duas sectiones velut immediate pars haec divisa est.

1. **Inscriptio sectionis ac eiusdem praeliminares canones.** *Sectio I* fuit inscripta *De locis sacris,* quae sic vocantur, quia sunt destinata ut intra ea fiant, administrentur ac recipiantur sacra, seu etiam quia Deo sacrata sunt vel dedicata. Can. 1154 eadem iuridice describit, in qua notione inveniuntur verba consecratio benedictioque, ac propterea de competente ministro ad horum alterutrum sacramentalium praescribunt can. 1155, 1156, ac ceteri canones de utrisque simul sacramentalibus loquuntur, nempe: can. 1157 de aliis ministris, can. 1158 de illorum documento, de actus probatione can. 1158, et de sacrorum locorum exemptione, uti de iuridico sacramentalium effectu, agit ultimus can. 1160.

2. **Locorum sacrorum notio.** *Can. 1154. Loca sacra,* sive fundi, sive aedificia, sive altaria, *ea sunt quae* a) *divino cultui* b) *fideliumve sepulturae,* alterutri velut principali scopo *deputantur* a) *consecratione,* scilicet: sacramentali actione in qua adhibentur sacrae unctiones, b) *vel benedictione* simplici sed constitutiva *quam,* unam et alteram *probati* saltem tacite ab Ecclesia *liturgici libri,* qui nempe ritus et caeremonias divini cultus iubendo continent, atque *ad hoc* perficiendum *praescribunt,* nempe: ad consecrationem Pont.^e^ Rom.^m^, ad benedictionem tum Pont.^e^ Rom.^m^ tum Rit.^e^ Rom.^m^ pro loci diversitate.

3. **Minister consecrationis loci.** In cap. 1 « de religiosis domibus » (III, 36) Gregorius Victori Archiep. Neapolitano sic loquitur: « Nunc autem ad basilicam, quae dedicanda est, debet disquiri, cuius civitatis Episcopus, antequam fundaretur, baptizaverit incolas, et ad cuius consignationem sub annua devotione concurrerint », uno verbo: quisnam sit Ordinarius illius loci,... et prosequitur: « ille ad consecrationem vocetur, cui per hunc modum quem scripsimus constat, debere permitti ». — Hoc ius refert *can. 1155,* § 1. *Consecratio alicuius loci,* ut sacer fiat, et quae, ut ait S. Congr. Rit. in Lisbonen. [1]: « maxime consistit in inungendis sacro chrismate duodecim Crucibus per Ecclesiam (depictis aut insculptis) et in proferendis illis verbis: Sanctificetur et conse-

[1] 12 Apr. 1614, Coll. auth. n. 319.

cretur hoc Templum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, etc. », *quanquam ad regulares pertinentis*, ut canon implicite abroget concessionem const.[is] « Deum intra » Leonis X in Conc. Later. V [1], § 12: « Nec ab alieno Episcopo (nempe: alio quam dioecesano) consecrationem Ecclesiae vel altaris petere possunt, nisi ubi Ordinarius, bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus sine legitima causa id recusaverit », *spectat* iure *ad Ordinarium territorii* dioecesis, quasi-dioecesis, Abbatiae vel Praelaturae nullius, *in quo locus ipse* ut supra consecrandus *reperitur*, sed conditio ad consecrationis validitatem ex communi iure can.[s] 1147, § 1 est, *dummodo Ordinarius* declaratus antea *charactere episcopali* ex valide recepta consecratione episcopali *sit insignitus*, sed verbum « Ordinarius » magis restringendum esse exprimit canon subdens adversative: *non tamen* « spectat » dictum antea *ad Vicarium Generalem*, etsi Episcopus titularis fuerit, *sine speciali mandato*, quamvis hoc ei dari iure queat, *firmo iure S. R. E. Cardinalium*, etiam eorum « qui charactere episcopali careant » imo etsi ex ordine diaconorum sint, ad normam can. 239, § 1, n. 20°, *consecrandi ecclesiam*, non quamlibet « firmo praescripto can. 1157 », quia hoc ipsis adiudicatum manet in cit. can., sed « ecclesiam » *et altaria* uti loca, videlicet fixa *sui tituli*, sumendi etiam pro diaconia proprie dicta, eo quod illud ius nunc firmatum provenit ex iure veteri secundum illius declarationem Congr.[s] particularis [2] a Leone XIII approbatam: « Utrum in Ecclesiis tituli Cardinalitii ius consecrandi Altaria spectet Emmis Cardinalibus earundem Titularibus, vel potius Emmo Card.[i] Urbis Vicario? — Affirmative ad 1[m] partem, negative ad 2[m] ». Cum vero eadem ratio militet quoque pro Ecclesiae consecratione et aliis iuribus pontificalibus, nisi constet ea restringenda esse, inde consequitur ad Cardinales iura huiusmodi etiam nunc pertinere in eorum Titulis ac Diaconiis, nec ab aliis ea exerceri posse ibidem nisi de ipsorum licentia. — Circa clausulam « dummodo Ordinarius charactere episcopali sit insignitus », est adnotandum illam fuisse positam veluti rememorando necessitatem potestatis ordinis episcopalis, cui aequipollet character presbyteralis simul cum permissione consecrationes peragendi iure, uti constat pro Abbatibus vel *Praelatis nullius* ex can. 323, § 2.

[1] 19 Dec. 1516. — [2] 25-30 Ian. 1879.

Propter defectum tamen characteris episcopalis in quibusdam praedictorum Ordinariorum, fuit complendus canon per § 2. *Ordinarius territorii*, quilibet ex declaratis supra (imo S. R. E. Cardinales ob eorum ius erga « Ecclesias et altaria sui tituli » supra declaratum, quia tunc valet reg. iuris 68 in 6°. « Potest quis per alium quod per seipsum facere potest »), *licet charactere episcopali careat*, propter quod ille « consecrationes valide peragere non posset » ad normam can. 1147, § 1, et potiori ratione si eas peragere possit vel praedicto charactere non careat, attamen nequeat ex impedimento vel nolit « easdem peragere », *potest* iure ac vi huius §[1] *cuilibet eiusdem ritus Episcopo* (nam S. C. S. Officii ad quaesitum: « An Episcopus cophtus catholicus consecrare possit ss. lapides et ecclesias latinorum[1]? Resp. Non expedire »), non autem simplici presbytero, quamvis « iure id ei (sacerdoti, v. gr. Abbati vel Praelato nullius ad normam can. 323, § 2) permittatur » (can. 1147, § 1), *licentiam dare consecrationes* supple: locorum sacrorum *peragendi, in proprio* dantis licentiam *territorio,* « quanquam locus ad exemptos pertineat » (can. 1155, § 1) iuxta reg. 68 Iuris in 6°, paulo ante citatam, et aliam « 79. Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur » applicandam in casu Praelato loci exempti, quamvis eius consensum accedere oporteat in re non necessaria uti est loci consecratio.

Quaeres an Vicarius generalis comprehendatur in § 2 sub verbis « Ordinarius territorii » ad normam can. 198, § 2, vel indigeat quoque mandato speciali sicut praescribitur in § 1° huius canonis? — Resp. negative ad 1^m partem, affirmative ad 2^m iuxta reg. iuris in 6° « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur ».

4. **Minister legitimus benedictionis solemnis loci sacri.** Ritus essentialis huius solemnis benedictionis est « aspersio loci seu parietum Ecclesiae in parte superiore ac inferiore cum aqua benedicta simul prolatis precibus in Pontificali Ritualive Romano praescriptis »[2]. Quae benedictio cum sit actus ordinis presbyteralis ad normam can. 1147, § 3, ita reservatur in *can. 1156. Ius benedicendi locum sacrum*, quemcumque ex inferius considerandis, a) *si*

[1] 16 Iun. 1831. Collect. S. Congr. de P. F. n. 822. — [2] Ita communiter. Card. Gasparri: De SS.ma Eucharistia, n. 167. Many: De locis sacris, n. 17, 2°, *a*.

hic locus pertineat quoad proprietatem vel ecclesiasticum in eo exercendum ministerium *ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam* inter congregationes etiam iuris pontificii, *vel ad laicalem,* quamvis sit exemptus ordo, *spectat* prae omnibus sacerdotibus *ad Ordinarium territorii*, quemlibet ex comprehensis sub § 2, can. 198, *in quo locus* benedicendus *reperitur;* b) *si* « locus pertineat » *ad religionem clericalem exemptam*, quae Congregatio iuris pontificii sit vel Ordo, *ad Superiorem maiorem* eiusdem domus, cui adnexus est locus, « ius benedicendi eum spectat »; c) *uterque vero* « Ordinarius » (can. 198, § 1) *potest alium* sive cleri saecularis sive religiosi *sacerdotem*, « cui ad id potestas collata est » (can. 1146) in presbyterali ordinatione, *ad hoc* perficiendum *delegare*, utpote ad actum officio Ordinarii ex iure adnexum, quamvis actus sit potestatis ordinis, non iurisdictionis. Sic moderatum est « ius benedicendi », quod obtinuerant praelati regulares vi privilegii a Leone X concessi Ordini Minorum et aliis communis propter privilegiorum communicationem.

5. **De Ordinarii consensu necessario.** *Can. 1157. Non obstante quolibet privilegio,* etsi S. R. E. Cardinalium, prout cautum est in can. 239, § 1, n. 20, vel « cuilibet religioni directe concesso » (can. 613, § 1), attamen privilegium iam dici nequit, sed « ius benedicendi », quod competit Superioribus maioribus religionis clericalis exemptae ad normam can. praec., *nemo* sive privilegiarius, sive alius *potest* licite *locum sacrum* quemlibet a) *consecrare* Episcopus b) *vel benedicere* presbyter *sine Ordinarii* loci pro consecratione, ac eiusdem vel Superioris maioris pro loci benedicendi diversitate, *consensu*, qui, cum designet voluntatis actum, solum dari potest expresse vel tacite.

6. **Documentum consecrationis aut benedictionis loci sacri.** Quia plures canones locum sacrum requirunt pro certis cultus actibus, et secundum regulam iuris 51 in 6°: « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum », positi sunt opportune canones duo sequentes. *Can. 1158. De peracta consecratione vel benedictione*, alterutra valida, et non prius, quam peracta fuerit, *redigatur documentum* actum eiusve circumstantias referens, fidemque ob subscriptiones faciens, et quidem duplicatum, ait enim canon: *cuius alterum exemplar in Curia episcopali,* nempe: in « archivo dioecesano » ad normam can. 375, § 1, ut Ordinarius

cuius intersit ad manum habeat, *alterum* supple « exemplar » *in Ecclesiae* consecratae vel benedictae, cuius interest, *archivo servetur*.

7. **Probatio consecrationis aut benedictionis loci sacri.** *Can. 1159* supponit ac implicite continet eos, exponens duos iuris praec.[s] sequentes textus. Felix Papa omnibus orthodoxis inquit [1]: « De ecclesiarum consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas: nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum ». Et S. R. C. interrogata in Oppiden. [2]. « 1. Quomodo probatur Ecclesiam esse consecratam. R. ad 1. Consecrationem probari concludenter ex signis deductis, et signa probari per testes deponentes de visu ». — His congruit *can. 1159*. § 1. *Consecratio vel benedictio* definitae ad can. 1155, 1156 *alicuius loci* cuiuslibet sequentium, etiam altaris, cum exceptione: *modo nemini damnum fiat*, v. gr. eo quod ex illa dominium quis amitteret in eo, vel teneretur ad aliquod praestandum, tunc enim urget illud: « in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum », alias alterutra ex illis *satis probatur etiam per unum testem omni exceptione*, quae opponi potest testibus, *maiorem*, eo quod excludat eas.

Ex Nicaeno Concilio: « Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustae, aut sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutae fuerint; quia sicut infans a qualicumque sacerdote in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus, iterum consecrandus est, nisi propter eas causas, quas supra memoravimus (ad normam Codicis corrigendas); si tamen fidem sanctae Trinitatis tenuerint, qui eum consecraverunt ». Cum ergo illa imitatio sacramenti baptismi urgeat in quacumque loci consecratione, imo et benedictione, quae est constitutiva, recte atque congruenter iuri praec.[1] statuit § 2. *Si de ea* alterutra in §° 1° expressa *legitime* idest: ad normam sacrarum legum v. gr. can. 1158, 1159, § 1 *constet*, ex. causa per marmoream inscriptionem de illa, per cruces in pariete, *nec consecratio*, ut ait Concilium Nicaenum, *nec benedictio* loci sacri cuiuslibet *iterari* proprie *potest*, si accedat te-

[1] Cap. 16 D. I De Consecr. — [2] 19 Aug. 1634. Collect. S. Congr. de P. F. n. 78.

stimonium de sollemnitate quae comitavit eas. Tunc quidem, scilicet: dum prior valide fuerit collata, nec fuit amissa, *in dubio autem*, positivo exurgente ex oppositis probationibus, vel negativo propter earum defectum iuxta cit. cap. iuris praec.[8], peragatur ad cautelam, « quoniam non monstratur iteratum, quod nescitur factum ».

8. **Effectus iuris ex consecratione vel benedictione loci.** Alex. IV in cap. 1 « de immunitate Ecclesiarum, coemeteriorum,... » (III, 23) in 6° ait: « Quia nonnulli habentes temporale dominium, vel potestatis gerentes officium secularis, libertatem et immunitatem ecclesiasticam laedere ac minuere tanquam honoris et privilegii ecclesiarum invidi moliuntur: expedit quod per diligentiam et auctoritatem Sedis Aplcae. (quae curam habet Ecclesiarum omnium et tutelam), contra talium ausus et conamina opportunum remedium apponatur: ut Ecclesiae ipsae in plenitudine iuris sui et libertatis integritate laetentur, ac detestabilis malignorum audacia, et insolentium nefaria temeritas populsetur ». Praefata « diligentia et auctoritas Sedis Aplcae. », quantum fuit possibile nunc temporis, non defuit, edicente *can. 1160. Loca sacra* propter benedictionem vel consecrationem *exempta sunt* in omnibus, quae *a iurisdictione auctoritatis civilis* promanant, utpote in societatem perfectam religiosam translata, *et hinc in eis legitima* secundum canones ac legem divinam distributa in Praelatos *Ecclesiae auctoritas iurisdictionem suam* nempe: illi a Iesu Christo collatam, quae administrationem implicat perfectae societatis, *libere* a quacumque iniunctione vel intromissione « auctoritatis civilis » *exercet* etiam de facto, quantum ab ea pendet.

TITULUS IX.

De ecclesiis.

Can. 1161. - Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum.

Can. 1162. - § 1. Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato, quem tamen Vicarius Generalis praestare nequit sine mandato speciali.

§ 2. Ordinarius consensum ne praebeat, nisi prudenter praeviderit necessaria non defutura ad novae ecclesiae aedificationem et conservationem, ad ministrorum sustentationem aliasque cultus impensas.

§ 3. Ne nova ecclesia ceteris iam exsistentibus detrimentum afferat, maiore fidelium spirituali utilitate non compensatum, Ordinarius, antequam

Titulus IX. De ecclesiis —

- notio — Can. 1161
- aedificandis —
  - cuius consensu et quibus sub conditionibus » 1162
  - quoad primarium lapidem » 1163
  - circa materialem dispositionem » 1164
- dedicandis —
  - necessitas iuridica et conditiones » 1165
  - per consecrationem —
    - quibus diebus et a quo faciendam » 1166
    - quotannis celebrandam » 1167
    - quoad earum titulum » 1168
  - quoad earum companas » 1169
  - et quousque tales perdurant » 1170
  - circa liturgicos effectus » 1171
- violatis —
  - per quos actus » 1172
  - cum quibus effectibus circa liturgiam » 1173
  - reconciliandis —
    - quo modo —
      - et quando » 1174
      - si violata ob sepulturam excommunicati » 1175
    - per quem ministrum » 1176
    - quanam cum aqua » 1177
- quoad immunitatem —
  - ab actibus profanis » 1178
  - ob ius asyli » 1179
- decorandis basilicae titulo » 1180
- quoad gratuitum fidelium in eas ingressum » 1181
- administrandis —
  - quoad bona et oblationes » 1182
  - per consilium fabricae —
    - a quibus efformandum » 1183
    - non ingerendum —
      - in quasdam res » 1184
      - circa quasdam personas » 1185
- reparandis » 1186
- redigendis in usum profanum » 1187

consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit, firmo praescripto can. 1676.

§ 4. Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent.

Can. 1163. - Benedicere et imponere primarium ecclesiae lapidem, ad eos spectat, de quibus in can. 1156.

Can. 1164. - § 1. Curent Ordinarii, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges.

§ 2 In ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus; locaque, si adsint, subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur.

Can. 1165. - § 1. Divina officia celebrari in nova ecclesia nequeunt, antequam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata.

§ 2. Si prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos, Ordinarius consensum eius aedificationi ne praebeat, aut saltem, si forte aedificata fuerit, eam ne consecret neve benedicat.

§ 3. Sollemni consecratione dedicentur ecclesiae cathedrales et, quantum fieri potest, ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales.

§ 4. Ecclesia ex ligno vel ferro aliove metallo benedici potest, non autem consecrari.

§ 5. Altare consecrari potest etiam sine ecclesiae consecratione; sed una simul cum ecclesia debet saltem altare maius consecrari aut altare secundarium, si maius sit iam consecratum.

Can. 1166. - § 1. Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus dominicis aliisve festis de praecepto peragitur.

§ 2. Episcopus consecrans et qui petunt ecclesiam sibi consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, ieiunent.

§ 3. Cum consecratur ecclesia vel altare, Episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si S. R. E. Cardinalis.

Can. 1167. - Festum consecrationis ecclesiae quotannis celebretur ad normam legum liturgicarum.

Can. 1168. - § 1. Unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta suum habeat titulum; qui, peracta ecclesiae dedicatione, mutari nequit.

§ 2. Etiam festum tituli quotannis celebretur ad normas legum liturgicarum.

§ 3. Ecclesiae dedicari Beatis nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto.

Can. 1169. - § 1. Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit, quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur.

§ 2. Etiam ecclesiarum campanae debent consecrari vel benedici secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos.

§ 3. Earum usus unice subest ecclesiasticae auctoritati.

§ 4. Salvis conditionibus, probante Ordinario, appositis ab illis qui campanam ecclesiae forte dederint, campana benedicta ad usus mere profanos adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine.

§ 5. Quod ad campanarum consecrationem vel benedictionem attinet, servetur praescriptum can. 1155, 1156.

Can. 1170. - § 1. Consecrationem vel benedictionem ecclesia non amittit, nisi tota destructa fuerit, vel maior parietum pars corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit, ad normam can. 1187.

Can. 1171. - In sacra aede legitime dedicata omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum, potest, iusta de causa, praefinire, dummodo ne agatur de ecclesia quae ad religionem exemptam pertineat, firmo praescripto can. 609, § 3.

CAN. 1172. - § 1. Ecclesia violatur infra recensitis tantum actibus, dummodo certi sint, notorii, et in ipsa ecclesia positi :

1.° Delicto homicidii;

2.° Iniuriosa et gravi sanguinis effusione ;

3.° Impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit ;

4.° Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

§ 2. Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa.

CAN. 1173. - § 1. In violata ecclesia, antequam reconcilietur, nefas est divina celebrare officia, Sacramenta ministrare, mortuos sepelire.

§ 2. Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur; secus sacerdos Missam prosequatur usque ad communionem.

CAN. 1174. - § 1. Ecclesia violata reconcilietur, quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos.

§ 2. Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam.

CAN. 1175. Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri possit.

CAN. 1176. - § 1. Ecclesiam benedictam reconciliare potest rector eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris.

§ 2. Ecclesiae consecratae valida reconciliatio ad eos spectat de quibus in can. 1156.

§ 3 In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario.

CAN. 1177. Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali communi ; reconciliatio vero ecclesiae consecratae fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas; quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt.

CAN. 1178. - Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet; ab iisdem arceantur negotiationes et nundinae, quanquam ad finem pium habitae; et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit.

CAN. 1179. - Ecclesia iure asyli gaudet ita ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae.

CAN. 1180. - Nulla ecclesia potest basilicae titulo decorari, nisi ex apostolica concessione aut immemorabili consuetudine; cuiusque vero privilegia ex alterutro capite colligantur.

CAN. 1181. - Ingressus in ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine.

CAN. 1182. - § 1. Firmo praescripto can. 1519-1528, administratio bonorum quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo, pertinet, nisi aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constet, ad Episcopum cum Capitulo, si de ecclesia cathedrali agatur; ad Capitulum ecclesiae collegiatae, si de collegiata; ad rectorem, si de alia ecclesia.

§ 2. Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis, aut ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines, administrat parochus vel missionarius, nisi agatur de ecclesia propriam administrationem habente, distinctam ab administratione paroeciae vel missionis, aut nisi aliud ferat ius peculiare aut legitima consuetudo.

§ 3. Parochus, missionarius, rector saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit sive religiosus, debet huiusmodi oblationes administrare ad normam sacrorum canonum, deque eis rationem loci Ordinario reddere ad normam can. 1525.

CAN. 1183. - § 1. Si alii quoque, sive clerici sive laici, in administrationem bonorum alicuius ecclesiae cooptentur, iidem omnes una cum administratore ecclesiastico, de quo in can. 1182, aut eius vicem gerente eoque praeside, constituunt Consilium fabricae ecclesiae.

§ 2. Huius Consilii sodales, nisi aliter legitime constitutum fuerit, nomi-

nantur ab Ordinario eiusve delegato et ab eodem possunt ob gravem causam removeri.

CAN. 1184. - Consilium fabricae curare debet rectam bonorum ecclesiae administrationem, servato praescripto can. 1522, 1523; sed nullatenus sese ingerat in ea omnia quae ad spirituale munus pertinent, praesertim:

1.° In exercitium cultus in ecclesia;

2.° In modum et tempus pulsandi campanas et in curam tuendi ordinis in ecclesia atque in coemeterio;

3.° In definiendam rationem qua collectae, denuntiationes aliique actus ad divinum cultum ornatumque ecclesiae quoquo modo spectantes in ecclesia fieri possint;

4.° In dispositionem materialem altarium, mensae pro distributione sanctissimae Eucharistiae, cathedrae sive suggestus e quo ad populum verba fiunt, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis, aliarumque rerum quae ad exercitium religiosi cultus spectent;

5.° In admissionem vel reiectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinentur;

6.° In scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum quae ad archivum paroeciale pertineant.

CAN. 1185. - Sacrista, cantores, organorum moderator, pueri chorales, campanae pulsator, sepulcrorum fossores, ceterique inservientes a solo ecclesiae rectore, salvis legitimis consuetudinibus et conventionibus et Ordinarii auctoritate, nominantur, pendent, dimittuntur.

CAN. 1186. - Salvis peculiaribus legitimisque consuetudinibus et conventionibus, et firma obligatione quae ad aliquem spectet etiam ex constituto legis civilis:

1.° Onus reficiendi ecclesiam cathedralem incumbit ordine qui sequitur:

Bonis fabricae, salva ea parte quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem;

Episcopo et canonicis pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem;

Dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione inducat ad sumptus necessarios, pro eorum viribus, praestandos;

2.° Onus reficiendi ecclesiam paroecialem incumbit ordine qui sequitur:

Bonis fabricae ecclesiae, ut supra;

Patrono;

Iis qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes percipiunt secundum taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam;

Paroecianis, quos tamen Ordinarius loci, ut supra, magis hortetur quam cogat;

3.° Haec cum debita proportione serventur etiam quod attinet ad alias ecclesias.

CAN. 1187. — Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi possit et omnes aditus interclusi sint ad eam reficiendam, in usum profanum non sordidum ab Ordinario loci redigi potest, et onera cum reditibus titulusque paroeciae, si ecclesia sit paroecialis, in aliam ecclesiam ab eodem Ordinario transferantur.

9. **Distributio Sectionis in titulos.** Cum « loca sacra *a*) divino cultui *b*) fideliumve sepulturae deputentur », principaliter alterutro scopo, hinc exurgit titulorum distinctio, si consideremus quoque illum divinum cultum intra aedificia sacra peragi, ac praecipuum actum divini cultus super aliquem locum altare vocatum celebrari; sacrae autem aedes non eodem iure reguntur sicut infra patebit; et consequenter quatuor sunt Tituli huius Sectionis, nempe: Titulus IX De ecclesiis, Titulus X De oratoriis, Titulus XI De altaribus ac denique Titulus XII qui non inscribitur de coemeteriis,

sed de sepultura ecclesiastica, quae cum sit eorum finis, ampliorem habet significationem, praeter eadem loca sacra complectens alia multa cum iis connexa.

10. **Inscriptio Tituli et canonum coordinatio.** Considerationi obvenit *Titulus IX* inscriptus *De ecclesiis,* quod verbum etymologice designans convocationem, duplicem in Codice significationem iam prius usitatam obtinuit, quam expressit Nicolaus Papa [1] dicens: « Ecclesia, id est, catholicorum collectio, quomodo sine Apostolicae Sedis instituetur nutu; quando iuxta sacra decreta, nec ipsa debet absque praeceptione basilica noviter construi, quae ipsam catholicorum intra semet amplecti catervam dinoscitur? ». Atque hic posterior sensus est proprius inscriptionis huius Tituli. Sub quo postquam can. 1161 dat definitionem Ecclesiae, ita ordinantur ceteri, ut prius de materiali eius aedificatione can. 1162-1164 tractent, postea can. 1165-1168 de ipsius dedicatione, ac subnexo can. 1169 de campanis etiam consecrandis aut benedicendis, veluti de accessoriis ipsius ecclesiae, completur tractatio de ipsa dedicationis perduratione ac liturgicis effectibus per can. 1170, 1171. — Post haec, de violatione ecclesiae loquuntur can. 1172, 1173, ac de ipsius reconciliatione can. 1174-1177, quae legislatio refert capita Decretalium sub Titulo « de consecratione ecclesiae vel altaris », sicut aliam rubricam « de immunitate ecclesiarum » respiciunt can. 1178, 1179, quibus duo alii sequuntur can. 1180, 1181 de basilicae titulo ac ingressu gratuito in ecclesias; prout de more Codicis ultimo ponuntur canones circa iura tum honorifica tum ad temporalia ordinata. Quapropter veniunt statim can. 1182-1185 de temporali administratione ecclesiarum, rerum ad eas pertinentium ac personarum inservientium, ac demum illarum ac istarum reparationem moderatur can. 1186, sic initium ac finem Tituli servans rubrica Decretalium « de ecclesiis aedificandis ac reparandis », postremus autem can. 1187 loquitur de Ecclesiarum termino propter adhibitionem ad usum profanum.

11. **Ecclesiae notio.** *Can. 1161. Ecclesiae nomine*, sicut in usu ita et in Codice praesertim hoc sub Titulo, *intelligitur* materialiter *aedes* ac formaliter *sacra,* quae « deputatur consecratione vel benedictione » praevia (can. 1154) non primario fidelium se-

[1] Cap. 8, Dist. 1, De consecr.

pulturae, sed *divino cultui dedicata*, quibus verbis designatur uterque deputandi modus, *eum potissimum in finem* destinata, quo ab oratoriis etiam publicis iure distinguitur, *ut omnibus Christifidelibus usui sit*, seu « ut publico fidelium usui libere deserviat » ex Dec.° Gen.[1] S. Congr. Rit. [1], qui usus determinatur iuxta finem loci sacri *ad divinum cultum publice* ceu patentem omnibus *exercendum*. Iuxta diversas definitionis partes progressum canonum inveniemus.

12. **Conditiones canonicae aedificandis ecclesiis.** Rit. Rom. sic exorditur ritum benedicendi et imponendi primarium lapidem pro Ecclesia aedificanda: « Ecclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, iuxta ss. canonum decreta, aedificari fas est ». Idipsum confirmat *can. 1162*, § 1. *Nulla ecclesia* quocumque decoretur titulo vel adiectivo, et a qualibet persona physica vel morali suis expensis *aedificetur* ut sit talis propter materialem dispositionem, *sine* a) *expresso* b) *Ordinarii loci* intra quem fundus inveniatur *consensu* c) *scriptis dato* praevie; sed (can. 198, § 1) « expresse excipitur » quidam Ordinarius, scilicet: *quem tamen* supple « consensum » *Vicarius generalis* praedicti loci *praestare nequit sine mandato speciali*, quod ei dari potest. Et haec est prima conditio.

Pont.° Rom. similem Ecclesiae benedictionem sequenti rubrica incipit: « Nemo ecclesiam aedificet priusquam Pontificis iudicio locus et atrium designentur » quod implicat consensum Episcopi expressum, « et quid ad luminaria, quid ad rectoris ministrorumque stipendia sufficiet, quidque ad ecclesiae dotem pertineat, definiatur »: atque hinc secunda conditio ab Episcopo determinanda est ecclesiae dos adiudicanda; tertia denique conditio additur: « et per eum, vel eius auctoritate per sacerdotem crux in loco figatur, et lapis primarius in fundamento ponatur ». Quod ultimum implicite praescribitur in seq.[1] can.°. Secundam conditionem ita exprimit § 2. *Ordinarius* loci, designatus in §° 1° *consensum* ibi declaratum *ne praebeat, nisi prudenter* ex circumstantiarum ponderatione *praeviderit* propter humanam cautionem *necessaria non defutura*, etsi actu nondum habeantur in triplicem finem; videlicet *ad novae ecclesiae* a) *aedificationem et conservationem*, ut haec decet divinae domui, b) *ad ministrorum sustentationem*, qui cultum divinum in ea per-

[1] 5 Iun. 1899, n. III, Collect. auth. n. 4025.

agant, nam « qui altari deservit, de altari vivere debet », c) *aliasque cultus impensas.*

Demum « quia nulla Ecclesia in praeiudicium est alterius construenda », ut Innoc. III ait in cap. « Intelleximus » 1 « de novi operis nunciatione » (V, 32), subiungitur § 3. *Ne nova Ecclesia ceteris iam exsistentibus detrimentum afferat*, sive in cultu divino ibidem exercendo, sive in temporali emolumento eidem necessario, addita aequitatis regula: *maiore fidelium spirituali utilitate,* ad quam ecclesiae praecipue ordinantur, *non compensatum, Ordinarius* loci de quo in 1° §° *antequam consensum* aedificationi necessarium *praebeat, audire debet* (can. 105, 1°) ad illam conditionem dignoscendam *vicinarum ecclesiarum rectores*, non solum ad normam can. 479, § 1, sed earum curam et directionem habentes, *quorum intersit* ob detrimentum forsan obventurum, *firmo praescripto can. 1176* de actione ex novi operis nunciatione.

Alex. IV ait [1]: « Auctoritate Sedis Aplcae.... statuimus quod oratoria vel cappellas in locis non exemptis sine dioecesanorum locorum licentia, exempti construere non praesumant, neque in sic constructis... celebrent, vel faciant celebrari divina ». Unde obstat Ecclesia quantum potest. « Quod si talia praesumpserint, ab his per locorum ipsorum Ordinarios compescantur ». Et en casus in quo exempti Ordinariis subiiciebantur. ... « Inhibemus insuper, ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant: nisi super his licentiam, vel privilegium habeant Sedis Aplcae. speciale ». — Hoc caput sic rationabiliter temperatum est in § 4. *Etiam sodales religiosi*, « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488. 7°), etiam « exempti » quia hoc praescriptum « congruit cum iure veteri » (can. 6, 2°, 3°); attamen religionis non clericalis « sodales » huic praescripto stare debent absolute, quia vero « constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum » (can. 497. § 2), sequitur pro his sequens praescriptum esse stricte intelligendum, nempe: *licet consensum constituendae novae domus* necessarium ex can. 497, § 1, non iam in loco determinato, sed *in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen* in casu consensus huiusmodi *ecclesiam vel oratorium pu-*

[1] Cap. 4 de privilegiis, tit. 7, Lib. V, in 6°.

blicum definiendum in can. 1188, § 2, 1° *in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam* idest: consensum de quo in §° 1° *obtinere debent.* Scilicet canon iste respicit quoscumque religiosos, nisi sint tum religionis clericalis, qui iam obtinuerint ab Ordinario loci permissionem constituendae novae domus in loco determinato, tum cuiuslibet religionis, quae gaudeat contrario « privilegio directe sibi concesso » (can. 613, § 1), quod hic « non revocatur expresse » (can. 4).

13. **Benedictio primarii lapidis.** Per Ecclesiam significatur congregatio fidelium, secundum illud [1]: « Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi ». Propterea, sicut haec fidelium congregatio, et unusquisque fidelis, de quibus scriptum est: « templum Dei estis vos », sumit initium gratiâ Dei ac fide, quae donum Dei est, ita per eius ministros ponendum est fundamentum materialis domus Dei, uti praescribitur *can.^e 1163. Benedicere et imponere primarium Ecclesiae lapidem* (sic dictum quatenus speciali forma inter fundamenta iacitur in ordine ad Ecclesiam singularem sub hac vel illa denominatione tunc designata appellandam), cum illud sit sacramentale ordinis presbyteralis, *ad eos spectat,* quorum est « ius benedicendi locum sacrum » sive per se sive per « alium sacerdotem », nam ex reg. iuris 72 in 6°. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum », *de quibus in can. 1156* iam commentato. In Pont. Rom. habetur ritus quo uti debet Episcopus in benedictione huius primarii lapidis. In Rit. vero Rom. loco supra citato legitur: « Si vero Sacerdos eius aedificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, eiusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit ». In quadam oratione utriusque ritus, habetur rubrica: « nominando Sanctum vel Sanctam, in cuius honorem ac nomen fundabitur Ecclesia ».

14. **De ipsa aedificatione et reparatione.** *Can. 1164.* § 1. *Curent Ordinarii,* idest: iurisdictionem ecclesiasticam in locum illum forsan exemptum habentes, unde ad normam can. 198, § 1 etiam « Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis », *audito etiam,* quod servare debent *si opus fuerit* eis ad scopum sequentem, *peritorum consilio,* et quo praetermisso tantum peccarent inobedientia, quia actus nullitas non intelligitur, utpote de rei

[1] I Timoth, III, 15.

materialis subsequente opera, *ut in ecclesiarum aedificatione* primo, *vel refectione* per conservationem vel reformationem *serventur*, quae implicite quamvis non severe iubentur, a) *formae* seu distributiones materiales *a traditione christiana receptae*, v. gr. forma crucis latinae aut grecae, forma unius vel trium navium, absis presbyterii, chori locus, etc. b) *et artis sacrae leges* quoad stylum, ornatum, etc. c) atque « liturgicae leges quae vim suam retinent » (can. 2) v. gr. seq.ᵉ gen. Dec.ᵐ [1]: « Imagines virorum ac mulierum qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis, aliisve sanctitatis signis, posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium prae se ferant, neque quidquam profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni »

§ 2. Ex iure praec. est primo recolendum quod supponitur in Normis peculiaribus [2], ubi dicitur: « Eius (scilicet: S. Congr. Concilii) itaque dumtaxat erit in posterum concedere... f) facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi, costruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus fiat ». — His congruit praescriptum: *In ecclesia*, sive dum aedificatur sive iam aedificata, a) *nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus* forsitan adnexas magis vel minus, equidem pro ipsorum commoditate, et hoc est primum vetitum quoad constructionem, aliudque adiungitur connexum propter usum, nempe: b) *locaque, si adsint* usui apta, a) *subter ecclesiae pavimentum* ad modum cryptae, ac etiamsi ad ea pateat aditus extra illam, *b*) *aut supra ecclesiam*, huiusmodi « loca » *ad usum mere profanum ne adhibeantur*. Qui usus designantur in seq.ᵃ Dec.ᵃ iuris praec.ᵃ Codici congruentis. Dec.⁰ S. Congr. Rit. [3] responsum fuit « ad V. Negative »; nempe: « V. Licetne partem adhibere, quae iacet subter pavimentum ecclesiae praesertim consecratae, ut Cellarium et aliud huiusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad praedicta loca sit extra corpus sacri aedificii? » Atque in Caiacen. [4] ad supplicationem declarationis: « an liceat clericis semi-

[1] 14 Aug. 1891. — [2] Ordo servandus... Cap. VII art. IV n.⁰ 4.⁰, CO. I,94. — [3] Mechlinien. 11 Maii 1641, n. 3157. — [4] 11 Maii 1641 n. 756.

narii habitare diu noctuque, et etiam dormire in domibus aedificatis super cappellis dexterae navis Ecclesiae cathedralis, in quibus quotidie celebratur. Et S. R. C. respondit: Non licere, sed omnino prohibendum ».

15. **Diversa Ecclesiae dedicatio.** S. Rit. Congr. ait in Oranen.[1] « si Ecclesiarum benedictio fuit omissa, benedicantur quam primum; quum Ecclesia ut ad divinum cultum dedicetur, saltem debet benedici ». Hoc sic exprimit *can. 1165. § 1. Divina officia*, quorum nomine etiam hoc in canone per analogiam can. 2256, 1° rite « intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt », *celebrari in nova Ecclesia*, idest: recenter constructa *nequeunt* iure, *antequam eadem* a) *vel solemni consecratione* b) *vel saltem benedictione* descriptis ad can. 1154 *divino cultui fuerit dedicata.* — Atque Dec. generali « S. Congr.° Rit.[2] declarat: II. Ecclesias omnes esse ab Episcopo, nisi consecratae eae fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam oratoria publica, sub formula in Rit. Rom. praescripta », nempe sub Tit. VIII c. 27 ubi has rubricas continet: « Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus », ac in fine huius ritus expresse traditur: « 13. Ecclesia vero quamvis a simplici sacerdote... sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est ». Sed limitationes quoad consecrandas ecclesias nobis dat Dec.m eiusdem S. Cong.s in Taurinen.[3]: circa « nonnulla quaesita quoad subterranea loca Ecclesiarum brevi consecrandarum) ubi spectacula, theatri more, ad iuventutem praesertim honeste exercendam peragenda essent. Rursus... num licite consecrari possit Ecclesia, quae pertinens ad laicam familiam per vigentes civiles leges potest haereditaria ratione transmitti aut vendi, aut in usum profanum converti? — S. vero Rit. Congr.... censuit respondendum: Ad I. Non licere, utpote quod Ecclesia cum sua parte subterranea consecratur, per modum unius. Ad II. In casu, de quo agitur, nisi habeantur sufficientes cautiones, abstinendum ab huiusmodi Ecclesiae consecratione ».

Ultima declaratio interpretatur §m 2. *Si prudenter praevideatur* iuxta illam vel ex alio motivo praesentium circumstantiarum *ecclesiam conversum iri* de facto *ad usus profanos* contra ipsius de-

[1] 2 Sept. 1871, ad II, 3; n. 3255. — [2] 5 Iun. 1899, n. 4025. — [3] 4 Maii 1882, n. 3546.

dicationem, *Ordinarius* a' *consensum*, ille atque hunc ad normam can. 1162 § 1, *eius* ecclesiae *aedificationi ne praebeat*, b) *aut saltem*, sub conditione: *si forte aedificata fuerit* vel cum praec.[s] vetiti transgressione, vel quia illae conditiones nunc primo innotuerunt, *eam ne consecret* sicut in cit. declaratione, imo *neve benedicat*. Disiunctiva locutio §[i] non est ad Ordinarii liberam electionem referenda sed pendet ab extrinseca, scilicet ab ecclesiae diversitate, ut statim patebit.

S. Rit. Congregatio in Cuneen. decreverat moderando in praxi rubricam supra cit.[m] Rit. Rom.[1]: « Incumbere debent Episcopi ut Ecclesiae saltem cathedrales et parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores ecclesias, si nolint uti iure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant Sacerdotibus eas benedicendi ». Hoc ius retinent Ordinarii locorum ad normam can. 1155 § 1, quoad officium vero sic ea « liturgica lex expresse corrigitur » (can. 2) sub § *3. Sollemni* ob caeremonias *consecratione dedicentur* cultui divino *ecclesiae cathedrales* ex praecepto, etiam multo prius constructae ac benedictae, *et*, *quantum fieri potest*, quod fere in desiderium vel consilium recidit, *ecclesiae* a) *collegiatae* idest: capitulares collegiales sic dictae propter « capitulum collegiale clericorum » ibi inservientium, b) *conventuales* propter familiam domus religiosae adnexae, vel clericorum in communi viventium more religiosorum, c) *paroeciales* ob curam animarum. Circa ceteras ecclesias nulla, nec levis est obligatio.

Consecrationis huius tribuendae limitatio ratione materialium Ecclesiae statuitur in § *4. Ecclesia* a) *ex ligno* quoad parietes b) *vel ferro* c) *aliove metallo*, non ex petra, lateribus etc. in praecipuis eius partibus, *benedici potest*, benedictione Ecclesiae, *non autem consecrari* proprie. Huc referri iuvat rescriptum S. Congr. Rit. in una Portus Principis[2]: « An ecclesia constructa vel construenda ex materia quae caementum armatum nuncupatur, consecrari valeat, adhibita forma ac ritu Pont.[s] Rom.[i]? S. Rit. Congr.... respondendum censuit: Affirmative dummodo 12 crucium loca, et postes ianuae principalis, sint ex lapide ». Quae conditio non sufficeret in ecclesia constructa ex vetita per canonem materia.

Demum ex caeremoniis requisitis in ecclesiae consecratione, illam

[1] 7 Aug. 1875, ad I, n. 3364. — [2] 12 Nov. 1909; CO. I, 797.

praesertim memorari oportuit, quae consistit in altaris consecratione. Unde sequitur §. 5. *Altare,* sumptum pro loco fixo super quem Missa celebratur, *consecrari* (prout oportet iuxta dicenda in Tit. XI) *potest etiam sine ecclesiae* ubi sit positum *consecratione* proprie sumpta; *sed* e contrario *una simul cum ecclesia* in huius consecratione *debet saltem* a) *altare maius* seu praecipuum illius ecclesiae dummodo fixum, quia possunt plura quoque *consecrari,* b) *aut altare secundarium* sed fixum, hac tantum conditione: *si maius sit iam consecratum.* Hoc praescriptum explicatur ex Dec.º S. Congr. Rit. [1]: « An ecclesia, in cuius consecratione omissa fuit consecratio altaris, habenda sit valide consecrata? — Ad I affirmative, nempe valide; sed non licite, nisi habeatur apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo rituum Pontificalis Rom., ut integritas consecrationis perficiatur ». Hucusque de necessitate iuridica consecrationis Ecclesiae.

16. **Servanda in Ecclesiae consecratione**. De consecrationis tempore Innoc. III ait Tornacen. Episcopo [2]: « Tua fraternitas: et infra — Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod in dioecesi tua, licet tibi ecclesiis dedicationem (quae consecrationem praecipue, at benedictionem quoque significat) impendere, tam diebus Dominicis quam privatis ». — Quod sic exprimit *can.*ˢ *1166 § 1. Ecclesiarum consecratio,* et potiori ratione benedictio, *quamvis quolibet die fieri possit* iure, *decentius tamen,* quod levem obligationem implicat a qua ratio quaelibet excusat, *diebus dominicis aliisve festis de praecepto* ad normam can. 1247 § 1 *peragitur.*

Praeparatur proxime consecratio Ecclesiae per ieiunium in vigilia. Ita in Pont. Rom. tit. « de ecclesiae dedicatione seu consecratione » fere iisdem verbis ac § 2. Sic ibidem: « Nam pontifex » seu *Episcopus « consecrans, et qui petunt Ecclesiam sibi consecrari,* praecedenti die ieiunare debent », seu ut ait canon: *per eum diem qui consecrationem praecedit, ieiunent.* Vigent ergo declarationes iuris praec.ˢ. Nempe: Mechlinen [3]. ad I dub. « an ieiunium in Pont.ⁱ Rom.º praescriptum iis, a quibus consecratur ecclesia, sit strictae obligationis, vel potius tantum de consilio; S. C. R. respondit: « Ieiunium in Pont.ⁱ Rom.º praescriptum esse strictae obligationis pro

[1] 19 Maii 1896, ad I; n. 3907. — [2] Cap. 2 De consecratione Eccelsiae vel altaris tit. 40 Lib. III. — [3] 29 Iul. 1780, n. 2519.

Episcopo consecrante. et pro iis tantum, qui petunt sibi ecclesiam consecrari ». Consultum est ut legatur votum in causa Buscoducen. [1] ubi ad Dub. II respondit S. Congr. Conc.: « Parochus, sive iam sit sive nondum constitutus in officio, dummodo designatus, qui consecrationem saltem implicite petat » obstringitur ad observandum ieiunium praedictum.

Item: iuxta Pont. Rom, in tit. cit. « Celebrandae sunt vigiliae ante reliquias ipsas, (videlicet. in vasculo sigillato positas ab Episcopo), et canendi nocturni et matutinae laudes in honorem sanctorum quorum reliquiae sunt recondendae » in altari consecrando, ut infra dicetur. De hac praescriptione quaeritur: Nocturni et laudes in casu sumendine sunt e novo Psalterio Brev. Rom. per dies hebdomadae disposito; an e Communi plurimorum Martyrum, et quo ritu canendi? Et S. Rit. Congr. [2] respondendum censuit. « In casu vigiliae persolvantur cum Matutino trium Nocturnorum et Laudibus de Communi plurimorum Martyrum, sub ritu dup., cum Oratione de III loco *Deus qui nos*, omisso verbo *annua*, et nominibus reticitis. iuxta Dec. n. 2886 Cenomanen. 14 Iun. 1845 ».

De praecepto est, ut Episcopus consecrans etiam Missam celebret immediate post consecrationem, et Bened. XIV docet necessarium esse indultum Aplcum., ut episcopus consecrans valeat committere alteri celebrationem Missae. Exceptio facienda est pro casu expresso in Pont. Rom. loc. cit., ubi loquens de Episcopo ait: « Si vero fatigatus nimis celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem Sacerdotem celebrari ». Intellige nisi praevideatur. Quae omnia confirmantur ex una Oppiden. S. C. R. n. 2866, 24 Maii 1844.

Innoc. III in Conc. generali sic statuit [3]: « Ad haec, quia per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum Praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur: Decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis poenitentiis indulta remissio non excedat ». Quoad primam huius capitis partem statuit § 3. *Cum consecratur* a) *ecclesia*, et sic extenditur: b) *vel altare*, quod « potest etiam fieri sine ecclesiae consecratione » (can. 1165,

[1] 3 Iul. 1909. CO. I, 624. — [2] CO. V. 399. 18 Aug. 1913. — [3] Cap. « Cum ex eo » 14 de poenitentiis et remissionibus, tit. 38 Lib. V.

§ 5) *Episcopus consecrator*, additurque: *licet iurisdictione in territorio careat,* proinde cum derogatione can. 925, § 1 ubi dictum est: « Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse.. subditus concedentis », *indulgentiam concedit unius anni* ut in iure praec. a) *ecclesiam* b) *vel altare* respective ad alterutrius consecrationem *visitantibus in ipsa consecrationis die* post ipsam. Quoad secundam vero capitis partem est adnotandum quod ibi additur: « Hunc quoque dierum 40 numerum indulgentiarum litteris praecipimus moderari, quae pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur ». Cum ergo haec mensura sit per Pium X mutata [1], consequens fuit ut haec nova conservaretur hoc modo: *in die vero* cuiuslibet anni *anniversaria* « visitantibus » ut supra, sed per totum diem, a) *quinquaginta dierum* « indulgentiam concedit », *si sit Episcopus* tantum: b) *centum* dierum, *si Archiepiscopus*, etiam titularis alteruter, sed vi huius canonis, c) *biscentum* dierum, *si S. R. C. Cardinalis,* etsi charactere presbyter.

17. **Anniversaria festivitas consecrationis.** De more iam a tempore Isidori Hispalensis servatur apud fideles in imitationem Dedicationis Templi sub veteri testamento, quod nunc scripto communi iure praescribit *can. 1167. Festum consecrationis*, non benedictionis etsi solemnis *Ecclesiae*, quae ipso die consecrationis celebratur ab huius momento per missam et reliquam officii partem secundum leges liturgicas, *quotannis* nec solum primo, *celebretur* subintelligendo: manente consecratione, *ad normam legum liturgicarum*, quas hic confirmatas partim referre convenit. — Ex Dec.° generali S. C. Rit. [2]: « Quamvis fixa esse debeat illa dies anniversaria Dedicationis Ecclesiae, quae infra annum a consecratione recurrit; nihilominus Episcopo Ecclesiam consecranti ius inhaerere, iuxta Decreta alias edita, aliam diem fixam, vel etiam Dominicam, (dummodo in consecrationis actu) seligendi pro illius Anniversario quotannis solemnius celebrando exceptis duplicibus 1ae et 2ae classis universalis Ecclesiae, necnon quibuscumque Dominicis privilegiatis, et duplicibus 1ae classis Ecclesiarum particularium ». Huc pertinent praescriptiones Tit. IX Rubricarum iuxta const. « Divino afflatu » Pii X [3]. « 1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium et Festum Domini ». — De Anniversario Dedicationis

[1] Dec. 28 Aug. 1903. — [2] 4 Feb. 1895, V. n. 3881. — [3] 1 Nov. 1911, CO. III, 646.

Ecclesiae Cathedralis ac de Anniversario Dedicationis Archibasilicae Lateranensis eadem vigent quoad eorum celebrationem, quae infra dicentur respective de earumdem ecclesiarum Festo titulari celebrando.

Quaedam mutationes practicam habentes utilitatem sunt hoc in loco inserendae ex Dec.⁰ S. R. C. super M. pr. « Abhinc duos annos » [1]. Videlicet sub n.⁰ De Dominicis et Festis hucusque Dominicis diebus affixis, sequentia leguntur: 1... e) « Anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis, quod seorsim ab Anniversario Dedicationis aliarum ecclesiarum dioecesis in tota dioecesi die ipsa anniversaria celebrabitur, si ea innotescat: secus alia die fixa arbitrio Episcopi, audito tamen Capitulo cathedrali, semel pro semper designanda.

f) Anniversarium dedicationis propriae ecclesiae, quod pariter, si hucusque sua propria die a singulis dioecesis ecclesiis celebratum est, ipsa die celebrari pergat: si vero in tota dioecesi vel Instituto unica die recoli consuevit Dedicatio omnium ecclesiarum dioeceseos, haec extra ecclesiam Cathedralem, in ecclesiis consecratis tantum, non vero in aliis recoli poterit, die ab Ordinario, ut supra, designanda, quae tamen alia sit a die dedicationi Ecclesiae cathedralis recolendae assignata. Quae item observentur de Anniversario Dedicationis omnium ecclesiarum alicuius Ordinis seu Congregationis, quod hucusque in Dominica celebrari consuevit ».

Ac demum ex Dec.⁰ S. R. C. generali [2]: « III. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae eodem sub ritu ab omni clero recolatur, qui ad eandem Ecclesiam, (aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis) utpote propriam pertinet. Quod si alicui Dioecesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus indultum favet, dictum Festum semel celebrabunt,... sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cuiuscumque particularis alterius Ecclesiae Dedicationis Festo omisso ».

18. **De Titulo Ecclesiae.** In una S. Alberti [3] « quaeritur: An Episcopus proprio iure possit Patronum alicui Ecclesiae statuere? et S. R. Congr. rescribere rata est: Ad I Affirmative: idest posse Episcopum in erigendis Ecclesiis SS. Titulares eis assignare cum omnibus praerogativis (eo ipso), quae ex iure SS. Titularium

[1] 28 Oct. 1913, CO. V, 457. — [2] 9 Iul. 1895, n. 3863. — [3] 21 Apr. 1873, n. 3296.

sunt propriae ». Quod expresse praescribitur *can. 1168.* § *1. Unaquaeque ecclesia* sine exceptione a) *consecrata* b) *vel benedicta suum habeat titulum,* « titularis enim sive Patronus Ecclesiae, decrevit S. R. C. in Briocen. [1], is dicitur sub cuius nomine seu titulo Ecclesia fundata est et a quo appellatur. Patronus autem loci proprie is est, quem certa Civitas, Dioecesis, Provincia, Regnum, etc. sibi delegit velut singularem ad Deum Patronum; servatis in eiusmodi electione regulis in Dec.° s. m. Urbani VIII diei 23 Martii 1630 statutis ».

Ex praxi Ecclesiae catholicae discimus posse in titularem assumi non solum Sanctos et B. V. Mariam, etiam sub peculiari invocatione, sed Angelos quoque, vel omnes, vel custodes, vel singulariter unum trium Archangelorum ex septem qui adstant ante Thronum Dei. Ita pariter Ssm̃a Trinitas, vel Iesus Christus, vel Spiritus Sanctus, vel S. Crux, vel aliquod mysterium. Cum nomen Patroni idem sonet ac intercessor, tantum persona creata titularis ecclesiae, dicitur etiam Patronus, non ita Iesus Christus, vel persona increata, vel mysterium, quae solum Titulares audiunt. Propterea utrumque canon appellavit ecclesiae « titulum », *qui,* (subiungit) *peracta Ecclesiae dedicatione* per alterutrum sacramentale, *mutari nequit,* nempe: ab inferioribus Praelatis. Secus dicendum esset de titulo designato ab Episcopo ad impositionem primarii lapidis, qui mutari posset in eiusdem ecclesiae dedicatione.

Pari modo ac in praec. paragrapho dictum est de festo Dedicationis, ait § *2. Etiam festum tituli quotannis celebretur ad normas legum liturgicarum* sequentium. — Ex Dec.° S. R. C. [2].

I. In quibusvis ecclesiis publicisque oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici 1ae classis cum octava.

...V. In oratoriis autem quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibusque Regularium. (et quae oratoria sint fortassis semipublica) relativum Titularis festum non celebrabitur nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerit.

IV. Relativi Titularis festum a toto clero, si extiterit (idest: ex Dec. 9 Iul. 1895. II. « ab iis omnibus e clero, quibus eadem

[1] 9 Maii 1857, n. 3048. — [2] 5 Iun. 1899, n. 4025.

ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis), vel a sacerdote rectore Ecclesiae aut publico oratorio addicto, per integrum officium celebrabitur; secus in defectu cuiusvis cleri, per solas Missas iuxta rubricas ».

Etiam ex Dec.° in Cenomanen [1] S.ae C.s Rit. cognoscimus solutionem Dubii II. « num Professores et Seminaristae in Sacris Ordinibus constituti, qui ex Regula Seminarii ibi divina officia celebrare vel eis interesse debent, teneantur ad officium Patroni... Ad II affirmative ».

Praeterea ex Tit. IX Rubricarum iuxta Const. « Divino afflatu » [2].

2. ...Ecclesiae Cathedralis... Festum Titulare... celebrandum est sub ritu Dup. 1ae classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo clero saeculari et etiam regulari, Kalendarium dioecesanum adhibente: absque tamen Octava... a regularibus... utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus...

3. Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput... Festum Transfigurationis Domini, quod praeter magnam Resurrectionis Dominicae solemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur.

Demum; in oratione « *A Cunctis* » sicut in relativa postcommunione, ponendum est nomen Patroni Ecclesiae, ab omnibus qui ibidem celebrant.

Per Dec.m in Vercellen. [3] S. Congr. Rit. edixit: « a Decretis omnino prohiberi in Beatorum honorem Ecclesias vel altaria dicare ». Id confirmatur § *3. Ecclesiae dedicari Beatis nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto,* seu gratia dispensationis.

19. **De campanis.** *Can. 1169. § 1. Cuilibet ecclesiae* sive consecratae sive benedictae *campanae,* etsi « fusae ex chalybe, nimirum ex puro ferro, quod per fusionem et alias machinationes maiorem duritiem et rigiditatem accipit » [4], *esse convenit,* deest igitur praeceptum, sed propter ecclesiarum finem deserviunt illae,

[1] 28 Sept. 1872, n. 3279. — [2] Kalendis Novembris 1911. C.O. III, 646. — [3] 11 Apr. 1840, n. 2809. — [4] S. R. C. in Limburgen. 6 Febr. 1858, n. 3067.

quibus fideles ad divina officia sub can. 1165. §. 1 declarata, quamvis aliunde ipsis nota etiam quoad tempus, *aliosque religionis actus* forsan extraordinarios vel non stricte liturgicos, *invitentur* iuxta campanarum institutum.

Utpote de praeclaro Ecclesiae ac non necessario accessorio praescribit § 2. *Etiam ecclesiarum campanae* si adhibeantur, *debent* a) *consecrari* proprie, seu actu ordinis episcopalis, b) *vel benedici* iuxta declarationem S. R. C. in Perusina [1]: « Non videtur ullo modo decere, ut Episcopus in habitu pontificali ascendat turrim, ut campanas solemni ritu benedicat: posset tamen Sacerdos aliquis turrim ascendere, et aqua benedicta campanas aspergere ». Sic explicit §^us^: *secundum ritus in probatis liturgicis libris* v. gr. Pontificali Romano *traditos,* ac servandos quoque a Sacerdote, qui debita facultate donatus esset « quoniam in indulto id comprehenditur in verbis, Servata forma Pont.^is^ Rom.^i^ » et tunc « licet eidem unctiones adhibere » [2].

Ex §^o^ 2° et quia campanae sunt accessoria ecclesiis fixa, consequens fuit ad illas extendi praescriptum can. 1160 cum relativa infra posita moderatione. Dictam extensionem sub illo praescripto non comprehensam tradit § *3. Earum* campanarum, (non aliarum etsi ad ecclesias pertinentium), cum sint saltem benedictae, *usus* diversus propter finem signorum per eas *unice subest*, exclusa proinde tum privata tum civili publica, *ecclesiasticae auctoritati,* nempe parochi, rectoris ecclesiae, atque Ordinarii.

Quia usus campanarum solum consistit in edendis sonis, quorum significatio pendet omnino ab hominum conventione, canoni 1150 tanquam « generi per speciem derogatur » iuxta reg. iuris 34 in 6° per hunc § *4. Salvis conditionibus,* tum existentibus ante Codicem, tum post eum, quae implicite tali clausula admittuntur, attamen *probante Ordinario,* cuius iurisdictioni ecclesia subiiciatur ad normam can. 198 § 1, *appositis*, non per quoslibet aut civilem auctoritatem, sed *ab illis* hominibus quibuslibet etiam acatholicis, *qui campanam* singularem utendam *forte dederint*, sustinendo v. gr. expensas vel ad eam fundendam necessaria praebendo, eo quod illae sint conditiones contractus donationis ex iustitia servandae vel ex fidelitate. Praescriptum §^i^ est: *campana benedicta* in hoc canone designata

[1] 16 Iul. 1594, ad 3. n. 52. — [2] S. C. R. in Eistetten. 23 Iun. 1853, n. 3015.

ad usus mere profanos v. gr. convocationis municipii, vel operariorum, *adhiberi nequit* secundum reg. iuris 51 in 6° « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum ». Haec norma temperatur sequentibus exceptionibus: *nisi* a) *ex causa necessitatis* v. gr. nuntiandi populo imminens ipsi periculum ex animali vel pravis hominibus, *aut ex licentia Ordinarii* v. gr. causa singularis victoriae ab exercitu obtentae, vel extraordinariae civilis sollemnitatis, *aut denique ex legitima* seu iuxta sacros canones in Tit. II Lib. I positos *consuetudine* observata de facto.

§ 5 statuit de ministro. *Quod ad campanarum*, de quibus in canone, non aliarum, a) *consecrationem* b) *vel benedictionem* peragendam ad normam § 2 *quod attinet, servetur praescriptum* respective a) *can. 1155*, aut b) *1156* iam explicatum utrumque atque vi huius §[1] ad illas solum campanas ampliatum.

20. **Exsecratio ecclesiae** vocatur « amissio eiusdem consecrationis vel benedictionis », quibus « divino cultui loca sacra deputantur » (can. 1154). Ad casus exsecrationis determinandos iuxta nunc interpretandum canonem, optime conducit sequens caput Decretalium fulcitum Declarat.[s] S. Rit. Congr.[s] [1]: « Lignis aedificiis ecclesiae vestrae casu consumptis, parietibus tantum illaesis, ac mensa principalis altaris in sua extremitate modicam passa fracturam. Inquisitioni tuae taliter duximus respondendum, quod cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula altaris mota, vel enormiter laesa non fuerit, ob causam praedictam nec ecclesia, nec altare debet denuo consecrari ». Imo ratio decidendi fuit confirmata Dec.° S. R. C. in Barcinonen. [2] ubi casus sic propositus est: « Quum vero crescente populo Templum amplificatum fuerit, *intactis* parietibus lateralibus, et dirutum fuerit altare maius; sensim Cruces (depictae ob consecrationem), — et anno 1854 parietum interna facies perpolita et stucco, uti vocant, cooperta est, Altari tamen maiori nec fixo nec lapideo nunc temporis extante. — Dubium I. Num praedictum Templum, ob factam amplificationem, nova indigeat consecratione? Dubium II. Et quatenus negative, num consecratio fieri debeat propter stucci additionem? Dubium III. Et quatenus negative etiam ad secundum, num necessario erigendum sit novum altare maius fixum et lapideum rite consecrandum, ad hoc

[1] Cap. 6, Tit. XL. « De consecratione Ecclesiae vel altaris ». —
[2] 16 Ian. 1886, n. 3615.

ut quotannis Officium Dedicationis persolvi possit? Et S. Rit. C. respondendum censuit. Ad I et II. Negative: seu non indigere nova consecratione: et iterum depingantur et apponantur Cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis. Ad III. Affirmative ». Item in Nicoterien. et Tropen. [1] sic relatum fuit: « Insuper parietum et fornicum crusta vulgo intonaco, tota simul disiecta fuit, atque partim denuo confecta et depicta, partim vero marmoreis tabulis subrogata. Hinc quaeritur: An Ecclesia cathedralis Tropien. exsecrata sit, quia tota simul crusta disiecta fuit? Et S. R. C. rescribendum censuit: Ad I. Negative: iuxta Dec.^{m} diei 19 Maii 1896 ad II. a S. Pontifice confirmatum die 8 Iunii eiusdem anni ». Scilicet: « Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum ». Hoc ius praec.[8] retinet atque ad benedictionem ecclesiarum extendit *can. 1170. Consecrationem vel benedictionem ecclesia non amittit*, seu non exsecratur, proindeque ut aiebat Conc. Nicen. [2]: « Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustae », vel generaliter in canone: *nisi* a) *tota destructa fuerit*, sive naturali causa v. gr. inundatione, sive hominum malitia vel ad instaurationem ut in Aretina [3]: « Dubium II. In instauratione fieri debuit murus integer et absis: tota Ecclesia novo tectorio est inducta et affabre instaurantur partes quaecumque deficientes. Hisce positis, quaeritur an, cum divino cultui est restituenda, debeat iterum consecrari?... S. vero Rit. C. rescribendum censuit: Ad II. Affirmative, seu indigere nova consecratione ». Idque eruitur ex natura rei, quia non est moraliter eadem ecclesia, sicut etiam in casu seq. memorato ex praec. iure: b) *vel maior parietum pars corruerit*, prout etiam vetustatis sola causa evenire potest, non vero si « tota frons ecclesiae (circiter pars sexta ipsius muralis ambitus) cum ruinam minitaretur, erui debuit usque ad fundamenta quae remanserunt, et in quibus novus murus pro maxima parte erectus est », uti S. R. C. rescribere rata est in Marianopolitana [4]. Ratio huius canonis affertur a Conc. Nic. (loc. cit.): « quia sicut infans a qualicumque sacerdote in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus, iterum consecrandus est ». - Attamen cum consecratio ac benedictio sint sacra-

[1] 9 Aug. 1897, n. 3962. — [2] C. 20 Dist. I de consecr. — [3] 4 Sept. 1875, n. 3372. — [4] 11 Mart. 1871, n. 3240.

mentalia « quibus Ecclesia, in aliquam (solummodo) Sacramentorum imitationem, uti solet » (can. 1144), iure potuit sic prosequi Conc. Nic. (loc. cit.): « nisi propter eas causas, quas superius (nunc in canone) memoravimus », quibus addere oportet, eo quod « Sacramentalia recepta authentice interpretari, sola potest Sedes Apostolica » (can. 1145): c *vel in usus profanos*, non auctoritate civili, vel hominum pravitate, sed *ab Ordinario loci* in quo sita est Ecclesia etiam exempta *redacta sit*, non pro libitu, aut necessitate, sed *ad normam can. 1187* ibi explicandam. Reg. enim. Iuris 1ª est: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ».

21. **Effectus quoad liturgiam ex ecclesiae dedicatione.** *Can. 1171. In sacra aede*, quae verba proprie designant locum sacrum intra quod exerceatur divinus cultus, *legitime*, idest: iuxta canones praecl.ᵉ *dedicata omnes ecclesiastici* nempe: ab Ecclesiae auctoritate statuti vel approbati *ritus*, seu actus divini cultus *perfici possunt* iure sic limitato: *salvis* a) *iuribus paroecialibus*, nempe: tum quoad « functiones parocho reservatas » (can. 462), tum quoad iura harum ecclesiarum v. gr. ut « baptismalem habeat fontem » (can. 774 § 1) et hinc huius benedictio, tum ne fraudentur scopo parochialia munera v. gr. instructione parochianorum. Unde sicut ait Bened. XIV ep. encycl. « Etsi minime » § 14 [1]: « Sitae quandoque sunt in agro parvae, humilesque Ecclesiae, parochiali proximae.... ad quas diebus festis Patresfamilias una cum liberis accedunt, Sacerdotem sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suae Parochiae numquam fere intersint, nec ullum de mysteriis Fidei, de praeceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurret, suamque obiiciet auctoritatem. Et... (tunc) expressa lege caveatur, ne quis antea (ibidem) sacrificium faciat, quam Parochus missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolverit »; « salvis quoque » b) *privilegiis*, quae hanc vel illam functionem certae ecclesiae in oppido attribuant c) *et legitimis* propter praescriptionis tempus aliasque conditiones *consuetudinibus*. - De cetero sequentes ab homine limitationes permittuntur, nempe: *Ordinarius autem* loci propter contextum, *praesertim horas sacrorum rituum*, qui supra ut « ecclesiastici » fuerunt declarati, ac dicens « praesertim » non excludit alias quoque limitationes,

[1] 7 Febr. 1742.

quas et illas *potest, iusta de causa*, idest proportionata *praefinire*, quin haec potestas « exemptionem religiosorum » limitet, seu *dummodo ne agatur de ecclesia quae ad religionem*, etsi congregationem, sed *exemptam pertineat*, scilicet sub exemptione comprehensam, *firmo praescripto can. 609, § 3*, videlicet: de Superiorum vigilantia, « ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in Ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat »; et huius rei « iudicium ad loci Ordinarium pertinet ». Huic canoni congruens manet quod « S. R. C., iuxta alias decreta, respondit [1]: A parocho prohiberi non posse quin Missae in Ecclesia praedicta (erecta auctoritate Ordinarii diebus Festis ante vel post missam parochialem celebrentur, nisi eadem Ecclesia aliquo speciali iure subiectionis, ipsi parochiali sit obnoxia ».

22. **De violatione Ecclesiae.** *Can. 1172. § 1. Ecclesia violatur*, seu « ita indigne tractatur eius sanctitudo, ut non deceat iure in ea celebrari officia divina », propter quod habetur haec violatio a) *infra recensitis tantum actibus*, nempe: ut ibi determinantur. *dummodo* singuli b) *certi sint*, eo quod de iure quaesito tollendo agitur, c) *notorii*, quia indecentia contracta a loco sacro est qualitas non physica, sed moralis seu iuxta fidelium existimationem, d) *et in ipsa ecclesia positi*. Sed notandum hic Ecclesiae nomine non venire sacristiam, nec porticum, nec turrim campanariam, nec externum templi, nec cameras adiacentes, aut officialium cubicula, nec spatium interiacens primum et secundum tectum; sumus enim in re odiosa. Sed ex communi DD. interpretatione solum spatium, quod est inter pavimentum et tectum inferius, et ex altera parte inter muros ab ipsa abside usque ad extremam partem internam ianuarum ecclesiae. — Cappellae autem inferiores, ad quas ex interno ecclesiae acceditur, comprehenduntur. Nomine demum ecclesiarum intelligenda sunt quoque hic oratoria publica, quia « eodem iure quo ecclesiae reguntur » (can. 1191, § 1), ac semipublica modo sint saltem solemniter benedicta, urget enim eadem ratio iuridica.

Causae pollutionis sic dictae in veteri iure canonico, enunciatae ibidem, sunt sequentes: — 1ª invenitur in cap. 1 h. tit. De-

[1] 11 Iul. 1643, n. 842.

cretalium 40, III), ubi Innoc. III ait Compostellano Archiepiscopo. « Proposuisti quod venientibus ad ecclesiam S. Iacobi ex diversis regionibus peregrinis, et volentibus aliis ab aliis per contentiones, et rixas altaris de nocte custodiam vindicare, homicidia contingunt fieri interdum, et aliquando vulnera inferuntur. Fraternitati tuae taliter respondemus: quod manente Ecclesia, et altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino et cinere benedictam »; quae reconciliatio, ut videbimus, est modus auferendi iuridicam pollutionis ecclesiae maculam, atque iuris effectus inde sequutos. Idipsum transfertur in canonem aientem: 1° *Delicto*, cuius « nomine intelligitur externa et moraliter imputabilis (propter sufficientem deliberationem ac voluntatem) legis violatio, cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata » (can. 2195 § 1), prout revera est addita in can. 2354 « ob delictum *homicidii* », nempe: actionis externae, sive vulneratio sit, sive strangulatio, tum manu, tum sclopeto aliterve ponatur causa, dummodo ex ea « in ecclesia posita » mors hominis sequatur forsitan positi extra ecclesiam, nec suicidium est exclusum; — 2° *Iniuriosa* ob voluntatem in agente ac ius laesum in patiente, *et* propter culpam agentis *gravi sanguinis effusione*, ut copia sanguinis parva non sit. — Quae canonis « verba ius vetus ex integro referunt » (can. 6, 2°) secundum interpretationem Glossae apud auctores probatos receptam. Bonifacius enim VIII illam causam expressit [1] his verbis: « Si ecclesiam pollui sanguinis aut seminis (quod verbum in can. fuit omissum) effusione contingat ». Quod sic a Glossa exponitur: « *Pollui.* Quoad opinionem hominum, qui eam polluunt, quantum in eis est: quae enim sunt sancta, coinquinari non possunt... et ob hoc dico, quod si pollutio fuerit occulta, non debet reconciliari ». Sicut supra in Codice receptum est. « Sanguinis *humani et iniuriose* effusi. Unde si ibi occidatur canis, vel humanus sanguis casu effundatur, vel si quis ibi minutionem faciat, Ecclesia non est reconcilianda... Et si extra ecclesiam vulneratus ad ecclesiam fugiat, et ibi sanguinem spargat, non reconciliatur ecclesia, secus e contrario, vel cum sanguinem colligit in scutella... Sed quid si sanctus vir ibi occidatur, numquid reconciliatur ecclesia? Videtur quod sic, quia iura indistincte loquuntur: et sceleratius est iustum et sanctum occidere, quam iniustum,... in

[1] Cap. un. de consecratione ecclesiae vel altaris, tit. 21, lib. III.

contrarium videtur cum ecclesia sanctificata sit, non polluta.... Sed hoc verum est ex sanguinis effusi passione, sed ex ipsius effusi actione bene polluitur, iuxta illud: Actio displicuit, passio grata fuit. Unde primum teneas, locum tamen non lavabunt ».

Sequitur actuum enumeratio in canone: 3° *Impiis* propter contrarietatem religioni, *vel sordidis* quamvis non peccaminosis *usibus* singulis, *quibus ecclesia addicta fuerit.* Ergo per aliquod etsi breve tempus ac continuum vel interruptum. — 4° *Sepultura* a) *infidelis* proprie, non habentis veram fidem, proinde acatholicorum, qui nondum sint saltem cathecumeni, b) *vel excommunicati post sententiam declaratoriam* incursae censurae, *vel condemnatoriam* infligentem censuram praedictam, cuius alterutrius sententiae vi non semper « est vitandus » excommunicatus. Haec causa violationis ecclesiae desumpta est ex cap. 7 « Consuluisti » (cit. tit.) scilicet: « Coemeteria in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquae solemniter benedictae, sicut in dedicationibus ecclesiarum fieri consuevit ». Ita loquitur Innoc. III Senonen. Episcopo. Glossa vero subiungit: « Sicut ergo Ecclesia reconciliatur, ita et coemeterium (ut postea videbimus), cum sit consecratum, ut patet ». Hoc caput de coemeteriis loquens intelligendum est quoque de ecclesia, si in ea fiat sepultura; quia ut coemeterium tunc accipitur, prout antiquitus erat in usu. — Excommunicati de quibus agitur in textu, restringendi fuerunt ad vitandos, qui mortui fuerunt absque petita saltem absolutione ante mortem et post eam sequuta, ex const. « Ad vitanda » Martini V. In Codice manet ius antiquum, etsi verbis diversum iuxta Codicis nomenclaturam. Denique memoranda responsio S. R. C. in Carthaginien. in Indiis, quoad partem non derogatam [1], in qua dicitur: « Ecclesiae ipsae reconcilientur...; eo quia ex tumulatione cadaverum acatholicorum (nempe: haebreorum et protestantium, uti habetur in facti specie proposita) pollutae fuerint ».

§ 2 « ex parte tantum cum veteri iure congruit » (can. 6, 3°), nempe: cum can. unico « de consecratione Ecclesiae vel altaris » [2]. *Violata ecclesia* iuxta §^m 1^m, *non ideo coemeterium*, additurque: *etsi contiguum,* quia in cit. cap. « Ecclesiae coemeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum, secus si remotum fuerit ab

[1] 23 Apr. 1875, n. 3344. — [2] Tit. 21 lib. III in 6°.

eadem», nunc vero distinctione sublata: numquam *violatum censetur, et viceversa*, quod verbum implicat cit.[1] cap.[s] dispositionem: «Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto coemeterio, quamvis Ecclesiae contiguo, debeat ecclesia reputari polluta; ne minus dignum, maius; aut accessorium, principale ad se trahere videatur».

23. **Effectus iuridici violationis Ecclesiae.** Greg. X in cap. 10 seu ult. (cit. tit.) ait Asturicen. Episcopo: «Si ecclesia non consecrata («ergo multo fortius consecrata»: subiungit Glossa) cuiuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta (idem dicendum ex aliis causis), aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur». Igitur suspensio omnium, quae divinas laudes continent, est effectus violationis, eaque determinantur in *can. 1173* § 1. *In violata ecclesia*, quod est iudicandum ad normam can. 1172, *antequam reconcilietur* ad normam can. seq., *nefas est* propter Divini Numinis reverentiam, quae huic probibitioni fundamentum praebuit, a) *divina celebrare officia* nempe: quae principaliter divinum exhibent cultum, b) *sacramenta* quaelibet *ministrare*, ac consequenter eadem suscipere, quae praecipue salutem exhibent animabus, c) *mortuos sepelire*, ceu misericordiam ibidem exercere erga defunctorum corpora, quae fuerunt templa Spiritus Sancti.

Quid vero circa praedicta sit faciendum occasione violationis, nos edocet § 2. *Si violatio accidat tempore divinorum officiorum* quorumlibet, ut in §° 1ª, *haec statim cessent*, quod de sacramentis non dicitur, itaque perficienda essent propter analogiam ad ea, quae sequuntur ac exponunt Rubricam generalem Missalis[1]: «Si, Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur missa; si post canonem, non dimittatur», nunc sic correctam: a) *si ante Missae canonem*, stricte sumendum a verbis: «Te igitur...» b) *vel post communionem* utriusque speciei, *Missa dimittatur*, nec dicitur: cetera alibi supplenda; *secus*, nempe: «si violatio accidat tempore» intra Missae canonem, *sacerdos* celebrans *Missam prosequatur usque ad communionem* tantum, sicut supra dictum est.

Nec violatione amittit ecclesia ius obtentum ad quaslibet indulgentias. Ita ex Dec.° S. Congr.ª Indulgentiarum[2]: «Utrum scilicet per profanationem Ecclesiae, quae tempore exclaustrationis locum

[1] Pars. III. De defectibus, c. X, n. 2. — [2] 18 Sept. 1862, n. 396.

habuit, ius ad praedicta (videlicet: ad indulgentias propter confraternitatem S. Ioseph ibidem antea rite erectam) penitus amissum fuerit?.. S. Congr. respondendum censuit: Negative».

24. **De peragenda reconciliatione**. Ad normam iuris praec. Decretalium, statuit *Can. 1174* § 1. *Ecclesia violata* quolibet ex actibus ad normam can. 1172, § 1, *reconcilietur*, idest: divino cultui iure apta reddatur, *quam citissime poterit*, nempe: «aqua protinus exorcizata lavetur» (loc. cit. supra), *secundum ritus* scilicet: series precum et caeremoniarum ad hoc *in probatis liturgicis libris* alias declaratis *descriptos*, scilicet: in Pont. Rom. pro Ecclesia consecrata. nam in Rit. Rom. ubi [1] traditur «Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata» sub n. 8 legitur: «Simplex sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apostolicae (sed hoc praescriptum est nunc derogatum) potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare», notandae autem duae conditiones: «et tunc utatur ritu in Pontificali praescripto»; quod etiam nunc servandum est, «cum aqua ab Episcopo ad hunc finem rite benedicta», clausula correcta per can. 1177.

Praescriptum explicatum obligat solum in casibus violationis certae, cum dicat § 2. *Si dubitetur* vero dubio positivo iuris aut facti, *num Ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam*, unde non est praeceptum. Si autem reconciliatio fiat, etsi postea superveniat certitudo de violatione, non urgebit amplius can. 1173.

Ultimo de huiusmodi reconciliationis iuridica necessitate agit S. Rit. C. in Oppiden [2] «Ad 2. An per celebrationem Missae in ecclesia polluta, dicatur reconciliata? S. Congr. respondit: Negative, et ideo debere reconciliari iuxta formam praescriptam in Pontificali» atque addendum: vel in Rituali, si solum benedicta fuerit. Et Glossa rationem congruentiae ritus reconciliationis affert in cap. un. huius Tit in 6° his verbis: «Dicunt enim Theologi, quod ideo reconciliatur ecclesia, ut videntes laici ecclesiam sic lavari, quae non peccavit, cogitent intra se, quantum pro lavatione peccatorum laborandum sit».

25. **Reconciliatio ecclesiae violatae ob quorumdam sepulturam.** Glossa citata ad can. 1172, § 1 4° sic prosequitur: «et illa corpora (excommunicatorum), si discerni poterunt, sunt exhu-

[1] Tit. VIII. cap. 28. — [2] 19 Aug. 1634, n. 611.

manda, et extra coemeterium eiicienda ». Et S. C. Rit. [1] in cit. Carthaginien. statuit: « quod ossa et cadavera acatholicorum iam condita in Ecclesiis, removeantur, si adhuc dignosci possint, adhibita omni prudentia ». Haec vigent utpote comprehensa sub *can. 1175. Ecclesia violata* solum *ob sepulturam* a) *excommunicati* « post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam » (can. 1172, § 1,4°) b) *vel infidelis*, prout in loc. cit. declaratum est, *ne reconcilietur* ad tempus, scilicet: *antequam cadaver,* quod fuit occasio violationis, *exinde removeatur* ad normam can. 1214, « si cadaver ab aliis corporibus discerni queat », et *si remotio sine gravi incommodo fieri possit*, quod incommodum undecumque proveniat et qualecumque sit facile exoriri poterit. Si tamen absit grave, canon est servandus.

26. **Minister legitimus ad ecclesias reconciliandas.** De ministro reconciliationis pro ecclesia benedicta, sic legitur in loco cit.° Rit.s Rom.i: « Ecclesiae violatae reconciliatio per sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo ». Quae rubrica explicatur seq.i S. Rituum Congr.s declaratione in Nolana [2] ad Dubium; « utrum simplex sacerdos possit iure suo ecclesiam benedictam, ubi violata fuerit, reconciliare sine ulla Ordinarii sui delegatione », responsum fuit: « Negative, et servetur Rit. Rom. tit. VIII c. 28 ».

Sed nunc haec lex liturgica corrigitur *can. 1176* § 1. *Ecclesiam* solummodo *benedictam reconciliare potest,* eo quod sit actus ordinis presbyteralis, sed ob reservationem a) *rector eiusdem*, sive ad normam can. 479, § 1, sive primariam disciplinae curam habens in aliis ecclesiis, b) *vel quilibet sacerdos,* etsi ad ecclesiam non pertinens, sed *de consensu saltem* ob circumstantias rationabiliter *praesumpto* seu coniecturato, fortassis non extante, *rectoris* antea declarati.

De ministro reconciliationis pro ecclesia consecrata loquitur cap. 9 cit.i tit.i hoc modo: « Aqua per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum (nempe: qui non sit Ordinarius loci) non negamus, per sacerdotes simplices hoc fieri de cetero prohibentes; non obstante consuetudine provinciae Bracharensis (quae dicenda est potius corruptela), quia licet Episcopus committere valeat, quae iurisdictionis existunt: quae ordinis tamen

[1] 23 Apr. 1875, n. 3344. — [2] 8 Iul. 1904, n. 4138.

Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis (proinde sacerdotibus quoque) demandare ».

Sed in Codice congruenter can.[i] 1147 haec reconciliatio declarata est actus ordinis presbyteralis, edicente § 2. *Ecclesiae consecratae valida reconciliatio ad eos spectat de quibus in can. 1156,* videlicet: qui « ius benedicendi locum sacrum » habent, ac possunt « alium sacerdotem ad hoc (etiam) delegare ». propter regulam 72 iuris in 6° ibi relatam. Hinc evaserunt inutilia privilegia concessa per const. « Dudum » Iulii II Ordini Minimorum et per const. « Religionis suadet honestas » Leonis X Ordini fratrum Minorum, aliaque similia, cessavitque praeceptum a S. R. C. adiectum in Imolen[1] decisioni quoad illorum privilegiorum usum.

Imo et ad casus dantur alii ministri legitimi sub § 3. *In casu tamen* a) *gravis*, v. gr. quia ecclesia est paroecialis, vel ab aliis dissita, b) *et urgentis necessitatis*, v. gr. dum illa sit sola in oppido, quoad hanc vero urgeat praeceptum audiendi missam, c) *si Ordinarius* ad obtinendam delegationem *adiri*, saltem per nuntium *nequeat*, v. gr. pro ecclesia extra civitatem episcopalem posita, *rectori* ut in § 1° *ecclesiae consecratae* ac violatae *eandem reconciliare fas est* seu licitum « cum necessaria licentia » per hunc §[um] concessa, quia haec reconciliatio est Ordinariis reservata ob can. 1156. Sequens tamen obligatio implenda est: *certiore facto postea Ordinario,* sive loci, sive Superiore maiore religioso ad quem pro Ecclesiae diversitate reconciliatio pertineret.

27. **De aquae diversitate in reconciliandis ecclesiis** ait S. C. Rit. in Cameracen[2]: « Si ecclesia non erit consecrata, potest et debet lavari per presbyterum aqua exorcizata », quod sic reddit *can. 1177. Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali* ob usum *communi*, quam benedictam vocamus; reliqua vero citatae responsionis pars omissa derogatur sic per canonem: *reconciliatio vero ecclesiae consecratae*, non iam « per Episcopum vel de commissione Papae », sed ad normam praec.[s] can.[s] §§ 2, et 3, *fiat aqua ad hoc benedicta,* « quae fit cum cinere et vino », *secundum leges liturgicas* v. gr. sub ritu « De reconciliatione ecclesiae vel coemeterii » in Pont. Rom., non iam « per Episcopum tantum » sicut debebat omnino ante Codicem servari, propter quod

[1] 15 Dec. 1646, n. 904. — [2] 20 Iun. 1626, n. 411.

sic explicit canon: *quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri*, fit ergo actus horum ordinis, sed reservatus his, *qui ecclesiam reconciliant*, illamque *benedicere possunt* equidem formula ex Pont. Rom. desumpta.

28. **Immunitas ecclesiarum eiusque fundamentum iuridicum.** Haec immunitas est pars immunitatis localis, atque includit duo privilegia. Unum est quod ob reverentiam locis sacris debitam actus profani prohibeantur in iisdem exerceri. Alterum est, quod certis criminosis eo confugientibus libera detur commoratio seu asylus, indeque violenter extrahi non possunt sine auctoritatis ecclesiasticae venia.

Quamvis diversae sint opiniones circa iuridicum immunitatis fundamentum, tamen Conc. Trid. [1] ait: « eam constitutam fuisse ex divina ordinatione et ex canonicis sanctionibus ». Haec sententia explicari potest sequenti modo. Quoad primum privilegium quidam profani actus adeo manifeste repugnant sanctitati loci sacri eiusque reverentiae, ut ex ipsa rei natura sint ibidem prohibiti; alii autem actus, etiamsi loco sacro non congruant, non sunt evidenter prohibiti qua tales, quamvis merito lege ecclesiastica vetentur. Pariter rationes congruentiae non desunt in favorem iuris asyli. At per se ac intrinsece malum non est, convenienti tempore ac modo extrahere vi malefactorem ex templo, alioquin non liceret idipsum in casibus per sacros canones a iure asyli exceptis. Ergo quamvis localis immunitas vigeat ex ipso iure divino pro quibusdam actibus qui locis sacris repugnant, tamen quoad reliquos actus qui congruenter prohibentur et quoad asylum immediate profluit a iure canonico obtinente rationabile fundamentum in divina ordinatione. Rationes namque congruentiae ex aequitate vel iure naturali petitae non constituunt legem ipsam naturalem. E converso praefatum asyli ius protectum fuit transactis temporibus per ius civile, sed id non evincit tale ius ab auctoritate civili ortum habuisse, nam semper ac apud omnes gentes loca sacra sicut res et personae divino cultui consecratae, fuerunt segregatae quodammodo a communi commercio et immunitatis privilegio decoratae. Iure igitur damnata est in Syllabo Pii IX « prop. XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit ».

[1] Cap. 20 sess. XXV de Ref.

29. **De immunitate ecclesiarum quoad actiones,** quae dedecent domum Dei, completissime agit cap. 2 huiusmodi Tituli in 6.° (23, III)... : « nullus in locis eisdem (ecclesiis), in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum et societatum quarumlibet concilia, conciones, et publica parlamenta. Cessent vana, et multo fortius foeda et profana colloquia. Cessent confabulationes quaelibet. Sint postremo quaecumque alia, quae divinum possunt turbare officium, aut oculos Divinae Maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in ecclesiis earumque coemeteriis, negotiationes, et praecipue nundinarum, ac fori cuiuscumque tumultus, omnis in eis saecularium iudiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos, criminalis maxime agitetur, sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena ».

Hoc multiplex praescriptum iniungit sic *can. 1178. Curent omnes ad quos pertinet,* tum Ordinarii, tum Superiores religiosi, tum rectores ecclesiarum quarumcumque pro harum diversitate, sed ex officio tenentur, a) *ut in ecclesiis suis illa munditia*, etiam in sacris utensiliis, *servetur*, ab omnibus, *quae domum Dei decet,* « qui habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium » [1], b) *ab iisdem* ecclesiis *arceantur* auctoritative *negotiationes et nundinae* in specie memorandae ob factum ac verba Salvatoris: « auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis » [2], *quamquam ad finem pium habitae*, sicut erant illae in templo Hierosolymitano, de quibus tamen propter depravationem dixit Iesus: « domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum » [3], c) *et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit,* exemplo eius Divini Sponsi, de quo scriptum est: « Zelus domus tuae comedit me », prout de casu citato « recordati sunt Apostoli », iuxta testimonium Ioannis in Evangelio (II, 17). Huc pertinet Dec. S. Congr. Cons. [4]. « Porro Emmi. Patres considerantes, aedes Deo dicatas, in quibus divina celebrantur mysteria et fideles ad coelestia et supernaturalia eriguntur, ad alios usus et praesertim ad scenicas actio-

[1] Apoc. XIX, 16. — [2] Io. II, 16. — [3] Matth. XXI, 13. — [4] 10 Dec. 1912, IV-724.

nes etsi honestas piasve agendas converti non debere, quaslibet proiectiones et cinematographicas repraesentationes prohibendas omnino esse in ecclesiis censuere. — Ss.mus Pius PP. X sententiam Emorum. Patrum ratam habuit confirmavitque, atque hoc iussit edi generale Decretum, quo ea agi in ecclesiis prohibetur ».

30. **Ius asyli** in posterum servandum edicit *can. 1179. Ecclesia,* uti locus sacer, et « oratoria publica » eo quod « eodem iure reguntur » (can. 1191, § 1), *iure asyli gaudet,* cuius fundamentum fuit in can. praec. explicatum, illiusque natura sic exponitur: *ita ut rei* ratione criminis in foro civili, *qui ad illam* quamlibet *confugerint,* ob Dei reverentiam *inde non sint extrahendi,* quod innuit vim eis adhibendam non esse, *nisi necessitas urgeat,* nempe sit graviter damnosa nectenda mora, *sine assensu* positivo seu licentia *Ordinarii* respectu illius ecclesiae, scilicet: vel loci vel Superioris maioris pro ecclesia religionis clericalis exempta, *vel saltem* quolibet in casu *rectoris ecclesiae,* nempe: cui cura praecipua incumbit disciplinae servandae in ea.

31. **De Basilicae titulo**. *Can. 1180. Nulla ecclesia,* etiamsi magis insignis inter ceteras existat vel ob antiquitatem vel ob magnitudinem vel ob celebritatem, quibus de causis basilicae nomen mereretur, *potest* iure *basilicae* minoris *titulo decorari,* nam quatuor solummodo ecclesiae romanae appellantur basilicae maiores, nempe: S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, S. Pauli extra muros et S. Mariae Maioris, *nisi* a) *ex apostolica concessione,* quae fit forma Brevis, b) *aut immemorabili consuetudine;* ita ut aliter vetandus sit praefatus titulus ab Ordinario loci; *cuiusque vero* singularis *privilegia* titulo praedicto connexa *ex alterutro capite* respective *colligantur.* Ad rem pertinet Dec.m S. R. C. in Lucerina [1] quo « nimirum declaravit nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum ceterorumque similium, quae continentur in litteris aplcis., in forma Brevis expeditis. favore alicuius Ecclesiae ad gradum Basilicae Minoris elevatae, venire Conopaeum (deferendum in processionibus), omni tamen auri et argenti ornato ab eo excluso, tintinnabulum (similiter delatum) et usum Cappae Magnae » ab eius Ecclesiae canonicis in choro.

32. **De ingressu gratuito in Ecclesias.** Cum sit Ecclesiae

[1] 27 Aug. 1836, n. 2744.

finis « ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (can. 1161), et aliunde « studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem temporalem rei spirituali adnexam sit simonia iuris divini » (can. 727, § 1), propter huius periculum est conditus *can. 1181. Ingressus in Ecclesiam*, non praecise sedes in ea, vel locus sibi reservatus, nec ille ex qualibet intentione v. gr. ad invisendam eius monumenta, ad se reparandum a quocumque damno, sed *ad sacros ritus* participandos saltem morali assistentia, *sit omnino gratuitus*, quantalibet exigua solutione exclusa, *reprobata qualibet contraria consuetudine*; quae proinde « vigens in praesens, tamquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5).

33. **De administratione bonorum singularum ecclesiarum.** Propter finem ad quem ecclesiae deputantur, nonnullis bonis indigent ad illius divini cultus exercitium et illarum conservationem, qua de causa ius canonicum illas instituit tanquam subiecta iuris possidendi bona temporalia, quae propterea « sunt bona ecclesiastica » (can. 1497, § 1). — Merito igitur sic exorditur *can. 1182. § 1. Firmo praescripto can. 1519-1528*, videlicet: praeter can. 1518, qui edicit iuridicum principium, firmis omnibus aliis « Tituli XXVIII » « De bonis ecclesiasticis administrandis », *administratio bonorum, quae destinata sunt*, vel in ipsa ecclesiae fundatione, vel ex intentione dantium fidelium, aliorumque de propriis bonis disponentium, vel ex auctoritatis ecclesiasticae iussu a) *reparandae* propter temporis iniuriam, aliaque infortunia, b) *decorandaeque ecclesiae* in eius diversis partibus per picturas, marmora, altaria, etc., c) *divinoque in eadem cultui exercendo,* quod fieri nequit sine expensis pro cereis, vino, hostiis, necnon utensiliis ac ornamentis, *pertinet* tanquam ex generali norma canonica, *nisi aliud* diversum a) *ex speciali titulo* aut in acquisitione bonorum, aut particulari lege rite constituta, aut alio canone, b) *vel legitima* ob tempus praescriptionis aliasque circumstantias *consuetudine constet,* seu probetur faciendum, « pertinet » ut dictum est, a) *ad Episcopum* « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2) *cum Capitulo,* vel consultorum dioecesanorum coetu ob can. 417, *si de ecclesia cathedrali agatur*, respective de altera « quae dignitate abbatiali vel praelatitia gaudeat » (can. 319, § 1); b) *ad Capitulum*

« collegiale seu collegiatum » (can. 391, § 1) id est *ecclesiae collegiatae,* quam illud inservit. *si de collegiata;* c) *ad rectorem* ad normam can. 479, § 1, nam si agatur de ecclesiis « adnexis domui communitatis religiosae », paroecialibus, « confraternitatum vel alius legitimae associationis, serventur particularium canonum praescripta ».

§ 2. *Etiam oblationes factas in commodum* (non ait proprietatem) a) *paroeciae* sumptae pro coetu fidelium territorii paroecialis ad normam can. 216, §§ 1, 3 cum « sua peculiari ecclesia », b) *aut missionis,* vel haec « quasi-paroecia iure appelletur », vel non, c) *aut ecclesiae,* etsi non illae « peculiaris » ex cit can., *sitae* tamen *intra paroeciae vel missionis* declaratarum *fines* territorii, *administrat* vi quoque huius canonis *parochus vel missionarius* sic dictus per respectum ad eandem missionem, a) *nisi,* ad hanc sub c) quod attinet, *agatur de ecclesia propriam administrationem habente,* propter rectorem eius, confraternitatem cuius sit, domum religiosam cui adnexa fuerit, etc., *distinctam* illis ex causis vel alio ex titulo *ab administratione* praefata *paroeciae vel missionis* intra quarum fines inveniatur, b) *aut nisi aliud ferat ius peculiare,* v. gr. concilii plenarii, provincialis, etc., c) *aut legitima* in §° 1° declarata *consuetudo.*

Hucusque administrator est designatus. Sequitur de administratione § 3. *Parochus,* b) *missionarius,* c) *rector saecularis ecclesiae,* nempe: quae non sit de bonis religionis cuiuslibet seu familiae religiosae. *sive saecularis,* seu ex clero saeculari *is* rector *sit, sive religiosus* seu « qui vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 488, 7°). *debet* a) *huiusmodi oblationes* de quibus in §° 2° *administrare ad normam sacrorum canonum,* qui de illis agant, praesertim sub tit. cit. in canonis principio, b) *deque eis oblationibus rationem loci Ordinario,* non Superiori maiori religiosus, *reddere ad normam can. 1525.* scilicet: « singulis annis », ac etiam « si ex peculiari iure aliis ad id designatis ratio reddenda sit, (nam) tunc etiam Ordinarius loci vel eius delegatus cum his admittatur ».

34. **Consilium fabricae ecclesiae**. *Can. 1183. § 1. Si alii quoque,* qualibet ex causa rationabili, *sive clerici sive laici,* eo quod administratio bonorum temporalium Ecclesiae, quamvis officiis ecclesiasticis adnexa sit, non est actus potestatis ordinis vel iurisdictionis, *in administrationem bonorum* temporalium iuxta praec.^{m} canonem *alicuius ecclesiae cooptentur,* hac in hypothesi *iidem omnes*

una cum administratore ecclesiastico, utpote auctoritate Ecclesiae constituto, nempe: *de quo in can. 1182* actum est, *aut eius vicem* quoad hoc *gerente,* nam secundum reg. 68 iuris in 6°. « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum », *eoque* alterutro *praeside* vi huius canonis, quicumque sint clerici atque laici cooptati, omnes illi *constituunt Consilium fabricae ecclesiae* hoc canone recognitum, apprimeque distinguendum a dioecesano Consilio administrationis, de quo in can. 1520.

§ *2. Huius Consilii* « fabricae ecclesiae » (§ praec.) *sodales,* veluti aequales iure muneris, *nisi aliter* ac statim praescribitur, sed *legitime,* a competenti nempe auctoritate ecclesiastica etsi dioecesana, vel iure communi, aut consuetudine iuris, *constitutum fuerit,* a) *nominantur ab Ordinario* loci, cui ratio reddenda est, *eiusve delegato* in hac parte officii sui, iuxta reg.^{m} iuris antea citatam, b) *et ab eodem* « Ordinario eiusve delegato » pro amplitudine delegationis *possunt* praedicti « sodales », non administrator ecclesiasticus, *ob gravem causam* ab alterutro iudicandam *removeri,* nullo servato canonico processu.

35. **Munus Consilii fabricae** sic determinat limitibus certis *can. 1184. Consilium fabricae* sic appellatum, quando agitur de bonis ecclesiae singularis administrandis, *curare debet rectam bonorum ecclesiae administrationem,* quod perfecte adimplebunt *servato praescripto can. 1522, 1523,* quo illius administrationis diversi actus ordinate ac complete recensentur, et haec est pars canonis positiva. Vetitum eiusdem sequitur: *sed nullatenus,* idest: quocumque actu vel modo *sese ingerat,* utpote in aliena a proprio munere, *in ea omnia, quae ad spirituale munus,* sic dictum eo « quod in spiritualem finem legitime exercendum », (can. 145, § 1) *pertinent,* ac ex fine spirituali sunt illa dimetienda. Sed quia multa sunt, quae circa temporalia cum versentur, viderentur ad Consilium fabricae pertinere, subducenda sunt tamen quia eorum administrationem non secumferunt illi actus, additum est: *praesertim:*

1°. In exercitium cultus in ecclesia, ut evidens est; — *2°. In* a) *modum* b) *et tempus pulsandi campanas,* etsi « ad usus mere profanos adhibeantur » (can. 1169, § 4), cum tales usus non auferant eis deputationem benedictione obtentam, c) *et in curam tuendi ordinis,* quae auctoritatem velut domesticam praesupponit et *in ecclesia et in coemeterio* quamvis ab illa seiuncto, sed loco sacro;

3°. In definiendam rationem qua a) *collectae* pecuniae donorumque in ecclesia, quae induunt naturam cultus, iuxta illud [1]: « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum » [2], b) *denuntiationes* ordinationum ac matrimoniorum, festorum, ieiuniorum, etc. c) *aliique actus*, a) *ad divinum cultum* b) *ornatumque ecclesiae quoquo modo*, directe vel indirecte vel tamquam finem *spectantes*, circa haec omnia « qua definienda ratione » hoc est: modo *in ecclesia fieri possint;*

4°. In dispositionem materialem quoad situm et formam a) *altarium* b) *mensae,* cui fideles appropinquant, *pro distributione* ipsis facienda *sanctissimae Eucharistiae,* c) *cathedrae* propter elevationem ac doctrinam, *sive suggestus* propter finem intentum in illa tradenda, *e quo ad populum verba fiunt* de evangelio et aliis permissis in Ecclesia, c) *organorum,* quae sunt instrumenta musica ordinarie pro cultu admissa, d) *loci* ecclesiae *cantoribus assignati,* e) *sedilium* pro singulis, f) *scamnorum* pro pluribus personis, utendorum quoque dum officia divina celebrantur, g) *capsularum oblationibus* ex pietate vel charitate *recipiendis*, h) *aliarumque rerum* etsi omnino materialium, sed *quae ad exercitium religiosi cultus* saltem utiliter *spectent;*

5°. In admissionem vel reiectionem, respectu habito ad finem et canonum prudentiaeque normas, a) *sacrorum* propter benedictionem *utensilium*, b) *aliarumque rerum* in seipsis profanarum, *quae* a) *sive ad usum* ministrorum vel fidelium, b) *sive ad cultum* in eiusdem exercitio, c) *sive ad ornatum* excitantem animos ad Dei reverentiam, eo quod ad haec omnia peragenda a) *in ecclesia*, loco

[1] Iac. I, 27.

[2] Quod sic probatur a D. Thoma: IIª IIªᵉ, q. LXXXI, art. 1 ad 1ᵐ « dicendum, quod religio habet duplices actus: quosdam quidem proprios et immediatos, quos elicit per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare et alia huiusmodi: alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam; quia scilicet virtus ad quam pertinet finis, imperat virtutibus ad quas pertinent ea quae sunt ad finem. Et secundum hoc actus religionis per modum imperii ponitur esse, *visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum,* quod est actus elicitus a misericordia; *immaculatum autem se custodire ab hoc saeculo,* imperative quidem est religionis, elicitive autem temperantiae, vel alicuius huiusmodi virtutis ».

sacro, b) *vel sacrario,* quod uti « accessorium naturam sequi congruit principalis » [1], *destinentur* saltem ex intentione offerentium:

Demum in ea, quae officii parochorum esse constat ex can. 470, videlicet: *6° In* a) *scriptionem*, b) *dispositionem*, et c) *custodiam librorum paroecialium*, « idest: libri baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, et etiam de statu animarum », *aliorumque documentorum quae,* velut « Episcoporum epistolae, aliaque necessitatis vel utilitatis causa servanda », *ad archivum paroeciale* propter paroeciae administrationem spiritualem ac temporalem *pertineant.*

36. **Regimen personarum ecclesiae inservientium** iuste prorsus rectori ecclesiae adiudicatur in *can. 1185. Sacrista* propter sacristiae curam eiusque dispositionem materialem in ordine ad cultum, *cantores*, clerici vel laici, tum in cultu stricte liturgico populi vices gerentes, tum in cultu extra-liturgico, *organorum moderator,* ut harmonice illa cultus splendorem augeant devotionemque populi foveant, *pueri chorales*, in officio divino ministerialiter admissi forsitan pro cantu, *campanae* fideles invitantis *pulsator, sepulcrorum* pro fidelium cadaveribus inhumandis *fossores,* quando coemeterium a potestate pendeat ecclesiastica, vel pro sepeliendis in ecclesia, *ceterique inservientes* v. gr. in missarum celebratione, in munditia ecclesiae curanda, etc., *a solo ecclesiae rectore*, scilicet: exclusis quibuscumque etiam clericis vel sodalibus Consilii fabricae, *salvis* in contrarium a) *legitimis consuetudinibus,* quae videlicet rationabiles fuerint et per tempus legitimum servatae, b) *et conventionibus*, non quae concordata appellantur, sed inter parochum rectoremve ecclesiae et praedictos aliosve, ex. causa: confraternitatem, supple « legitimis » seu ad normas ceterorum canonum, c) *et Ordinarii auctoritate* ad statuendas limitationes ob rationabilem causam, alioquin singuli praedicti « ab ecclesiae rectore », ut supra declaratum est, a) *nominantur,* designando personam et conferendo ei aliquod praedictorum munerum, b) *pendent* in horum exercitio, c) *dimittuntur* ex prudenti arbitrio sicut domestici a patrefamilias.

37. **De ecclesiis reparandis** est pars rubricae tit. 48, lib. III Decretalium, cuius prima pars locum obtinuit initio huius tituli « De ecclesiis ». Ordinem eorum, qui reficiendarum ecclesiarum obliga-

[1] Reg. iuris 72 in 6°.

tione tenentur, plene exhibet *can. 1186* sub tribus numeris pro ecclesiarum diversitate. *Salvis* a) *peculiaribus* regionum, dioecesium, forsitan quod diversas ecclesias, *legitimisque* ad normam can. 26-28 *consuetudinibus*, sive praeter legem sive contra huius canonis praescriptum, etiamsi « centenariae non sint et immemorabiles » (can. 5). b) *et conventionibus* quoad singulas ecclesias supple: « legitimis », seu quae ad normam sacrorum canonum initae sint, forsan sequenti praescripto circa ordinem contrariae, nec respicit illud verbum « initas ab Apostolica Sede cum variis nationibus conventiones, nam eae vigere pergent » ex norma communi can.s 3, *et* c) *firma obligatione* dum existat *quae ad aliquem* singularem hominem etiam extraneum Ecclesiae. forsitan ut administratorem familiae vel entis iuridici societatis civilis *spectet*, undecumque illa obligatio procedat *etiam ex constituto legis civilis*, quin propter canonem robur novum distinctum eidem obligationi accedat. Hoc praeambulum ad singulos sequentes numeros extenditur. Post haec igitur:

1°. Onus reficiendi ecclesiam cathedralem sic dictam propter Episcopi residentialis cathedram *incumbit ordine qui sequitur;* ita ut si praecedentes ad reparandam ecclesiam sufficiant, subsequentes non teneantur:

Bonis fabricae, quae nempe « ad easdem ecclesias quomodocumque pertinent » [1], iuxta illud Conc. Trid. [2]: « Episcopi... fabricarum reditus in usus ecclesiae necessarios, et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent », quorum iudicium attendat oportet id quod in canone additur: *salva ea parte quae necessaria est* a) *ad cultum divinum celebrandum,* utpote qui est finis ecclesiarum, b) *et ad ordinariam ecclesiae administrationem,* quia huic praecipue sunt illa bona destinata;

In cap. 1 tit.i cit.i Decretalium generaliter dicitur: « Quicumque ecclesiasticum beneficium habent, omnino adiuvent ad tecta Ecclesiae restauranda, vel ipsas ecclesias emendandas ». Nam ait Glossa: « ubi est emolumentum, ibi debet esse onus », servata quidem iustitia distributiva. Huic iuri congruit canon. quando subdit: *Episcopo et canonicis* « capituli cathedralis », et ob rationem praescripti comprehensis quoque « dignitatibus et inferioribus beneficiariis seu man-

[1] Cap. 7. sess. XXI de Ref. Conc. Trid. — [2] Cap. 3. in fine. sess. XXIV de Ref.

sionariis », si res ferat, additur enim: *pro rata proventuum* cum effectu, ac proinde non supputatis redditibus in taxas seu expensas ratione perceptionis exsolvendis, tum mensae episcopalis quoad eum. tum praebendarum singularum quoad alios. Imo cum beneficium sit propter officium, et dignus sit operarius mercede sua, sequitur: *detractis necessariis ad honestam sustentationem* pro singulorum ecclesiastica et singulari conditione;

Cum ecclesia cathedralis sit in omnium dioecesanorum utilitatem constituta, dictat aequitas sequentem gradum: *Dioecesanis,* attamen ut levius sit onus voluntarie susceptum, additur: *quos tamen Ordinarius loci* (can. 198, § 2) *suasione magis quam coactione,* ad quam ius habet Ecclesia, *inducat ad sumptus necessarios,* secundum distributivae iustitiae dictamen, scilicet: *pro eorum viribus* seu facultatum, *praestandos,* idest: per contributum exsolvendos, prout ex conscientia tenentur.

Conc. Trid. [1] sequentia statuit: « Episcopi... parochiales ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari procurent ex fructibus, et proventibus quibuscumque, ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos, ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque appellatione, exceptione et contradictione remota ». Cum una vel altera modificatione illud decretum affertur sub n.° 2°. *Onus* a canone praesuppositum et hic confirmatum, *reficiendi ecclesiam paroecialem* seu « paroeciae » (can. 216) qua talem, etsi haec religiosorum propria fuerit, *incumbit ordine qui sequitur: — Bonis fabricae ecclesiae* de qua est sermo, *ut supra* statutum est ac declaratum de ecclesia cathedrali: — *Patrono* in secundo gradu, quamvis videretur hic sequentibus aequiparari in decreto conciliari citato, huiusque verba « omnes patronos » mutavit in verbum singulare « patrono ». nempe: illi, qui « ex titulo aedificationis ius patronatus habet ». huius enim onus est « intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum, ecclesiam denuo aedificare vel restaurare » (can. 1469, § 1, 2°, et § 3); — Prosequitur canon ipsius Conc. Trid.[1] verbis: *Iis, qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes per-*

[1] Cap. 7. sess. XXI de Ref.

cipiunt, sive ratione beneficii in eadem siti, sive alio motivo, sed illi certo designantur propter verba tum cit.[1] cap.[8] 4 huius tit. (48, III) Decretalium, ac praesertim parochus semper determinatus est iuxta cap. 1 cit. tit. statuentis: « De his qui parochiales ecclesias habent duximus respondendum (ait Alex. III) quod ad reparationem et institutionem ecclesiarum (parochialium) cogi debent, cum opus fuerit (propter non adimpletam obligationem eis incumbentem in ecclesiae ipsius necessitate), de bonis, quae sunt ipsius ecclesiae, si eis supersint, conferre, (ergo de superfluis ratione parochiae receptis), ut eorum exemplo ceteri invitentur ». Hoc caput prae oculis habeat Ordinarius adimplens sequentem clausulam: *secundum taxam pro rata redituum*, sicuti supra determinata et declarata est similis « pro rata proventuum » *ab Ordinario* loci, cui paroecia subiiciatur, *statuendam* obligatorio modo. — Non sic manet in vigore conciliare decretum quoad sequentes, dum memorans canon subdit: *Paroecianis*, eo quod non sint « a parochi cura subducti » legitime (can. 464, § 2), ac insuper corrigens illud caput addit: *quos tamen Ordinarius loci*, cui ipsi subiiciantur, *ut supra* determinatum est de « dioecesanis » sub n.° 1°, *magis hortetur quam cogat*, quin coactio prohibeatur, dum prudentia eam suadeat;

Propter easdem iuridicas rationes profluit aequitas praescripti sub n.° *3°*. *Haec cum debita proportione* cum 1° vel 2° num.° *serventur etiam* sive quoad obligatos sive quoad ipsorum ordinem, *quod attinet ad alias ecclesias* reficiendas, v. gr. si agatur de collegiata, non Episcopus, sed « canonici », ut supra declarati sunt, « capituli collegialis » eiusdem (can. 391, § 1), si vero tractetur de alia ecclesia sita intra paroeciae fines et ab ea dependente, iidem qui pro paroeciali sed minus obligarentur, excepto patrono paroecialis, quem substitueret patronus ecclesiae reficiendae, si adsit, demum si alia quaecumque sit ecclesia reficienda in defectu eorum qui obligantur, Ordinarius ac eiusdem rector per ecclesiasticos reditus ad similem pietatis actum destinatos, vel per eleemosynas fidelium tenerentur reparationem curare.

38. **De ecclesiae legitima reductione in usum profanum.** Conc. Trid. [1] statuit: « si nimia egestate omnes laborent (qui restaurare paroeciales ecclesias debebant) ad matrices, seu viciniores

[1] Cap. 7. sess. XXI de Ref.

ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas paroeciales, quam alias ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi ». Haec disciplina fuit translata in *can. 1187. Si qua ecclesia* sine distinctione: ergo per se collegiata quoque, basilica, paroecialis, quae infra exprimitur, etiam religiosorum, et quaelibet alia, prout extat, *nullo modo,* propter eius imminentem ruinam vel insalubritatem *ad cultum divinum* ob quem aedificata est *adhiberi possit*, hoc primum, *et* insuper *omnes aditus* etiam in can.[e] praec.[i] non memorati v. gr. piorum eleemosynae vel ecclesiarum aliarum, bonorumque ecclesiasticorum spontaneae elargitiones, *interclusi sint ad eam reficiendam* in usum praedictum, sub his conditionibus tantum, quia in Dei honorem « semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum » iuxta reg. 51 Iuris in 6°, *in usum profanum* seu communem ceterarum domuum, *non sordidum,* seu deiectum v. gr. stabulum equorum, *ab Ordinario loci,* cui fortassis propter familiae religiosae derelictionem concredita mansit, vel per ipsam alienanda, *redigi potest,* servatis duabus cautionibus sequentibus: I[a] *et onera cum reditibus* ad ecclesiam pertinentibus, clausula intelligenda circa quamlibet ecclesiam, II[a] *titulusque paroeciae*, nempe: illius appellatio, atque, ut alias patebit, cum territorio, fidelibus, illiusque accessoriis, *si ecclesia sit paroecialis, in aliam ecclesiam ab eodem Ordinario* redigente illam in usum profanum *transferantur.* Huius praescripti ratio et modus vi can. 1426 servandus exhibentur in cap. Conc. Trid. supra citato his verbis: « Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant, et ex hominum memoria excidant: episcopi etiam tamquam Sedis Aplcae. delegati (quae clausula nunc obsoleta est), transferre possunt beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis quae vetustate vel alias collapsae sunt et ob eorum inopiam nequeunt restaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices, aut alias ecclesias locorum eorumdem, seu viciniorum, arbitrio suo, atque in eisdem ecclesiis erigant altaria, vel capellas sub eisdem invocationibus; vel in iam erecta altaria, vel capellas transferant cum omnibus emolumentis, et oneribus, prioribus ecclesiis impositis ».

TITULUS X.

De Oratoriis.

CAN. 1188. - § 1. Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam.

§ 2. Est vero oratorium:

1.° *Publicum*, si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi;

2.° *Semi-publicum*, si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire;

3.° *Privatum* seu *domesticum*, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit.

CAN. 1189. - Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semi-publica gaudent.

CAN. 1190. - Aediculae in coemeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectae, sunt oratoria privata.

CAN. 1191. - § 1. Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur.

§ 2. Quare in oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem, ad normam can. 1155, 1156, dedicatum fuerit, omnes sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto.

CAN. 1192. - § 1. Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia.

§ 2. Ordinarius hanc licentiam ne concedat, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit.

§ 3. Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate.

§ 4. In collegiis aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis, etc., praeter oratorium principale, alia minora ne erigantur, nisi, Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat.

CAN. 1193. - In oratoriis semi-publicis, legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit.

CAN. 1194. - In privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can. 1190, Ordinarius loci permittere habitualiter potest etiam plurium Missarum celebrationem; in aliis oratoriis domesticis, nonnisi unius Missae, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa; Ordinarius autem has permissiones ne elargiatur, nisi ad normam can. 1192, § 2.

CAN. 1195. § 1. In oratoriis domesticis ex indulto Apostolicae Sedis, nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, celebrari potest, postquam Ordinarius oratorium visitaverit et probaverit ad normam can. 1192, § 2, unica Missa, eaque lecta, singulis diebus, exceptis festis solemnioribus; sed aliae functiones ecclesiasticae ibidem ne fiant.

§ 2. Ordinarius vero, dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem.

CAN. 1196. - § 1. Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum.

§ 2. Licet oratoria domestica et semi-publica communi locorum domorumve benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera.

39. **Inscriptio Tituli et canonum coordinatio.** Sequitur *Titulus X* inscriptus *De oratoriis,* quae spectata vi nominis, sunt loca orationis, et de his verificatur quod legimus in Decreto Gratiani ex Conc. Aurelianensi c. 3 [1]: « Unicuique fidelium in domo sua Oratorium licet habere, et ibi orare. Missam autem ibidem celebrare non licet ». Attamen ob huius Tituli insertionem sub sectione inscripta « de locis sacris », oratoria hic sumenda sunt stricto sensu tanquam « divino cultui deputata benedictione aliqua per probatum librum liturgicum praescripta », etsi alia insuper oratoria veluti accidentaliter in sequentibus canonibus moderata inveniantur. Oratorii definitionem ac divisionem offert primo can. 1188, cuinam vero divisionis membro accensenda sint quaedam oratoria peculiaria, edicunt statim can. 1189, 1190, et normae canonicae sequuntur de oratoriis publicis in can. 1191, de semi-publicis in can. 1192, 1193, de privatis ac domesticis denique in can. 1194-1196, quamvis sub postremo quidquam determinetur commune semi-publicis quoque oratoriis.

40. **Definitio ac divisio oratoriorum.** *Can. 1188. § 1. Oratorium,* prout ab ecclesia iure distinctum, *est locus,* ut plurimum sacer, proinde rite benedictione saltem donatum, semper tamen *divino cultui* intra ipsum exercendo unice *destinatus* saltem interventu ecclesiasticae auctoritatis, et hucusque concordat cum ecclesiae definitione, a qua discernitur sequenti parte negativa: *non tamen eo potissimum fine,* qui non excluditur in quibusdam oratoriis, *ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam,* quae pars interpretanda est sicut aequivalens canonis 1161.

Oratoria distinguuntur in publica, privata et « quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, oratoria semi-publica sunt et vocantur ». Haec divisio canonica evasit propter S. Rit. Congr. Dec.m [2], in quo perspicue traduntur singulorum definitiones, videlicet: — Oratoria publica sunt ea: « quae auctoritate Ordinarii — ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata — ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum ». Tres ergo sunt eorum proprietates: interveniens Ordinarii auctoritas, dedicatio perpetua ad Dei cultum, et quod fideles iure nequeant ab

[1] Cap. 33. D. I de Consecratione. — [2] 23 Ian. 1899.

ingressu prohiberi, etiamsi ad hoc transire deberent per atrium aut viam privati dominii, quamvis iuxta S.ae C. C. resolutiones in casibus exigeretur illius dominii abdicatio, saltem scriptura fideli.

Invenire tamen licet oratoria quae censentur publica sine hac tertia conditione, cuius locum tenet beneficium perpetuum in oratorio constitutum, sed erectum debet esse ante annum 1616 (in cuius die 23 Iulii in Eugubina) S. C. C. ne deinceps fieret idipsum, statuit. Haec prosequuntur gaudere propriis iuribus quaesitis ad normam can. 4 propter physicam vel moralem personam ad quam pertineant.

Normam in posterum servandam, respectu habito ad « potissimum singulorum oratoriorum finem », tradit § *2. Est vero oratorium: — 1° Publicum, si praecipue erectum sit* hac intentione practica, nempe: *in commodum* spirituale *alicuius collegii* idest: personae moralis *aut etiam* tantum *privatorum* seu personarum physicarum, quapropter est oratorium, *ita tamen ut omnibus fidelibus,* non secus ac ecclesia, *tempore* quolibet, aut *saltem divinorum officiorum,* quorum nomine ob analogiam can. 2256, 1° etiam hic « intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur. et a solis clericis fieri queunt », dum ergo haec fiunt in oratorio publico *ius sit* fidelibus, proinde non impediendis, *legitime* idest: ad normam ss. canonum *comprobatum* seu fundatum, *illud* oratorium libere *adeundi; —* Cum haec notio, considerato can.e 1191, cum iure veteri plene concordet, dicendum est vi can. 6. n. 2° pleno iure pollere responsionem S. C. R. in Vicen. [1] ad Dubium « V. Utrum Cappellae navium aut Altaria in ipsis navibus erecta pro Sacro litando debeant considerari ut Oratoria privata vel publica? Et Sacra eadem Congr. rescribendum censuit. Ad V. Si Cappella locum fixum habeat in navi, uti publica habenda est: secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti Altare portatile ».

« Leo XIII... in cit. Dec.o sub §o 1a statuit et declaravit oratoria semi-publica ea esse, quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, — commodo tamen non fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, — sed alicuius communitatis vel personarum coetus

[1] 4 Mart. 1901, n. 4069.

inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum missae sacrificium offerri potest, (et quidem etiam sine limitatione numeri ac dierum), ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi sacrum satisfacere valent ». Hoc ultimum viget propter can. 1249, eo quod retenta est in Codice notio eadem, declarante §° 2°. « Est oratorium » : 2° *Semi-publicum, si in commodum alicuius* a) *communitatis* ad modum organici corporis constitutae, sive religiosa sit sive absque votis, b) *vel coetus fidelium eo convenientium,* quamvis vera communitas dici nequeat, qua de causa notio ecclesiae eliminata remanet, sed *neque liberum cuique sit*, seu pro libitu, licentia non requisita *illud adire* occasione exercitii cultus divini, et in hoc ab oratorio publico discernitur.

« Huius generis oratoria sunt: quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia instituta et societates votorum simplicium, aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; — ad domus spiritualibus exercitiis addictas; — ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendis destinata, — ad nosocomia, orphanotrophia, — necnon ad arces et carceres; — atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam missam ».

Prosequitur canon quem commentamur: 3°. *Privatum* per oppositionem ad « publicum et semi-publicum », *seu domesticum* est oratorium, ut ipsum nomen innuit, *si* a) *in privatis aedibus,* quae nempe in usu publico non veniunt, b) *in commodum alicuius tantum familiae* insimul commorantis *vel personae privatae* idest: physicae, *erectum sit,* etiamsi in aliorum utilitatem redundet. In Dec.° gen.ⁱ cit.° adiungebatur: « ex indulto S. Sedis ». Ergo non patent universis fidelibus ex prima proprietate, non dedicantur in perpetuum, quia tempore persona vel familia deficit, et ultimo auctoritas Ordinarii non sufficeret ad eorum erectionem, quod tamen in iure Codicis non semper verum est.

41. **Oratoria semi-publicis aequiparata.** Postremum assertum confirmatur ex *can. 1189.* In fine Decreti super oratoriis semi-publicis legitur: « Voluit Sanctitas sua (Leo videlicet XIII) sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites, atque Ordines Congregationesque Regulares ».

a) Quoad oratoria Episcoporum, « S. R. C. in Bituntina [1] decrevit: In Cappella Palatii Episcopalis etiam absente Episcopo, vel vacante Sede, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium; nec non diebus Festis inibi sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae ».

b) Quoad Cardinales vero, etiam solum Diaconos, censuit S. C. C. [2] « capellas et oratoria ad illorum usum ubique locorum extructa minime comprehendi in prohibitione Const.[a] iussu s. m. Pauli V iam pridem editae de non celebrando in privatis aedibus ».

c) Quoad Cardinales et Episcopos indiscriminatim extat Dec. S. R. C. [3] in quo Leo XIII decernit: « Ut Episcopi omnes sive dioecesani sive titulares eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur PP. Cardinales, scilicet ut non solum ipsi in propriae habitationis oratorio, aut super ara portatili ubicumque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant ».

Illa iura quoad ecclesiasticas Dignitates plenius tradit nunc *can. 1189. Oratoria* « in commodum » *S. R. E. Cardinalium,* quamvis ordinis diaconalis, ac vi Dignitatis, *et Episcoporum sive residentialium* etiam ante susceptam consecrationem, tum in Palatio episcopali tum extra illud, *sive titularium,* utrorumque « ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis » (can. 349, § 1), *licet privata* secundum horum definitionem in praec.[i] can.[e] n. 3°, *fruuntur tamen omnibus* a) *iuribus,* v. gr. quod « legi de audiendo Sacro ibidem satisfiat » (can. 1249), quae recensentur in can. 1193, b) *et privilegiis* sive praeter ius, sive contra ius concessis, *quibus oratoria semi-publica* omnia vel in aliquo loco *gaudent;* hoc est: sub horum iuridica significatione veniunt, quod bene notetur. — Circa Ordines ac Congregationes haec teneantur. Praeter privilegia de hac re singulis religionibus directe concessa, ius commune in can. 1192. 1193 explicabitur.

42. **Oratoria quae declarantur privata.** Dec. gen. saepius cit. postquam de oratoriis semi-publicis tractavit, sic prosequitur: « Quibus adiungi debent capellae in coemeterio rite erectae, dummodo, in Missae celebratione, non iis tantum ad quos pertinet, sed

[1] 2 Iul. 1661, n. 1196. — [2] 18 Feb. 1623. — [3] 8 Iun. 1896, n. 3906.

aliis etiam fidelibus aditus pateat ». Sublata conditione, quae oratorii conditionem arbitrio relinquebat privatorum, abrogatur haec dispositio partialiter in *can. 1190. Aediculae* a) *in coemeterio* quolibet, etiam ecclesiasticae auctoritati non subiecto. b) *a familiis seu personis privatis,* eorum nempe sumptu, sed praesertim attendendum. c *ad suam sepulturam.* forsan aliorum quoque comprehensa, *erectae, sunt* revera ad normam can. 1188, § 2. n. 3°, et quandoque contra ius praec. *oratoria,* quae melius dicuntur *privata* ut supra, quam domestica.

43. **Ius de oratoriis publicis.** *Can. 1191.* Iuri praecedenti plene congruit § *1. Oratoria publica eodem iure* (sumpto pro ss. canonibus) *quo ecclesiae* intellectae ad normam can. 1161 *reguntur.* Proinde normae de his supra declaratae in praec. Titulo valent pro illis, et significatio iuridica verbi « Ecclesia » comprehendit dicta oratoria.

Hinc sequitur § 2. *Quare in oratorio publico,* a) *dummodo auctoritate Ordinarii* loci sit erectum ad normam can. 497, 1162, b) *ad publicum Dei cultum* ex natura ipsius oratorii c) *perpetuo,* quia de sacramentali constitutivo agitur, d) *per benedictionem* « sub formula in Rit. Rom. praescripta » quam memorati sumus in praec. Titulo *vel consecrationem* ex ritu Pont.[s] Rom.[i] etc. *ad normam can. 1155, 1156* de ministro alterutrius legitimo, *dedicatum fuerit,* his vero impletis, quae actus validitatem etiam afficiunt. sicut declaratum ibidem fuit, excepta circumstantia sub littera *a*) expressa. ex tunc *omnes sacrae functiones,* scilicet cultus liturgici. *celebrari possunt,* cum limitationibus ex clausula: *salvo contrario* quoad earum aliquam *rubricarum* idest: legum liturgicarum. quae proinde « vim suam retinent » (can. 2). *praescripto.*

44. **Oratoriorum semi-publicorum erectio.** Cum ius de ecclesiis haec oratoria non regat, de horum erectione fuit condendus *can. 1192.* Non secus ac in iure praec. ait § 1. *Oratoria semipublica* etiam religiosorum. vi huius canonis *erigi.* hoc est: constitui ut talia *nequeunt sine Ordinarii,* nempe: loci vel Superioris maioris in religionibus clericalibus exemptis, *licentia.* Ita in ius versum est privilegium regularibus recognitum per Dec. S. R. C. in Secovien [1].

[1] 10 Nov. 1906, ad 1. n. 4190.

Cum autem Conc. Trid. edixerit [1] « neve patiantur (Episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi », sequitur vetitum § 2. *Ordinarius* quilibet ex declaratis in § 1° *hanc licentiam* sub §° eodem *ne concedat, nisi prius* a) *per se vel per alium* propter receptam sacram ordinationem *ecclesiasticum virum*, non per laicum vel monialem aut sororem, *oratorium* seu locum ad hoc dispositum *visitaverit* b) *et* ex oculata inspectione *decenter* pro sacrificii dignitate *instructum* necessariis *repererit*. Ita extensum est partialiter et cum moderatione ad semi-publica oratoria quaecumque praescriptum can. 1196.

Effectus licentiae subiungit § 3. *Data autem licentia*, de qua in § 1°. propter auctoritatis interventum fit locus saltem religiosus, cui comitatur iuris effectus sequens: *oratorium* « licet communi locorum domorumve benedictione aut nulla benedictione donetur » (can. 1196, § 2) *ad usus profanos* seu communes vitae hominum *converti nequit* licite, *sine eiusdem Ordinarii*, qui licentiam concessit, *auctoritate*, secundum reg.m Iuris [2]. « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ».

Oratoria etsi secundaria in eisdem aedibus inter semi-publica sunt connumeranda propter huius canonis § 4. *In collegiis* etiam quoad doctrinam, *aut convictibus* solum quoad mores, quae destinata sunt *iuventuti* utriuslibet sexus *instituendae*, b) *in gymnasiis, lyceis*, ubi solum scholae habentur, c) *arcibus* proprie dictis, d) *praesidiis militum* ad eorum commorationem, e) *carceribus* ad luendas poenas, f) *xenodochiis*, seu peregrinorum hospitiis, *etc.*, nempe: in quibus supponitur posse oratorium semi-publicum iure, quamvis enuntiatae domus sint publicae, sed profanae omnino, erigi, *praeter oratorium principale* ad quod « coetus fidelium » ibi commorantium conveniant, *alia minora ne erigantur*, in eorum quoque commodum v. gr. « in piis communitatibus, sive ob numerum sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit, sive in gratiam infirmorum, qui nequeunt adire Cappellam seu Oratorium principale » prout accidit etiam in hospitalibus, de quorum erectione

[1] Dec. de observandis et evitandis in celebratione missae, sess. XXIII. — [2] Cap. 1, de regulis iuris tit. 41 Lib. V.

interrogata S. R. C. in Nivernen.[1] respondit: « Si porro ex piarum Communitatum conditione necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro eius erectione facultas erit a S. Sede obtinenda », nunc in canone prohibentur illa erigi, *nisi*, *Ordinarii iudicio* loci vel Superioris maioris in religionibus clericalibus exemptis, a) *necessitas* vera sed quaelibet, b) *aut magna utilitas id exigat,* nec quaecumque, multo minus sola commoditas sufficit.

45. **Ius de oratoriis semi-publicis** summarie traditur in *can. 1193. In oratoriis semi-publicis*, canonica significatione, *legitime* id est: ad normam can. 1189, 1192, *erectis* seu designatis, a) *omnia divina officia* cum significatione verborum expressa sub can. 2256. b *functionesve ecclesiasticae*, nempe: ab Ecclesia probatae, *celebrari* licite *possunt*, sed limitatur id ex iure: *nisi obstent rubricae,* sicut aequipollens clausula fuit de oratoriis publicis explicata, et potest limitari ab homine, nempe: *aut Ordinarius* oratorium concedens *aliqua* « officia divina » *exceperit.*

46. **Ius Ordinarii de oratoriis privatis.** Quod Leo XIII implicite concesserat in Dec.° gen.ⁱ saepius citato, expresse dicitur in *can. 1194. In privatis coemeteriorum aediculis* sine conditione, *de quibus in can. 1190* iam declarato agitur, *Ordinarius loci* (can. 198, § 2) *permittere habitualiter*, id est: pro libitu privatorum ad quos illae pertinent, *potest* iure suo faciendam per diversos sacerdotes *etiam plurium Missarum* eodemque die *celebrationem;* e contra *in aliis oratoriis* sumptis etymologico sensu, *domesticis* significatione descripta sub n.° 3° §ⁱ 2ⁱ can. 1188, *nonnisi* a) *unius Missae* « celebrationem » permittere potest, b) *per modum actus* in respectu ad seq.ˢ conditiones c) *in casu aliquo extraordinario*, qui proinde raro eveniat, d) *iusta et rationabili de causa*, nempe: proportionata secundum prudens iudicium, qui casus cum causa ut declaratum est, si de novo accidant circa idem oratorium, eadem potestate gaudet. Servet tamen adhuc vetitum sequens: *Ordinarius autem has permissiones* tum « habitualiter », tum « per modum actus » *ne elargiatur* secundum eius potestatem, *nisi ad normam can. 1192,* § 2 de visitatione satisfactoria ibi explicatam.

47. **Oratorium domesticum ex privilegio generali,** quod « in usu adhuc nec revocatum, integrum manet » (can. 4) con-

[1] 8 Mart. 1879 ad II, n. 3484.

cessum est Auditoribus Rotae, idemque confirmatum est Motu proprio Pii X « Inter multiplices » [1] protonotariis sive participantibus, sive supranumerariis, sive ad instar participantium. En Documenti textus: « 11... Protonotariis participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsis Abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

« 22. (Protonotarii Aplci. Supranumerarii). Gaudent Indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virg., SS. Aplrum. Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

« 46. (Protonotarii ad instar). Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis.... ut supra nn. 21, 22, 23,... ac iisdem sub conditionibus ».

48. **Ius de oratoriis domesticis** iuri praec.ᵢ seu Dec.° Clem. XI [2] congruens exhibetur in *can. 1195.* § 1. *In oratoriis domesticis* supra definitis in can. 1188, § 2, 3°, non privato arbitrio erectis, sed *ex indulto* necessario ac tantummodo *Apostolicae Sedis* per S. Congr.ᵐ de disciplina Sacramentorum ad normam can. 7, 249 § 2, prout cavetur in « Normis peculiaribus » [3] his verbis: « Peculiariter vero ad eam pertinet has concedere facultates:... *b*) celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et caetera largiendi privilegia quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans ». Nec canon respicit per verbum « indulto » (proprie accipiendo ad tempus, utpote personali vel familiari) privilegia generaliter concessa sive in Codice sive extra illum, haec enim « ex uniuscuiusque tenore aestimanda sunt, nec licet illa extendere aut restringere (can. 67), ac interpretanda sunt ad normam can. 50 » (can. 68). Vi ergo supra declarati indulti, *nisi aliud* diversum a

[1] 21 Feb. 1905, Acta S. Sedis XXXVII, 491. — [2] 15 Dec. 1703. — [3] Cap. VII, Art. III, n. 10°.

canonis praescripto *in eodem* singulari *indulto expresse*, illiusmet verbis seu clausulis *careatur*, quo casu implicite canonis praescriptum derogatur, quin necesse sit hoc edici, alias *celebrari potest* licite, sub conditione duplici: *postquam Ordinarius* loci ex contextu « per se vel per alium ecclesiasticum virum » *oratorium* a) *visitaverit* b) *et probaverit*, quod ultimum debet facere ad normam can. 51, 54, si illud « decenter instructum reperit », alias non, eo quod canon addidit: *ad normam can. 1192*, § 2 illas conditiones statuentis pro licentiae concessione, qua deficiente « oratoria semi-publica erigi nequeunt » (can. 1192, § 1). In quocumque igitur praefato indulto implicite continetur iure ad normam huius canonis, uti obiectum celebrationis a) *unica Missa* etiam die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, b) *eaque lecta*, seu sine ministris, diacono et subdiacono, atque sine cantu, c) *singulis diebus*, etiam dominicis ac de praecepto, d) *exceptis*, tum « in Indulto » unoquoque (Dec.° Clem. XI), tum *festis solemnioribus;* nempe: iuxta declarationem S. Rit. C. [1]: « Illi per se sunt solemniores in casu, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum Libr. II, Cap. XXXIV, § 2 et de praecepto servantur ». Sunt sequentes iuxta Codicem: « dies Nativitatis D. N. Iesu Christi, festum Epiphaniae Domini,... dominica Resurrectionis, dies Ascensionis, dominica Pentecostes, festivitas... Assumptionis B. Mariae Virginis, festum Beatorum Petri et Pauli, festum omnium Sanctorum, festum Sancti Titularis Ecclesiae, et Patroni », hoc ultimum alterutrum si fuerit inter alios dies festos de praecepto ad normam can. 1247, § 1, v. gr. festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. vel ex singulari concessione post Codicem.

Datam interpretationem indirecte confirmat et canonis clausulae maiorem lucem affert sequens Dec. S. Congr.ª de disciplina Sacramentorum in Romana et aliarum [2]. « I. An Missa in Oratoriis privatis prohibita sit diebus festis Commemorationis solemnis S. Ioseph, Annunciationis B. M. V., Commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C. et in festo Patroni cuiusque loci, quum non sint de praecepto? — II. An prohibita censeatur in festo Ssmae Trinitatis, in Dominica infra octavam Corporis Christi et in Dominica qua celebratur Nativitas S. Ioannis Baptistae?

[1] 10 Apr. 1896, n. 3896. — [2] 11 Apr. 1913, CO, V, 183.

Quibus dubiis Emi... Cardinales... responderunt: Negative ad utrumque ».

Nihil aliud praeter Missae celebrationem conceditur ex huiusmodi indulto, sic enim explicit § 1: *sed aliae functiones ecclesiasticae*, videlicet: quae ob sacram Ecclesiae liturgiam seu de cultu divino legislationem sunt celebrandae in loco, qui cultui praedicto sit deputatus, *ibidem* scilicet: « in oratoriis domesticis » quibuslibet *ne fiant*. Vetitum per se grave, admittens materiae parvitatem ex functione ac iterationis defectu iudicandam.

Ex solutione ad Dubium II in Meliten. per S. Congr. de Sacramentis [1] desumptus est ad verbum § 2, dum solutio ad I Dubium opportune fuit relata in can. 822, § 4, quando tractatum est de loco Missae celebrandae. *Ordinarius* (loci ex contextu) *vero*, idest: non obstante norma § 1[1], *dummodo* a) *iustae* seu proportionatae *adsint et rationabiles* hoc est rationi innixae *causae*, non pro arbitrio vel ob cuiuslibet affectum, b) *diversae ab eis ob quas indultum* cum dierum limitatione supradicta *concessum fuit*, alias enim Ordinarius contra Sedis Apostolicae mentem evidenter ageret, *etiam sollemnioribus diebus*, quando ex indulto non liceret iuxta horum declarationem in §° 1° datam, *permittere potest*, hinc « haec potestas eidem est explicite concessa » (can. 81), sed *per modum actus* pro uno tantum vel altero die, atque unius *Missae celebrationem*; « servatisque de iure servandis », sicut additur in supra dicta solutione Sacrae Congregationis.

49. **De oratoriorum benedictione**. Oratoria publica « iure quo ecclesiae reguntur » (can. 1191, § 1) quoad dedicationem « divino cultui vel sollemni consecratione vel saltem benedictione » (can. 1165 § 1), sicut Dec° generali S. R. C. [2] iussum fuerat. Ex eodem Dec. sumptus est *can. 1196*, § 1. *Oratoria domestica*, seu « privata » quaecumque, a) *nec consecrari* b) *nec benedici possunt* licite *more ecclesiarum;* prout S. Congr. mandavit sub n. VI; « sed ea tantum formula benedicantur, quae pro domo nova aut loco in eodem Rituali habetur », et quae est invocativa tantum.

Nec talis benedictio iubetur, nam ait § 2. *Licet oratoria* a) *domestica* b) *et semi-publica communi locorum domorumve*, ut supra, *benedictione*, quae sufficere implicite asseritur, sed non est

[1] 22 Mart. 1915. CO. VII, 147. — [2] 5 Iun. 1899, II, n. 4025.

praescriptum, sicut patet ex verbis: *aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse*, ut necessaria huiusmodi oratoriorum iuridica conditio, a) *divino tantum cultui reservata* positive, b) *et ab omnibus domesticis usibus libera*, ita ut ab eis auferantur quoque mobilia ad condendas vestes quaslibet de facto destinata. Haec conditio est necessaria, ut « in oratorio non consecrato vel benedicto ad normam iuris » Missa licite celebrari possit ad normam can. 822, qui sic explicit: « salvo praescripto praes. can. 1196 ». Recolantur quae ex cit. Dec.° relata sunt ad can. 1168 de festo titularis oratorii semipublici celebrando vel non.

TITULUS XI.

De Altaribus.

Can. 1197. – § 1. Sensu liturgico intelligitur:

1.° Nomine altaris *immobilis* seu *fixi*, mensa superior una cum stipitibus per modum unius cum eadem consecratis;

2.° Nomine altaris *mobilis* seu *portatilis*, petra, ut plurimum, parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam *ara portatilis* seu *petra sacra*; vel eadem petra una cum stipite qui tamen non fuit una cum eadem consecratus.

§ 2. In ecclesia consecrata saltem unum altare, praesertim maius, debet esse immobile; in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia.

Can. 1198. - § 1. Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra ex unico constent lapide naturali, integro et non friabili.

§. 2. In altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite cohaerere; stipes autem sit lapideus vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide.

§ 3. Petra sacra sit tam ampla ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat.

§ 4. Tum in altari immobili tum in petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum.

Can. 1199. - § 1. Ut Missae sacrificium super illud celebrari possit, altare debet esse, secundum liturgicas leges, cansecratum; idest vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili.

§ 2. Aras portatiles, salvis peculiaribus privilegiis, omnes episcopi consecrare possunt; quod vero spectat ad altaria immobilia, servetur praescriptum can. 1155.

§ 3. Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedicatione, quamvis omni die fieri possit, magis tamen decet ut fiat die dominico aliove festo de praecepto.

Can. 1200 – § 1. Altare immobile amittit consecrationem, si tabula seu mensa a stipite, etiam per temporis momentum, separetur; quo in casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore.

§ 2. Tum altare immobile tum petra sacra amittunt consecrationem:

1.° Si frangantur enormiter sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis;

2.° Si amoveantur reliquiae aut frangatur vel amoveatur sepulcri operculum, excepto casu quo ipse Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias.

§ 3. Levis fractio operculi non inducit exsecrationem et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare.

§ 4. Exsecratio ecclesiae non secumfert exsecrationem altarium sive immobilium sive mobilium et viceversa.

CAN. 1201. - § 1. Sicut ecclesia, ita quodlibet etiam ecclesiae altare, saltem immobile, proprium sibi titulum habeat.

§ 2. Titulus primarius altaris maioris idem debet esse ac titulus ecclesiae.

§ 3. De Ordinarii licentia mutari quidem potest altaris mobilis, non autem altaris immobilis titulus.

§ 4. Altaria Beatis, etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto.

CAN. 1202. - § 1. Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso.

§ 2. Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur.

50. **Inscriptio Tituli et canonum ordo.** Deinde considerandus est *Titulus XI*, qui inscribitur *De Altaribus*, seu de locis sacris quae altiora sunt in Ecclesia, et circum ea celebrari solent officia divina, quinimo « Missa celebranda est super aliquod eorum » ex praescripto can. 822, § 1. In altari quocumque duae partes sunt distinguendae, altaris mensa seu superior pars lapidea, quae semper consecratione dicanda est, et basis quae in altum sustentat illam, nec eidem semper intime coniungitur. Altarium diversitas in can. 1197 traditur cum consequenti praescripto, de omnibus vero altaribus normae dantur quoad materiam eorum ac formam in can. 1198, quoad eorum consecrationem et huius amissionem in can. 1199, 1200, de altaris titulo in can. 1201, ac denique ipsorum immunitas determinatur can. 1202.

51. **Diversorum altarium notio.** *Can. 1197.* Quamvis tam in usu quam respectu indulgentiarum sit attributa verbis sequentibus alia significatio, statuit § *1* ad normam iuris praecedentis: *Sensu liturgico*, idest: quoad cultus divini legislationem in Codice et extra illum *intelligitur: — 1° Nomine altaris immobilis seu fixi.* a) *mensa superior una cum stipitibus,* qui quamvis esse possint columellae marmoreae, alia forma non excluditur sicuti patet ex seq. declaratione S. R. C. in Nivernen. [1]: « quid intelligendum sit, quando praescribitur ut Altare consecrandum sit plenum: num scilicet sufficiat, ut tabula Altaris innitatur super quatuor lateribus ita clausis, ut post consecrationem nihil intra Altare immitti possit; vel an necessarium sit ut tabula Altaris ita innitatur substrato la-

[1] 28 Sept. 1872, n. 3282.

teritio operi, ut nihil omnino vacui subtus Altare ipsum habeatur? S. vero R. Congr. rescribere rata est: Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. Nec satis est « mensa cum stipitibus », adiungente canone: b) *per modum unius altaris cum eadem consecratis*. Participat ergo basis eamdem consecrationem; — 2° *Nomine altaris mobilis* de loco in locum, de basi in basim, *seu portatilis* « intelligitur », a) *petra, ut plurimum, parva*, quia posset magnitudine cooperire totam altaris superficiem, sed b) *quae sola* sine respectu ad substratum *consecratur, quaeque dicitur etiam* in legibus liturgicis propter sacrificium *ara portatilis, seu petra sacra* ob consecrationem; *vel* « nomine altaris mobilis » venit a) *eadem petra*, non sola, sed *una cum stipite*, b) *qui tamen non fuit una cum eadem consecratus*, qua de causa discernitur ab altari fixo. Quae notiones, si attente perpendantur, concordant, tantumque sunt distinctae ob stipitum considerationem in ultima.

Praescriptum sequitur relate ad ecclesiam in quo extant altaria. § 2. *In ecclesia consecrata*, ratione huius consecrationis ad normam can. 1165, § 3 *saltem unum altare, praesertim maius*, quia pro ecclesiae consecratione « una simul debet consecrari altare secundarium, si maius sit iam consecratum », quod altare vi huius canonis *debet esse immobile: in ecclesia autem benedicta* e contrario *omnia altaria possunt esse mobilia*, quin fixa respuantur.

52. **Materia et forma altarium.** *Can. 1198*, § 1. refert ius praecedens dum praescribit: *Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra* a) *ex unico constent* b) *lapide*, non haec ex duplici superiore et inferiore vel illa ex pluribus « lapidibus ad formam unius unitis » de quo altari interrogata S. R. C. in Fanen.[1] respondit: « Ad I. Reiterandam esse Altaris consecrationem, dummodo mensa ex integro lapide constituatur: alioquin si hoc commodi fieri non possit, parvus lapis medius collocatus consecretur ad instar Altaris portatilis », atque Rubrica Missalis generalis n. XX sic incipit: « Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum ». — Canon vero addit « ex lapide » c) *naturali*, non per artem confecto, (quamvis duritiem lapidis hic aequaret), d) *integro* prout integritas fractioni etsi inceptae opponitur, e) *et non friabili*, seu sufficienter duro, v. gr.

[1] 17 Iun. 1843, n. 2862.

ex marmore, ardesia, « schisto quodam satis duro », non autem ex gypso, prouti declaratum est, tum a S. C. S. Officii [1]: « An ex ardesia seu *lavagna,* ut dicitur, fieri possint altaria portatilia ut in iis celebretur. — R. Fieri posse », tum a S. R. C. in Lamacen [2]: « Dub. II. An retineri possint sacri lapides e schisto illo lapide efformati? — Dub. III. An retineri possint sacri lapides Reliquiis Sanctorum instructi ex gypso tamen constantes? Et S. R. Congr. rescribere rata est: Ad II. Affirmative. Ad III. Negative ».

Prosequitur canon pro altarium diversitate. § 2. *In altari immobili* a) *tabula seu mensa lapidea,* seu « superior altaris », *ad integrum altare*, quod etiam basi constat, *protendi debet*, hanc cooperiens, b) *et apte cum stipite,* qui e graduum superficie illam sustentat, *cohaerere*, unum corpus per unionem cum eo efformans; c) *stipes autem sit* totus *lapideus vel saltem latera seu columellae* pro diversa basis forma *quibus mensa sustentatur sint ex lapide* multiplici, ut patet. Huc pertinet rescriptum S. R. C. in Senien. et Modrussen. [3]: « Dub. I. Stipes Altaris fixi consecrandi debetne esse lapideus, ita quidem ut communiter putari ac facile probari possit totus lapideus? — Dub. II. Licetne consecrare Altare, cuius nucleus, quamvis lapideus, undique tamen tectus sit lateribus, quibus superinducta est crusta *marmorizzata*? Et S. R. C. rescribendum censuit. Ad I. Affirmative. Ad II. Negative ».

Ex Miss. Rom. loc. cit. est transumptus § 3. *Petra sacra sit tam ampla ut saltem hostiam et maiorem partem calicis* hoc est: basis eiusdem *capiat.*

§ 4. *Tum in altari immobili tum in petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum* utpote *continens reliquias Sanctorum, lapide* parvo *clausum* cum caemento ad hoc confectum. De illis legibus in Pont.[1] Rom.[0] inveniendis sub ritu « De Altaris consecratione » ac « De Altaris portatilis consecratione », sufficiat seq.[s] referre Declarationes S. C. R. In una S. Hippolyti [4] « S. R. Congr. rescribendum censuit. Ad II... Reliquiae recondendae sunt (quoad Altaria portatilia) in sepulcro intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto ». Et in Fulden. [5] circa altaria portatilia, quorum « sepulcrum non in medio

[1] 14 Maii 1681, Coll. S. C. de P. F. n. 224. — [2] 29 Ap. 1887, n. 3674. — [3] 14 Dec. 1888, n. 3698. — [4] 31 Aug. 1867, n. 3162. — [5] 31 Martii 1887, n. 3671.

sed in eorum fronte effossum est ac rete clausum », ad Dubia: « I. An eiusmodi altaria sint toleranda; vel immutanda sint ac denuo consecranda? — et II. Num in posterum sepulcrum Altaris portatilis in medio tabulae lapideae effodiendum sit? — S. R. C. rescribendum censuit: Ad I. Quoad Altaria portatilia, hucusque consecrata, Rm̃us Episcopus acquiescat. Ad II. Affirmative ». — In citata prius S. Hippolyti expositum fuit: « Altaria autem portatilia plerumque talia sunt, ut ex duabus partibus constent, quarum pars superior est lapis, pars inferior est lignum, et inter lapidem et lignum in quodam concavo spatiolo positae sunt reliquiae Sanctorum quae proinde ex una parte lapidem, ex altera parte lignum tangunt...: Quaeritur: an haec altaria portatilia in usu retineri possint? S. vero R. C. respondendum censuit: « Altaria portatilia, uti describuntur in dubio, admitti nequeunt ». Attamen in Pont. Rom. habetur ritus « De Altaris consecratione (equidem fixi), cuius sepulchrum Reliquiarum est in medio summitatis stipitis ». Denique in una Americae [1] propositum fuit seq. « Dubium III. Quid iudicandum de illis lapidibus sacris, quorum sepulcrum non in medio, sed in eorum fronte effosum fuit? » Et S. R. C. resp. « Ad III. Dicti lapides in posterum non sunt admittendi; quoad praeteritum vero, cum commode fieri possit, iterum breviori formula consecrentur ».

53. **De altarium consecratione.** Praescriptum iam erat in Miss. Rom. (loc. cit.) quod invenimus in *can. 1199.* § 1. *Ut Missae sacrificium super illud* utrumque « altare » §i 4i *celebrari* licite *possit, altare debet* sacrificii tempore *esse* iam prius, *secundum liturgicas leges*, quae « vim suam retinent » (can. 2) et hic etiam confirmantur, *consecratum*, quae consecratio essentialiter secundum illas constat ex inunctionibus quinque cum sacro chrismate « in medio tabulae altaris et in quatuor eius angulis » ac respectiva formula quinquies repetita, atque in inunctione simili sepulchri cum repositione rituali reliquiarum in eodem rite claudendo iuxta Pont. Rom., *idest vel totum* consecratur, nempe: tabula cum stipitibus, *si agatur de* altari *immobili*, *vel ara tantum portatilis*, quae sola tunc altare constituit, *si de mobili*.

De ministro alterutrius consecrationis cavet § 2. *Aras portatiles*, *salvis peculiaribus privilegiis*, quae vel pluribus forsan pre-

[1] 13 Iun. 1899, n. 4032.

sbyteris v. gr. Vicariis et Praefectis Apostolicis (can. 294, § 2) « cum sacris oleis ab Episcopo benedictis », vel singulari presbytero concessa sunt, *omnes Episcopi* charactere ad normam can. 1147, § 1, proinde titulares quoque, *consecrare possunt* etiam licite, quia altaria portatilia proprie sunt res sacrae; *quod vero spectat ad altaria immobilia*, quae utpote fixa in Ecclesia loca sacra vere dici queunt, *servetur* hac de causa *praescriptum can. 1155* iam explicatum. Quod praescriptum implicite secumfert recordationem can. 1157, qui dicitur firmus in privilegio S. R. E. Cardinalium sub n. 20° can. 239, § 1, et altaria immobilia comprehendit, utpote « loca sacra » ob situm cann. 1157 et praesentis, quem sumus commentati. Pont.e Rom. ritum « de Altaris portatilis consecratione » sic exorditur: « Altaris portatilis consecratio potest fieri quocumque die et loco, ieiuno tamen stomacho », quae « lex vim suam retinet » (can. 2) utpote in can. praetermissa. Idem autem Pont. ritum alterum continet « de Altaris consecratione, quae fit sine Ecclesiae dedicatione », cuius initium correxit § 3. *Consecratio altaris immobilis,* non vero simul cum Ecclesia, de qua consecratione idem positum fuit praescriptum in can. 1166, § 1, sed *quae fit sine Ecclesiae dedicatione* quacumque, *quamvis omni die* « de iure » ob hunc canonem *fieri possit* licite, *magis tamen decet,* clausula in cit. can. declarata, *ut fiat die dominico aliove festo de praecepto,* non item in « Sanctorum solemnitatibus » ut ait Pont. Rom., sed ad normam can. 1247.

54. **De altarium exsecratione.** S. R. C. in Senogallien. [1] quoad Dubium: « Utrum, amota mensa ab Altari ad modum fixi et non portatilis consecrati, necessario illud nova indigeat consecratione? — In casu, de quo agitur, Altare denuo consecrandum esse, decrevit ». Imo severior adhuc fuit interpretatio in Neapolitana [2] quoad sic expositum « Dub. VII. Avulsis ob humiditatem lapidibus, qui tegebant reliquias quorumdam Altarium, et nova calce firmatis, dubitabatur num praedicta Altaria indigerent nova consecratione. Exposito dubio S. R. Congr.[1], sub die 25 Sept. 1875 in una Ord. Cisters. responsum fuit: (quod bene notetur de Altaribus portatilibus). Si sepulcrum apertum non fuerit, sed tantummodo de novo, caemento firmatum, Negative; si secus, Affirmative.

[1] 15 Maii 1819. n. 2599. — [2] 23 Febr. 1884, n. 3605.

Nunc quaeritur. Haec decisio potestne etiam retineri quum tota mensa Altaris consecrati ad modum fixi e suis stipitibus sublevata, non omnino dimota, novo caemento ipsis stipitibus firmatur et coniungitur? S. porro R. C. rescribere rata est: Ad Dubium VII. Negative ».

Haec omnia complectitur et per illa explicandus est *can. 1200. § 1. Altare immobile amittit consecrationem* sibi propriam, *si tabula seu mensa a stipite*, quocumque ex motivo etsi necessitatis, *etiam per temporis momentum, separetur*, quamvis non dimoveatur, et « omnino integra permanserit, et Sanctorum Martyrum sepulcrum plane inviolatum ». Imo de hac praefata mensa « utrum ad instar Altaris portatilis haberi, in eaque Missae sacrificium celebrari possit, sine nova consecratione aut alterius lapidis rite consecrati substitutione? S. R. C. in Brixien. [1] rescribendum censuit: Ad Dubium: Negative ». — Sed prosequitur canon: *quo in casu* declaratae « separationis » *Ordinarius*, etsi non Episcopali charactere insignitus, imo, ut videtur, « Superior maior in religionibus clericalibus exemptis » (can, 198, § 1), quia « id expresse est iure concessum » (can. 210), quamvis actus in seipso sit ordinis episcopalis, potest *permittere ut presbyter* quilibet, ac etiam ipse « Ordinarius », iuxta reg. Iuris 79 in 6°. « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur », *altaris* praedicti, quod fixum est, *consecrationem rursus* seu ut immobilis *perficiat*, non ritu quo Episcopus utitur ex Pont. Rom., sed *ritu formulaque breviore*, quae nunc iam designata et approbata invenitur publici iuris facta sub die 9 Sept. 1920 [2]. Dum explicata exsecratio est illius altaris propria, de omnibus altaribus sequitur § 2. *Tum altare immobile tum petra sacra amittunt consecrationem:* — 1° Si *frangantur,* etsi partes non separentur, sicuti de illo S. R. C. respondit « Affirmative » in Policastren. [3] ad « Dubium I. An haberi debeat exsecratum Altare fixum, cuius mensa lapidea sit scissa in duas partes fere aequales,... neque ambae partes sint seiunctae a gradibus superioribus Altaris ipsius aut a stipitibus suppositis? » et econtra in Carpen. [4] respondit: « Quo vero ad Altaria cum integra lapidea mensa..; licebit super iis celebrare non obstante levi fractura in uno vel altero cornu ». Canon autem

[1] 20 Mart. 1869, n. 3198. — [2] CO. XII. 449. — [3] 28 Iun. 1879, n. 3497. — [4] 3 Mart. 1821, n. 2612.

verbis « si frangantur » addit: *enormiter*, a) *sive ratione quantitatis fractionis,* v. gr. in Altari fixo tertia pars eius, in ara portatili ita ut pars maior non sit sufficienter « ampla » (can. 1198, § 3), b) *sive ratione loci unctionis*, ita ut in singulis partibus sint loca inuncta, quod ex crucibus insculptis apparebit seu praesumendum esset; — 2° *Si amoveantur reliquiae,* a quocumque id fiat, b) *aut frangatur,* etiamsi « lapis sepulcri reliquiarum aliquas tantum habeat scissuras, quae vero sic inter se adhaereant ut nullimode dubitari possit de reliquiarum authenticitate », uti declaravit S. R. C. in cit. Policastren. ad Dubium II, c) *vel amoveatur sepulcri operculum.* nam « si sepulcrum apertum non sit, sed tantummodo novo caemento firmatum », sacrae arae propter hoc execratae non sunt reputandae, iuxta rescriptum S. R. C. in una Ordinis Cisterciensis [1], *excepto casu* (circa operculi amotionem) *quo ipse Episcopus,* secus dicendum, si alius etiam presbyter, nisi *vel eius* Episcopi fuerit *delegatus*, *operculum amoveat* a) vel *ad illud firmandum* caemento, b) *vel reparandum* propter levem fracturam, c) *vel subrogandum* novo operculo, d) *aut* solum *ad visitandas reliquias,* num in eo existant. Ad huius §[1] complendam declarationem deservit resp. S. R. C. in Bituricen. [2] ad seq. « Dubium 1. Utrum Altaria portatilia consecrationem suam amittant, quando fractum est sigillum, (nempe: cereum) quod reliquiis in sepulcro inclusis apponitur »; ac responsum fuit. « Ad 1. Quoad (hanc) primam partem; Negative ».

Die 9 Sept. 1920 publici iuris factus est « Ritus et formula brevior in consecratione altarium quae amiserunt consecrationem »: uti in casu de quo agit Codex Iur. Can. in can. 1200 § 2 nn. 1 et 2 [3].

Quandonam exsecratio non habeatur pro casibus frequentibus edicit § 3. *Levis fractio operculi*, quod supponitur lapideum, *non inducit exsecrationem*, idest: amissionem consecrationis altaris, imo *et quilibet sacerdos* etiam sine delegatione Episcopi *potest rimulam cemento firmare.* Sic derogatum est menti S. R. C. in Lucana [4]: Ad II. « Negative: et ad mentem: mens est ut Archiepiscopus privatim, facta maltha ex caemento prius iuxta Pontificale benedicto, cum eadem tutiori quo fieri potest modo rimulam, quae in

[1] 25 Sept. 1875, n. 3379. — [2] 5 Dec. 1851, n. 2991. — [3] CO. XII, 450. — [4] 3 Sept. 1879, n. 3504.

aris portatilibus (iuxta speciem facti propositam) cernitur, inter sepulcrum reliquiarum eiusdemque operculum impleat et operculum ipsum firmet ».

Relatae declarationes huius canonis antiquum habent fundamentum iuridicum in Decretali Alex. III ubi ait [1]: « Ad haec si altare (intellige fixum) motum fuerit, aut lapis ille solummodo suprapositus, (sepulchri operculum), qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuo consecrari. Propter hoc vero nequaquam reiterare suam consecrationem ecclesia consuevit: licet id quidam canones innuere videantur ». Hoc ultimum refertur extensum ad ecclesiam benedictam in § 4. *Exsecratio*, idest: amissio consecrationis vel benedictionis explicata in can. 1170 *ecclesiae* alterutro sacramentali « divino cultui dedicata » (can. 1165 § 1), (et « oratoria publica eodem iure reguntur » can. 1191, § 1), *non secumfert exsecrationem* seu amissionem consecrationis sub hoc canone determinatam *altarium* intra eam occasione suae exsecrationis exsistentium *sive immobilium*, etiam illius forsan maioris, quod « simul cum ecclesia debet consecrari » (can. 1165, § 5), de quibus urgere videtur reg. iuris 42 in 6.° « Accessorium naturam sequi congruit principalis », (sed immerito in hypothesi, quia illud iubetur, ne consecrata ecclesia in divinum cultum, necessaria destituatur parte seu loco, super quem fiat praecipuus actus divini cultus, nempe sacrificium, sed altaris consecratio eadem propriam habet consecrationem, quae independenter fieri potest ab ecclesiae consecratione, ut patet in Pont. Rom., sicut huius consecrationi peractae subsequitur missa, quae statim solemniter canitur ex praescripto,) *sive mobilium* altarium eodem motivo; *et viceversa*, seu propter exsecrationem altarium singulorum quorumcumque ecclesiae, vel omnium, « nequaquam reiterare suam consecrationem ecclesia consuevit aut benedictionem, idemque dicendum quoad oratoria publica » (can. 1191, § 1).

55. **De altarium ecclesiae titulo.** *Can. 1201.* § 1. *Sicut ecclesia*, « unaquaeque consecrata vel benedicta » ex can.[i] 1168 § 1 praescripto, *ita quodlibet etiam*, maius et secundarium, *ecclesiae altare*, seu in ea situm et qua tale, *saltem* (seu ex praescripto) *immobile*, idest: « mensa superior una cum stipitibus per modum

[1] Cap. 1 « de consecratione ecclesiae vel altaris ». tit. 40, Lib. III.

unius cum eadem consecrati » (can. 1197, § 1, 1°), quia iuxta ritum (Pont. Rom.) « de altaris consecratione, quae fit (tum in Ecclesiae consecratione, tum) sine Ecclesiae dedicatione », altare immobile « consecratur... ad nomen et memoriam Sancti N », proinde *proprium* in consecratione determinatum *sibi titulum habeat*, scilicet: illius Sancti quo denominetur et coram illud repraesentetur imagine aut depicta tabula. Idipsum ad mentem canonis servatur pro altaribus erectis in ecclesia forsan parieti adhaerentibus, ad hoc ut superposita « ara portatili » (in cuius consecratione nihil simile circa Sancti nomen cavet Pont. Rom.), « missa super altare sic consecratum celebretur » (can. 822 § 1).

In Pont. Rom. (tit. cit.) scriptum est in ultima praefatione: « templum istud, in quo Sancti tui N. mentio habetur, benedicere et sanctificare digneris; per cuius sacram reverentiam et honorem sacratissimo Nomini tuo hoc altare dedicamus, quod debet esse maius » (can. 1165, § 5). Et in Rit.[i] Rom.[i] [1]. « Ritu benedicendi novam ecclesiam » sic adprecatur Sacerdos ante Altare maius: « Ut hanc Ecclesiam, et Altare ad honorem tuum, et nomen sancti tui N. purgare et benedicere digneris: Te rogamus audi nos ». Atque « cum dicit benedicere, manu dextra benedicit (unico signo) Ecclesiam et Altare ». His congruit praescribens § 2. *Titulus primarius,* nam secundarius quoque admittitur a legibus liturgicis, *altaris maioris*, sic dicti propter praecipuum ecclesiae locum potiusquam ex magnitudine ac magnificentia, qua ceteris decet praecellat, *idem debet esse ac titulus ecclesiae* illius, et quem « unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta habet » (can. 1168, § 1).

Ex dictis in commentario §[i] 1[ae] profluit distinctio, quam statuit § 3. *De Ordinarii*, cuius iurisdictioni ad normam can. 198 § 1 ecclesia subiecta est, *licentia mutari quidem potest altaris mobilis,* ut hoc declaratum est sub §[o] 1[a], *non autem altaris immobilis* idest: qua tale consecratum, *titulus* iuxta praec.[3] Declarationes S. Rit. Congr.[e], scilicet: in Congregationis Missionis [2] de S. Nicolai « Ecclesiae Ara principe, in qua nulla extabat Icon, S. Congr. respondendum censuit: Ad 5. Negative; et apponatur Imago Sancti Nicolai Titularis ». Immo suae concessioni « Ad 7. Affirmative, quoad Altaria collateralia vacua » sequentem addidit conditionem:

[1] 10 Nov. 1906, n. 4191. — [2] 11 Apr. 1840, n. 2809. — [3] 17 Apr. 1660, n. 1156.

« dummodo tamen iisdem in Altaribus collocetur in ovali figura super gradibus candelabrorum etiam imago illius Sancti, sub cuius titulo constat altare fuisse consecratum (proindeque fixum, ut declaratum est in §° 1°) iuxta Decreta s. m. Alexandri Papae VII ». Huc etiam apte pertinet Dec. eiusdem S. Congr. in Ratisbonen. [1] ubi Dubio « III. Num absque Indulto Aplco... titulus Altaris fixi commutari possit cum altero titulo,... et num saltem super Altare collocari possit imago alia loco imaginis S. Sebastiani, tituli Altaris? S. R. Congr. rescribendum censuit: Ad III. Negative ad utrumque, iuxta Decretum » supra citatum: atque « ad IV. Imagines in vitris fenestrarum depictae nihil cum Altari commune habent, et tituli imago super Altari absolute non praecipitur. (Nunc intelligendum de altari mobili ex §° 1ª). Si tamen quaedam esset apponenda Altari fixo imago, tituli apponatur ».

« Emi et Rdmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi,... probe noscentes a Decretis omnino prohiberi in Beatorum honorem Ecclesias vel Altaria (proinde fixa intelligere oportet) dicare,... respondendum censuerunt in Vercellen [2]: Obstant Decreta ». — Ex hac responsione patefit sensus Declarationis Decreti super Cultu Beatis praestando [3], videlicet: « 1. An ubi indultum fuerit ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat eius imaginem et simulacrum, nec non votivas tabellas super Altari exponere? — 3. An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Aplcae. gaudent privilegiis suae Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint... Altare Beatis suae Religionis erigere? S. R. C. respondit: Ad 1. Affirmative. — Ad 3. Negative ». His congruit ac per illa explicatur § 4. *Altaria Beatis* proprie seu « adhuc non canonizatis », *etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt* ex tenore Brevis Beatificationis vel speciali Indulto, multo minus in aliis, *dedicari*, quod proprie fit consecratione altaris immobilis iuxta explicationem §ⁱ 1ªᵉ, *nequeunt sine Sedis Apostolicae* circa hanc rem *indulto*, id est gratiosa concessione.

56. **Altarium immunitas** praescribitur in *can. 1202*. Missalis Romani Rubricae generales n. XX statuunt: « Super altare (nempe: quod « operitur tribus mappis, seu tobaleis mundis ») nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium, vel ipsius altaris

[1] Tit. VIII cap. 27 num. 5, 6. — [2] 27 Aug. 1836, n. 2752.

ornatum non pertineat ». Huic legi liturgicae congruit amplior § 1. *Altare tum immobile* ad normam can. 1197, § 1, 1°, *tum mobile,* scilicet: « petra sacra una cum stipite qui tamen non fuit una cum eadem consecratus » (loc. cit. n. 2°), *debet esse* pro eiusdem natura *divinis tantum officiis,* nempe: ob parallelum can. 2256 n. 1° « functionibus potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt », *et praesertim Missae celebrationi*, nam « Missa celebranda est super illud » (can. 822, § 1), *reservatum*, non solum iuxta rubricam cit. Rit.[s] Rom.[i], sed etiam subter mensam altaris *quolibet profano usu prorsus excluso.* Ex quo videtur non prohiberi paramentorum sacrorum asservatio sub ipsa, nisi agatur de altari fixo quod respicit S. Rit. Congr.[s] Dec. in Tridentina [1]. Expositum fuit: « Altare, quod undequaque per se stat (isolato), cuius mensa sustentatur solum marmoreis columellis positis in fronte et in lateribus; subtus vero et a parti posteriori vacuum et apertum est ad recipiendam arcam ligneam, quae inservit paramentis asservandis; quaeritur: Num... consecrari valeat ad instar Altaris fixi. S. R. C.... rescripsit: Negative ». Sed sub hoc Decreto non comprehenduntur « Altaria omni ex parte lapidea, sed ita ordinata ut Tabula lapidea super stipitem itidem lapideum ex utraque parte ponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur capsae sacrarum reliquiarum ita commode dispositae, ut oculis fidelium diebus saltem solemnioribus appareant ». Ita rescripsit S. Rit. C. in Trecen [2].

Huiusmodi ergo sacrae reliquiae exclusae sunt a § 2° praescribente: *Subtus altare* « sive immobile sive mobile » (can. 1197, § 1) *nullum sit reconditum* quomodolibet et qualecumque *cadaver* proprie, seu hominis defuncti, etiam fidelis, Episcopi, Cardinalis, imo et Summi Pontificis; unde sicut statuunt « Dec.[a] S. R. C. ad Missale pertinentia » [3] n. 5. « In eo Altari, sub quo vel sub cuius predella humata sunt corpora defunctorum, non debet celebrari Missa, donec alio transferantur ». Recte tamen id accipiatur secundum aliam eiusdem S. Congr.[s] declarationem in De Queretaro [4] sequentem: « V. Altare maius... extat super cryptam, in qua sunt plura cadavera humata, ita ut Altare separatum sit a loculis mor-

[1] 20 Dec. 1890, n. 3741. — [2] 20 Dec. 1864, n. 3126. — [3] 13 Febr. 1666, n. 1333. — [4] 18 Iul. 1902, n. 4100.

tuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptae. Quaeritur ergo: An licitum sit in praedictis Altaribus Sacrosanctum Missae Sacrificium peragere, quamvis in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptae? Et S. C. respondendum esse censuit: Ad V. Affirmative, iuxta Dec. n. 3460, Senonen. 27 Iul. 1878 ad II ».

In Rit. Rom. legitur [1]: « Cadavera autem prope altaria non sepeliantur ». Cuius generalis praescripti determinationem continet responsio S. R. C. in Romana [2]: « Dubium II. Quaenam distantia intercedere debet inter Altare et cadavera quae in Coemeteriis vel Ecclesiis sepulta sunt? Et S. R. C. respondendum censuit. Ad II. Cadavera ab Altari tribus cubitis distare debere: et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis; atque hanc distantiam sepulcrorum ab Altari sufficere ». Hanc disciplinam retinet canon hoc modo §^{m} 2^{m} prosequens: *cadavera autem quae prope altare* sumptum cum stipite, sive immobile sive mobile sit, et ubilibet situm, *sepulta forte sunt* adversus Rit.^{i} Rom. praescriptum, *distent ab eo saltem spatio* (non iam fere, sed) *unius metri*, quod sufficit; *secus Missam in Altari* prope sito *celebrare non licet, donec cadaver removeatur* equidem ad normam can. 1214, nisi « fere unum metrum longitudinis distet », tunc enim levis esset certo haec prohibitio.

TITULUS XII.

De sepultura ecclesiastica.

Can. 1203. - § 1. Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, reprobata eorundem crematione.

§ 2. Si quis quovis modo mandaverit ut corpus suum cremetur, illicitum est hanc exequi voluntatem; quae si adiecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tanquam non adiecta habeatur.

Can. 1204. - Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis.

57. **Inscriptio Tituli ac introductorii canones.** Iam considerandus est huius Sectionis postremus *Titulus XII,* cuius inscriptio *De sepultura ecclesiastica,* quae in can. 1204 describitur, habet am-

[1] Tit. VI, Cap. I, n. 9. — [2] 12 Ian. 1897, n. 3944.

pliorem significationem, sub titulo canones complectens de connexis cum eadem iuribus et obligationibus, non tantum quarumcumque personarum in Ecclesia, sed praecipue ministrorum Ecclesiae quoad proprium eorum officium. Dicto canoni alius praemittitur in hac re fundamentalis de illius sepulturae canonica necessitate.

58. **De corporibus sepeliendis.** *Can. 1203.* § 1. *Fidelium,* quia de acatholicis non curat directe Ecclesia, iuxta illud Apostoli: « Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare? » [1], *defunctorum corpora sepelienda sunt,* scilicet: inhumanda vel condenda, de quo perpetuo Ecclesiae more sic testatur Conc. Tolet. III in Gratiani Decreto [2]: « Sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum ». — Idque omnino servandum esse praescribit canon subdens: *reprobata eorundem crematione,* quae, ut ait Bonif. VIII de « simili detestandae feritatis abusu » [3], « non solum divinae maiestatis conspectui abominabile plurimum redditur, sed etiam humanae considerationis obtutibus occurrit vehementius abhorrendum ». Haec tamen reprobatio non impedit quominus ob necessitatem in praxi sequantur Ordinarii normam traditam in Litt.[s] S. C. de Prop. Fide [4] ad Vic. Ap. Vizagapatam: « cremationem approbare non debes, sed passive te habeas, *collato semper baptismate,* et populos instruendos cures iuxta ea quae a Te exponuntur ». Et S. C. S. Officii [5] respondit: « Quoad membra acatholicorum recisa, sorores praxim suam tuto servare possunt; (nempe: « sive in terra profana sepeliendi, sive, suadente medico, igne comburendi »). Quoad membra amputata fidelium baptizatorum, pro viribus curent ut in loco sacro sepeliantur. Sin vero graves obstant difficultates quominus in loco sacro condi possint, circa praxim hucusque servatam non sunt inquietandae. Quoad membrorum combustionem praecipientibus medicis, prudenter dissimulent et obediant. Et ad mentem: Mens est, quod, si fieri potest, in proprio horto domui adnexo, deputetur aliquod parvum terrae spatium, ad sepelienda membra catholicorum amputata, postquam fuerit benedictum. — Ssmus adprobavit ».

Eadem S. Suprema Congr. [6] ad Declarationum postulationes:

[1] I ad Cor. V, 12. — [2] Cap. 28 caus. XIII q. II. — [3] Cap. 1 de sepulturis in Extrav. comm. — [4] 27 Sept. 1884, Collect. S. C. de P. F. n. 1626. — [5] 3 Aug. 1897, loc. cit. n. 1975. — [6] 19 Maii 1896, Collect. S. C. de P. F. n. 1657.

« 1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera. 2. An licitum sit mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur. R. Emi PP. Cardd.... respondendum censuerunt: Ad 1. Negative; et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas. Ad 2. Negative... Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant ».

Hanc doctrinam confirmat pro praxi § 2. *Si quis* etiam acatholicus *quovis modo* sive oretenus dum viveret, sive scripto, aut testamento, etc. *mandaverit ut corpus suum crematur*, quo casu videretur nullam eidem iniuriam inferri, sed potius eidem obsequi, *illicitum est* fidelibus, etiam qui eidem dum viveret subiecti fuerunt, *hanc exsequi voluntatem;* et cum pacta seu voluntas privatorum nequeant contra leges pro bono publico humanitatis datas praevalere, subiungitur: *quae* voluntas expressa *si adiecta fuerit* a) *contractui*, seu communi consensu facto, b) *testamento,* quod a solo pendet testatoris arbitrio, c) *aut alii cuilibet actui*, v. gr. cuiusdam rei donationi, utpote illicita ex cit. C. S. Officii declaratione, *tanquam non adiecta habeatur,* praesumendo agentem voluisse implicite ut actus, cui adnexa fuit, valeret.

59. **Sepulturae ecclesiasticae notio.** *Can. 1204. Sepultura* sumpta pro actuum complexu, qui erga defunctorum corpora fiunt, seu active ac complete, et *ecclesiastica,* qui nempe actus ab Ecclesia praescribuntur servandi erga suorum fidelium cadavera, *consistit* a) *in cadaveris,* veluti quid cedens vermibus, scilicet: hominis demortui *translatione* cum precibus e defuncti domo *ad ecclesiam,* b) *exsequiis* seu postremis ritibus ac caeremoniis *super illud in eadem celebratis,* c) *illius depositione* cum precum effusione d) *in loco legitime* scilicet: ad sacrarum legum normam *deputato,* quia praecise *fidelibus defunctis condendis* in expectationem resurrectionis.

60. **Distinctio Tituli in capita.** In sepultura ecclesiastica pro studio iuris canonici distinguere oportet quaedam materialia sepulturis etiam infidelium communia; scilicet: locum qui in iure canonico *sepulcrum* pro singulis audit, et actionem sepeliendi ca-

daver, quae in Ecclesia est ac vocatur *inhumatio;* praeterea elementa spiritualia sepulturae catholicorum propria, videlicet: quoad locum, benedictionem sepulcri aut coemeterii, et circa sepeliendi actionem, caeremonias ac ritus quae adhibentur ex Ecclesiae praescripto; quando e defuncti domo effertur cadaver in ecclesiam, ibidem preces ac Missa solvuntur, associatur in coemeterium, et postquam sepulturae fuit traditum, in ecclesiam fideles revertuntur. Locus propter benedictionem eius sacer est, imo ceteris sepulturae adiunctis praesupponendus, hinc *Caput I. De coemeteriis.* Quoad caeremonias vero ac elementum spirituale, ipsamque defuncti depositionem est *Caput II. De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione.* Sub his capitibus comprehenduntur iura et obligationes personarum, quae unum alterumve respiciunt diversoque modo elementum, ita ut *Caput III.* unice tractet: *De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda.*

CAPUT I.

De coemeteriis.

Can. 1205. - § 1. Cadavera fidelium sepelienda sunt in coemeterio quod, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, sit benedictum, sive sollemni sive simplici benedictione ab iis data de quibus in cann. 1155, 1156.

§ 2. In ecclesiis cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regalium personarum aut S. R. E. Cardinalium.

Caput I. De coemeteriis —
- — in genere —
  - — ad fidelium corpora sepelienda — Can. 1205
  - — quoad exercitium iuris erga ea — » 1206
  - — ac ecclesiis communes canones — » 1207
- — in specie —
  - — diversis in Ecclesia — » 1208
  - — quoad sepulcrorum distinctiones — » 1209
- — custodiendis —
  - — materialiter — » 1210
  - — circa religionem ac pietatem — » 1211
- — specialibus ac non benedicendis — » 1212
- — quoad eorum usum —
  - — in cadaveris depositione — » 1213
  - — de cadaveris exhumatione — » 1214

Can. 1206. - §. Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria.

§ 2. Sicubi hoc Ecclesiae ius violetur nec spes sit ut violatio reparetur, curent locorum Ordinarii ut coemeteria, societatis civilis propria, benedicantur, si, qui in eis condi solent, sint maiore ex parte catholici, aut saltem ut in eis catholici spatium habeant, idque benedictum, sibi reservatum.

§ 3. Si ne hoc quidem obtineri possit, toties quoties benedicantur, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, singuli tumuli.

Can. 1207. - Quae de interdicto, violatione, reconciliatione ecclesiarum canones praescribunt, etiam coemeteriis applicentur.

Can. 1208. - § 1. Paroeciae suum quaeque coemeterium habeant, nisi unum pluribus commune ab Ordinario loci sit legitime constitutum.

§ 2. Religiosi exempti possunt habere coemeterium proprium, a communi coemeterio distinctum.

§ 3. Etiam aliis personis moralibus vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum, extra commune coemeterium positum, et ad instar coemeterii benedictum.

Can. 1209. - § 1. Tum in coemeteriis paroecialibus, ex licentia scripta Ordinarii loci eiusve delegati, tum in coemeterio proprio alius personae moralis, ex licentia scripta Superioris, fideles sibi suisque exstruere possunt sepulcra particularia; quae, de consensu eiusdem Ordinarii aut Superioris, possunt quoque alienare.

§ 2. Sepulcra sacerdotum et clericorum ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint ac decentiore loco sita; praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae ministris parentur.

§ 3. Etiam infantium corpuscula, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant.

Can. 1210. - Quodlibet coemeterium sit undique apte clausum et caute custoditum.

Can. 1211. - Caveant Ordinarii locorum, parochi ac Superiores, ad quos spectat, ne in coemeteriis epitaphia, laudationes funebres ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum.

Can. 1212. - Praeter coemeterium benedictum alius, si haberi queat, sit locus, clausus item et custoditus, ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur.

Can. 1213. - Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post congruum temporis intervallum, quod satis sit ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem tollendam.

Can. 1214. - § 1. Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii.

§ 2. Ordinarius licentiam nunquam concedat, si cadaver ab aliis corporibus certo discerni nequeat.

61. **Inscriptio Capitis ordoque canonum.** Considerandum est igitur *Caput I. De coemeteriis,* quod verbum idem sonat ac dormitorium et recte, cum iuxta fidem mortalia nostra corpora surrectura sint immortalia, propмеханeaque D. Paulus [1] de mortuis loquens, verbo « dormientibus » usus est. Communiter coemeterium designat « locum deputatum recipiendis hominum cadaveribus, praesertim per inhumationem ». In iure autem canonico coemeterium definiri potest: « Locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo sepeliuntur cadavera catholicorum pie decedentium ». Dicitur *aucto-*

[1] I ad Thesal. IV, 13.

ritate Episcopi benedictus, quia illa benedictio datur saltem de ipsius licentia. Coemeterium, de quo in iure nostro, debet servire catholicis tantum, et non omnibus quidem, sed iis qui pie decesserunt.

Coemeteria communiter dicta, possunt distingui in ecclesiastica et civilia seu laicalia. Illa sunt in dominio Ecclesiae, rite benedicta et fidelibus catholicis reservata. Laicalia sunt sub dominio municipiorum vel alterius instituti civilis, non benedicta, et recipiunt cadavera civium cuiuscumque religionis. Possunt forsitan inveniri quaedam huiusmodi reservata alicui sectae religiosae, v. gr. protestantium.

In hoc Capite ponuntur canones 1205-1207 de coemeteriis in genere. Deinde per can. 1208, 1209 distinctiones coemeteriorum ac sepulchrorum ordinantur, quo autem modo illa sint custodienda, ad materialia quod attinet, et circa religionem ac pietatem decernunt can. 1210, 1211, adiuncto can. 1212 circa humanitatem erga eos qui extra communionem catholicam decedunt. Denique usus coemeteriorum per inhumationem atque exhumationem cadaverum in can. 1213, 1214 est moderatus.

62. **De loco ubi fidelium cadavera sepelienda sunt.** In Rit. Rom. Tit.° « de exequiis » legitur: « 18. Ceterum nemo christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam vel coemeterium rite benedictum sepeliri debet ». Hoc praescriptum refert *can. 1205. § 1. Cadavera fidelium sepelienda sunt* idest: inhumanda vel simpliciter recondenda *in coemeterio* antea definito *quod, secundum ritus* nempe: series precum ac caeremoniarum *in probatis liturgicis libris,* hoc est: in Pont.ⁱ Rom.° ac Rit.ⁱ Rom.° *traditos,* atque vi legum liturgicarum servandos, *sit benedictum* proprie, non consecratum, *sive sollemni,* Episcopis charactere reservata iuxta Pont. Rom., nec a presbytero usurpanda nisi ob facultatem Aplcam., *sive simplici benedictione,* quae in Rit. Rom. inserta sic inscribitur: « Ritus benedicendi novum coemeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum », sed alterutra nunc *ab iis data de quibus in can. 1155* quoad solemnem, *1156* quoad simplicem ita Ordinariis reservatam, ut ad eam impertiendam possint « alium sacerdotem delegare ».

Prosequitur Rit. Rom. in textu prius citato: « sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri possit, corpus in locum sacrum (idest: in

coemeterium) quamprimum transferatur, et interim semper crux capiti illius apponi debet ad significandum illum in Christo requievisse ». Interpretatus sum verba: « in locum sacrum » idem ac in coemeterium, quia iuxta Glossam receptam in cap. 14 caus. XIII q. II: « terra fit sacra vel religiosa auctoritate Pontificis, non ex eo, quod mortuus infertur ad locum ». Huc pertinent seq.[s] resp. S. R. C. in Ruremunden. [1]: « V... 1. an sepulchrum, quod novum foditur in coemeterio rite benedicto, prima tamen vice benedicendum sit? 2. si negative ad primum, an igitur praescriptio haec (nempe: Rit.[s] Rom.[1] « Cum autem pervenerit ad sepulcrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem ») tantum respiciat cryptam seu sepulcrum lapideum in coemeterio vel ecclesia aedificatum, non autem simplicem foveam in ecclesia effossam?... Ad V. Ad primam quaestionem, negative: Ad secundam affirmative ».

In Dec.[0] Gratiani inveniuntur duo capita [2], in quorum primo dicitur: « Prohibendum est etiam secundum maiorum instituta ut in ecclesia nullatenus sepeliantur: sed in atrio, aut in porticu, aut in exhedris ecclesiae », ac in altero dicitur « Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici » Huic veteri disciplinae concordat § 2. *In ecclesiis,* idest: intra ecclesiam, quod proprie non est subter ipsam in crypta « divino cultui non addicta » in quam ingressus extra ipsam situs esset, *cadavera,* etiam « fidelium » (§[0] 1[0]) ob contextum, *ne sepeliantur* subtus pavimentum vel in sepulchris in illa constructis, *nisi agatur de cadaveribus* a) *Episcoporum residentialium*, non titularium, b) *Abbatum vel Praelatorum nullius in propria* tantum *ecclesia* singulorum *sepeliendis*, c) *vel Romani Pontificis*, d) *regalium personarum*, quae sic vocantur proprie ob actualem regiminis populorum dignitatem regiam, e) *aut S. R. E. Cardinalium* ratione solius dignitatis, et quoad hos omnes nulla est ecclesiarum designatarum limitatio.

Huc pertinet sequens dubium solutum in plenariis comitiis [3] Emorum Patrum, sub n. « 14. An sepultura fidelium, quae locum obtinet in ecclesia subterranea, censenda sit facta in ecclesia in sensu canonis 1205. § 2. — Resp.: Affirmative, si agatur de ec-

[1] 27 Maii 1876. n. 3400. — [2] 15 et 18 caus. XIII q. II. — [3] Commissio Pont. ad Codicis canones auth. interpr. 16 Oct. 1919. (O. XI, 478.

clesia subterranea quae sit vere et proprie ecclesia, divino cultui addicta ».

63. **De Ecclesiae iuris exercitio quoad coemeteria.** Ecclesia propter resurrectionis fidem, et dogma tum de purgatorio, tum de sanctorum communione, coemeteria ut loca sacra pro suis recognovit ac instituit: hinc cum illa sit societas perfecta per Dominum Iesum fundata, in Codice sibi ius sequens vindicat per *can. 1206*. § 1. *Ius est catholicae Ecclesiae possidendi* per suas morales personas *propria* ratione dominii, et erga quae iurisdictionem exerceat, *coemeteria,* ut loca sacra fiant et sint.

His tamen temporibus, quando fides Christi persaepe a civili exulat auctoritate, ac multorum aliorum charitas refrigescit, necessarius fuit § 2. *Sicubi*, sive catholicorum sit territorium, sive protestantium, vel paganorum, *hoc Ecclesiae ius violetur* legibus, aut de facto, b) *nec spes sit ut violatio reparetur*, alias illud esset pro viribus propugnandum ad mutandas leges, vel ad removendum factum, *curent locorum Ordinarii* strenue, quamvis duce prudentia, primo: *ut coemeteria, societatis civilis propria* ratione dominii ac consequentis administrationis legumque politiae, a) *benedicantur,* quando rationabiliter idipsum exigi potest, nempe: *si, qui in eis condi solent, sint maiore ex parte catholici*, quorum ergo religiosam conscientiam et fidem civilis auctoritas debet ratione duce revereri, eorumque liberum ius non pessumdare. Sed quia ut saepius accidit, catholicis non conceditur ius ac libertas pro eorum maiore numero aequaliter ac ceteris elargitur, secundario id obtineatur, videlicet: b) *aut saltem ut in eis* civilibus coemeteriis per oppositionem ad ecclesiastica *catholici spatium habeant, idque benedictum,* quod ita erit sacer locus « fidelium sepulturae deputatus » (can. 1154), *sibi* supple: catholicis *reservatum*, etsi separatio per muros vel cancellos etc. non instituatur.

Quia vero potestas civilis quandoque invenitur Ecclesiae hostilis, decernit § 3. *Si ne hoc quidem* alterum *obtineri possit*, etsi omnino iustum apud homines quoslibet, hoc in casu: *toties quoties* catholicus in eo sepeliendus sit, *benedicantur, secundum ritus in probatis* saltem tacite ab Ecclesia *liturgicis libris traditos*, v. gr. in Rit. Rom. [1] ubi dicit: « Cum autem pervenerit ad sepulcrum,

[1] Tit. VII Cap. III, n. 12.

si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem... » et n. « 13. Dicta oratione, Sacerdos aqua benedicta adspergat, deinde incenset corpus defuncti et tumulum ». Sic ergo vel alio probato ritu « benedicantur » *singuli tumuli*, nempe: sepulturae vacuus locus pro defuncto destinatus.

64. **Canones coemeteriis ac ecclesiis communes.** Propter similitudinem locorum ortam ex benedictione subditur connexus ob hanc cum praec. *can. 1207. Quae* a) *de interdicto* in Lib. V, Tit. VIII, Cap. II, Art. II, b) *de violatione* in can. 1172, 1173, c) *reconciliatione ecclesiarum* in can. 1174-1177, *canones praescribunt,* etiam *coemeteriis applicentur,* servanda pro locorum eorumdem salva diversitate, ita ut quod de consecratis dicitur Ecclesiis veniat intelligendum de coemeteriis ab Episcopo benedictis, et ritus diversi quoad reconciliationem alterutrius ex dictis diversis locis serventur.

65. **Personae in Ecclesia ius habentes proprii coemeterii.** *Can. 1208* supponit iuris de quo in §° 1° can.[s] 1206 liberum exercitium, praescribens in §° 1°. *Paroeciae,* idest: « partes dioecesis de quibus in §° 1° » can.[is] 216, *suum* respectu sepeliendorum in eo, quin de subiecto iuris proprietatis determinando sit canon sollicitus, *quaeque,* idest: singulae, *coemeterium*, nempe: locum sacrum ad normam can. 1205, § 1, *habeant,* sed permittitur quoque ut exceptio: *nisi unum pluribus* paroeciis, etsi non omnibus eiusdem loci, *commune* propter destinationem *ab Ordinario loci sit legitime,* i. e. ad normas ss. canonum etiam qui praescribunt de bonis ecclesiasticis, *constitutum.*

Praeterea idem asserendum erat de Fratribus Praedicatoribus et Minoribus ob priv.[m] clausum in corpore iuris, i. e. in Clem. 2 « Dudum » h. t.... « Huiusmodi quoque statuto, et ordinationibus nostris adiicimus, ut fratres dictorum ordinum in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis liberam (ut sequitur) habeant sepulturam: videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, et Ecclesiis memoratis ». Non invitis Regularibus, iuxta Bullam « Virtute conspicuos » Clem. IV. Quo privilegio gaudebant etiam alii regulares ob communicationem privilegiorum.

Quod Mendicantibus per eorum privilegia competebat, in ius sic mutatum est per § 2. *Religiosi* etiam Congregationum, sed *exempti* iure sicut regulares, aut speciali privilegio, quod cuilibet

religioni sit directe concessum, *possunt habere coemeterium proprium,* nempe pro eisdem sepeliendis ac inter eorum bona computandum, *a communi* de quo in §° 1° *coemeterio distinctum*, prope illud vel ab eo dissitum.

§ 3. *Etiam aliis* (praeter religiosorum dictas familias) *personis moralibus* v. gr. capitulo canonicorum *vel familiis privatis,* seu natura constitutis, etsi regalibus, non conceditur coemeterii ius, *sed permitti potest ab Ordinario loci peculiare* pro singulis vel pluribus *sepulcrum,* seu ut habeant sepulturae locum a) *extra* commune ut supra *coemeterium positum, et ad instar coemeterii,* nempe: ad normam can. 1205 § 1 *benedictum*, ita ut fiat sacer locus.

66. **Diversitas sepulcrorum** admittitur in *can. 1209.* § 1. *Tum in coemeteriis paroecialibus,* nempe ad normam § 1ae can.s praec.6, *ex licentia* a) *scripta* b) *Ordinarii loci* ad normam can. 198 § 2, atque iuxta reg. 68 iuris in 6° « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum » *eiusve delegati* saltem ad hoc singularis vel pro unoquoque coemeterio vel pro pluribus dioecesis aut omnibus, *tum in coemeterio proprio* ad normam §§ 2 et 3 *alius personae moralis, ex licentia* a) *scripta* b) *Superioris* determinatae illius « personae », *fideles* quilibet *sibi* tantum *suisque extruere* materialibus ibi inferendis *possunt sepulcra particularia*, quae veniunt in iure nomine « sepulcri maiorum » (can. 1229, § 1); *quae, de consensu eiusdem Ordinarii aut Superioris*, ne iure suo antedicto fraudentur, *possunt quoque alienare* contractu gratuito, vel recepto quoque temporali pretio, « dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem » (can. 730), casu quo illa sepulcra essent iam benedicta.

Ex Rit. Rom. [1] ad verbum desumpta est § 2. *Sepulcra*, seu peculiaria loca intra coemeterium ad condenda cadavera a) *sacerdotum et* b) *clericorum* « cuiuscumque ordinis » et « ob primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *ubi fieri potest*, ac tunc ex praescripto *a sepulcris* ut supra *laicorum* qua talium a) *separata sint*, quatenus non promiscua, b) *ac decentiori loco sita; praeterea*, inter ipsa *ubi id commodum fuerit*, quae clausula levem obligationem innuit, *alia* sepulcra *pro sacerdotibus* ob eorum singulare ministerium, *alia pro inferioris ordinis* etiam diaconatus *Ecclesiae mini-*

[1] Tit. VI, Cap. I, n. 10.

stris, seu « qui divinis ministeriis mancipati sunt » in Ecclesiae utilitatem, *parentur*. — Huic distinctioni provident quoque leges liturgicae (loc. cit. num.[s] 11-14) de vestibus communibus et sacris queis indui debent sacerdotes, et alii clerici singulorum ordinum; ad quorum declarationem pertinet Dec. S. C. R. in Compostellana [1] ubi « proposito dubio: An vi consuetudinis liceat cadavera Sacerdotum induere casula vel planeta nigri coloris? respondendum censuit: Affirmative, attenta praesertim consuetudine et Rubrica Ritualis Romani, quae praescribens paramenta violacea in casu non excludit nigra ». Item Rit. Rom. singularem concedit praerogativam n. « 17. Presbyteri vero habeant caput versus Altare », scilicet: « corpora eorum defunctorum in Ecclesia ponenda, quod pro situ et loco fiat in sepulcro ».

Demum [2] « iuxta vetustam et laudabilem ecclesiarum consuetudinem » (eo quod in renatis omnibus nihil odit Deus) est retentum Rit.[s] Rom.[i] praescriptum in § 2. *Etiam infantium*, ob aetatem « ante plenum septennium », quando « censentur non sui compotes » (can. 88, § 3), *corpuscula, quatenus commode fieri potest*, sub levi igitur obligatione, *speciales* pro ipsis tantum *et separatos* quomodocumque ex destinatione *ab aliis* sepulcris §[i] 2[ae] *loculos* pro singulis *et sepulturas* seu loca recipiendis corpusculis *habeant*, « in quibus proinde non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt » [3]. Immo in Civitatis Castellanae [4] « S. R. C.... censuit: Non prohiberi Regulares habentes privilegia recipiendi corpora defunctorum in eorum sepulturis, quominus, iuxta dispositionem iuris communis, possint in eis sepelire corpuscula parvulorum; curare autem debere eosdem Regulares ut habeant Coemeterium separatum pro sepulturis parvulorum ».

67. **Custodia coemeterii materialis** pro eiusdem natura iubetur *can. 1210. Quodlibet coemeterium* ex dictis in praec. can. *sit undique apte clausum* contra bestias et pravos homines *et caute custoditum*, ne violationes quaelibet contingant, aut alia opposita salubritatis normis.

68. **Custodia pietatis ac religionis in coemeteriis** sic commendatur in *can. 1211. Caveant*, quantum in singulorum erit prudenti possibilitate, a) *Ordinarii locorum* semper, b) *parochi*,

[1] 20 Nov. 1908, n. 4228. — [2] Rit. Rom. tit. cit. cap. VI n. 1. — [3] Rit. Rom. loc. cit. — [4] 12 Dec. 1620. n. 383.

quorum « paroeciae quaeque coemeterium habeant » (can. 1208, § 1) saltem ex destinatione, c) *ac Superiores* quicumque tum « religiosorum exemptorum » (can. 1208, § 2) tum « aliarum personarum moralium » (ib. § 3), si casus ferat, *ad quos spectat* pro diversitate coemeteriorum et casuum, *ne in coemeteriis* singulis praedicti canonis, a) *epitaphia* idest inscriptiones sepulcrorum, b) *laudationes funebres*, seu discursus occasione funerum, c) *ornatusque monumentorum* scilicet: sepulcrorum, sive in imaginibus, picturis, accessoriis, *quidquam prae se ferant a catholica religione* secundum eius doctrinam praesertim circa defunctos, *ac pietate* erga eos debita *absonum* qualibet de causa.

69. **Immunitas coemeteriorum** iuxta horum definitionem salva fit ab Ecclesia, dum haec humanitatis non oblita edidit *can. 1212. Praeter coemeterium benedictum,* ubi « cadavera fidelium sepelienda sunt » (can. 1205, § 1), *alius, si haberi queat,* tunc enim praescribitur, *sit locus*, pro eiusdem natura, ut dictum est in can. 1210 *clausus item et custoditus, ubi ii humentur*, hinc indirecte reprobante Ecclesia eorum cadaverum cremationem, *quibus ecclesiastica sepultura* definita in can. 1204 *non conceditur*, sive negative tantum, sive positiva privatione.

70. **De tempore sepeliendi cadavera.** Quamvis nostro tempore haud parum erudite scriptum sit de morte apparente, iam praeviderat idipsum Ecclesia, ut non indiguerit mutationem inducere Rit.^{s} Rom.[1], cuius praescriptum (loc. cit. num. 3) adamusim refert *can. 1213. Nullum corpus sepeliatur,* vel sub humo, vel in quolibet sepulcro, *praesertim si mors repentina fuerit*, tunc enim periculum adesse videtur, ne mors apparens sit, *nisi post congruum temporis intervallum*, iuxta scientiam medicam et opiniones solide fundatas pro casuum diversitate, *quod satis sit* ex circumstantiis *ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem* prudentem *tollendam.* Id tantum exigit humanitas.

71. **De cadaverum exhumatione.** Rit. Rom. [1] hanc continet prohibitionem, quam ita expressit *can. 1214.* § 1. *Nullum cadaver*, sine distinctione personae cuius sit corpus, vel causae exhumationis, et a quocumque id petatur vel exigatur, sed *perpetuae sepulturae ecclesiasticae*, sic dictae « ob depositionem in loco le-

[1] Tit. VI. Cap. 1 n. 15.

gitime deputato fidelibus defunctis condendis », et quidem « perpetuae » ut in Rit. Rom. (loc. cit.), quia in cap. 1 inter Extravagantes communes (hoc. tit.) Bonif. VIII iubet: « ut defunctorum corpora... deferantur ad loca in quibus viventes elegerint sepeliri: aut.. loco ubi decesserint, vel in loco vicino ecclesiasticae sepulturae tradantur ad tempus, ita quod demum inceneratis corporibus, (idest: consumptis tempore), aut alias ad loca, ubi sepulturam elegerint, deportentur, et sepeliantur in eis ». Quod implicite viget ob verbum « perpetuae », additque canon: *ubivis* nempe: « ex ulla cuiusvis ordinis ecclesia (Rit. Rom. l. c.) asportari liceat », sive coemeterium sit paroeciale, sive religionis exemptae, sive aliarum personarum moralium familiarumque privatarum, in quo cadaver sepulturae fuerit *traditum, exhumare*, verbum intelligendum pro extractione e sepulchro, nec consequenter « asportari » (Rit. Rom.) *licet* ex hoc ecclesiastico vetito, *nisi de licentia Ordinarii*, sive loci, sive « Superioris maioris in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198, § 1). Idque servandum est etiam quoad « cadaver excommunicati vitandi qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit », ut dicitur in can. 1242, non obstante quod circa hos excommunicatos vigeat cap. 12 de sepulturis [1] sic decernens: « Unde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in coemeterio ecclesiastico tumulentur, (notetur conditio): si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, et procul ab ecclesiastica sepultura iactari. Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium; (additurque circa illos ratio): cum licet non obsit iustis sepultura nulla vel vilis, impiis tamen celebris vel speciosa non prosit ».

Si ergo grave illud Ecclesiae praeceptum patitur hanc exceptionem, multo magis fuit haec servanda, quando exhumatio non sit praescripta. Merito igitur statuit § 2. *Ordinarius* quicumque ad normam canonis 198 § 1, licentiam praedictam *nunquam concedat*, vetitum ei impositum, *si cadaver* exhumandum *ab aliis corporibus* ibidem sepultorum *certo* moraliter, ex circumstantiis loci sepulturae, ex documentis, aliisque testimoniis *discerni* iudicio ipsius, cui standum est, *nequeat*.

[1] III, 28.

CAPUT II.

De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione.

CAN. 1215. – Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, idest totus ordo exequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur.

CAN. 1216. – § 1. Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit.

§ 2. Si defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit.

CAN. 1217. – In dubio de iure alius ecclesiae, ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet.

CAN. 1218. – § 1. Licet mors acciderit extra propriam paroeciam, cadaver tamen in ecclesiam paroeciae propriae quae vicinior sit, ob funus transferendum est, si ad eam commode pedestri itinere asportari possit; secus in ecclesiam paroeciae in qua mors accidit.

§ 2. Ordinarii est pro suo territorio, inspectis peculiaribus circumstantiis, distantiam aliaque adiuncta designare, quae translationem cadaveris ad ecclesiam funeris aut locum sepulturae incommodam reddant; et si paroeciae ad diversas dioeceses pertineant, designatio attenditur Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit.

§ 3. Licet translatio ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae incommoda sit, semper tamen integrum est familiae, heredibus, aliisve quorum interest, cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis.

CAN. 1219. – § 1. Si S. R. E. Cardinalis in Urbe decesserit, corpus transferendum est, funeris causa, in ecclesiam quam Romanus Pontifex designaverit; si extra Urbem, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci ubi mors accidit, nisi Cardinalis aliam elegerit.

§ 2. Defuncto Episcopo residentiali, etiam cardinalitia dignitate aucto, aut Abbate vel Praelato *nullius*, corpus, funeris causa transferri debet in ecclesiam cathedralem, abbatialem vel praelatitiam, si id commode fieri possit; secus, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci, nisi in utroque casu defunctus aliam ecclesiam elegerit.

CAN. 1220. – Beneficiarii residentiales ad ecclesiam sui beneficii transferendi sunt, nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris.

CAN. 1221. – 1. Professi religiosi ac novitii, defuncti cum sint, transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint; ius autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem pertinet semper ad Superiorem religiosum.

§ 2. Si longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt, nisi novitius aliam ecclesiam ad funus elegerit, et salvo Superioribus iure de quo in can. 1218, § 3.

§ 3. Quae de novitiis dicta sunt §§ 1, 2, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus, qui tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandi sunt ad normam can. 1216-1218.

CAN. 1222. – Quod attinet ad defunctos qui in domo etiam regulari, vel collegio degebant ratione hospitii, educationis vel infirmitatis, et ad defunctos in hospitali, standum est canonibus 1216-1218, nisi constet de iure particulari aut privilegio; quod vero ad illos attinet qui in Seminario moriuntur, servetur praescriptum can. 1368.

CAN. 1223. – § 1. Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae.

§ 2. Uxor et filii puberes in hac

electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate.

Can. 1224. - Ecclesiam funeris aut sepulturae coemeterium eligere prohibentur:

1.º Impuberes; verum pro filio aut filia impubere, etiam post eorum mortem, hanc electionem facere possunt parentes vel tutor;

2.º Religiosi professi cuiuslibet gradus aut dignitatis, non tamen si sint Episcopi.

Can. 1225. - Ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est vel in ecclesiam paroecialem, vel in ecclesiam regularium, non tamen monialium (nisi agatur de mulieribus quae famulatus, educationis, infirmitatis aut hospitii causa intra clausuram eiusdem monasterii non precario commorabantur), vel in ecclesiam iuris patronatus si agatur de patrono, vel in aliam ecclesiam funerandi iure praeditam.

Can. 1226. - § 1. Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest per se vel per alium cui legitimum mandatum dederit; factamque electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet.

§ 2. Si electio fiat per alium, hic suum mandatum explere potest etiam post mortem mandantis.

Can. 1227. - Religiosi et clerici saeculares districte vetantur ne quos ad vovendum, iurandum vel fide interposita seu aliter promittendum inducant ut apud ipsorum ecclesias funus aut apud ipsorum coemeterium sepulturam eligant, vel factam electionem non immutent; quod si contra factum fuerit, electio sit nulla.

Can. 1228. - § 1. Si electa fuerit sepultura in coemeterio diverso a coemeterio propriae defuncti paroeciae, cadaver in illo sepeliatur, dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet.

§ 2. Electa sepultura in coemeterio religiosorum, ut cadaver inibi sepeliri queat, requiritur et sufficit consensus Superioris religiosi, ad normam constitutionum cuiusque religionis.

Can. 1229. - § 1. Si quis, sepulcrum maiorum in aliquo coemeterio possidens, non electa alibi sepultura, decesserit, in eodem sepeliendus est, si illuc commode asportari possit, salvo praescripto can. 1218, § 3.

§ 2. Pro uxore attenditur sepulcrum viri, et, si plures habuerit, sepulcrum ultimi.

§ 3. Plura si sint maiorum aut viri sepulcra, defuncti familia aut heredes locum sepulturae deligant.

Can. 1230. - § 1. Proprius defuncti parochus non solum ius sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad suam ecclesiam paroecialem ibique exsequias persolvendi, firmo praescripto can. 1216, § 2.

§ 2. Quod si mors acciderit in loco alienae paroeciae, et cadaver ad ecclesiam propriae paroeciae commode asportari possit, parochi proprii est, praemonito parocho loci, illud levare, comitari ad suam ecclesiam ibique exsequias peragere.

§ 3. Si ecclesia funeris sit ecclesia regularis aliave exempta a iurisdictione parochi, parochus, sub cruce ecclesiae funerantis, cadaver levat ac deducit ad ecclesiam; sed exsequias rector ecclesiae celebrat.

§ 4 Si vero ecclesia funeris non sit exempta a iurisdictione parochi, celebratio exsequiarum, salvo peculiari privilegio, pertinet non ad rectorem ecclesiae funerantis, sed ad parochum in cuius territorio ecclesia sita est, dummodo defunctus parocho subiectus fuerit.

§ 5. Religiosas et novitias, in religiosa domo defunctas, ad clausurae limen deferant aliae religiosae; indeque, si de religiosis agatur iurisdictioni parochi non obnoxiis, ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exequias peragit cappellanus; si de aliis religiosis, valet praescriptum § 1; quod vero ad religiosas attinet extra domum defunctas, serventur generalia canonum praescripta.

§ 6. Defuncto S. R. E. Cardinali aut Episcopo extra Urbem in civitate episcopali, servetur praescriptum can. 397, n. 3.

§ 7. Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime

fuerat electa, ius levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepulturam deducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem eiusdem loci; quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm est, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta.

Can. 1231. - § 1. Expletis in ecclesia exsequiis, cadaver tumulandum est ad normam librorum liturgicorum in coemeterio ecclesiae funeris, salvis praescriptis can. 1228-1229.

§ 2. Qui exsequias in ecclesia peregit, non solum ius, sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae.

Can. 1232. - § 1. Sacerdos qui cadaver comitetur ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire poterit, cum stola quoque et cruce elevata, per territorium alius paroeciae vel dioecesis, etiam sine parochi vel Ordinarii licentia.

§ 2. Si cadaver tumulandum sit in coemeterio ad quod commode asportari nequeat, parochus vel rector ecclesiae funeris nequit sibi vindicare ius illud comitandi extra fines civitatis vel loci.

Can. 1233. - § 1. Nequit parochus sine iusta et gravi causa ab Ordinario probata, excludere clericos saeculares, religiosos ac pia sodalitia quae familia vel heredes advocare velint ad deducendum cadaver ad ecclesiam funeris et ad sepulturam, et assistendum funeri; clerici tamen ipsi ecclesiae addicti a familia vel heredibus prae aliis omnibus invitari debent.

§ 2. Nunquam admittantur societates vel insignia religioni catholicae manifeste hostilia.

§ 3. Associantes cadaver tenentur morem gerere parocho circa ductum funeris, salvis uniuscuiusque praecedentiae iuribus.

§ 4. Laici cadaver, generis aut dignitatis cuiusvis ille fuerit, clerici ne deferant.

Can. 1234. - § 1. Locorum Ordinarii indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum, si non exsistat, pro suo territorio, de consilio Capituli cathedralis, ac, si opportunum duxerint, vicariorum foraneorum dioecesis et parochorum civitatis episcopalis, conficiant, attentis legitimis consuetudinibus particularibus et omnibus personarum et locorum circumstantiis; in eoque pro diversis casibus iura singulorum moderate determinent, ita ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio.

§ 2. Si in indice plures classes enumerentur, liberum est iis quorum interest classem eligere.

Can. 1235. - § 1. Districte prohibetur ne quis, sepulturae vel exsequiarum seu anniversarii mortuorum causa, quidquam exigat ultra id quod in dioecesano taxarum indice statuitur.

§ 2. Pauperes gratis omnino ac decenter funerentur et sepeliantur, cum exsequiis, secundum liturgicas leges et dioecesana statuta, praescriptis.

Can. 1236. - § 1. Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat.

§ 2. Si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver commode deferri posset, et alibi funeretur, portio paroecialis dividenda est inter omnes parochos proprios.

Can. 1237. - § 1. Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana.

§ 2. Si quacunque de causa primum sollemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex huius etiam funeris emolumentis debetur.

§ 3. Quantitas portionis paroecialis determinetur in taxa dioecesana; et si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis.

Can. 1238. - Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae Sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis.

72. Inscriptio Capitis ac mutua canonum ordinatio. Sequitur *Caput II,* cuius inscriptio est sic intelligenda: *De cadaveris translatione*, non ea materiali, quo nempe modo facienda sit, an curru vel humeris illud deferendo, sed religiosa, scilicet: cum precum recitatione atque sacerdotis comitatu, propter quod dicitur is habere « ius levandi cadaver » deducendique *ad ecclesiam* in qua exequiae fiant, unde sequitur in inscriptione: *de funere;* atque illis expletis, deducendum est cadaver ad coemeterium, inde inscriptio explicit: *ac depositione* in sepulcrum.

Iura, quae habent ut obiectum sepulturam ecclesiasticam quomodocumque, sunt partim apud fideles, partim apud ecclesias, vel instituta et personas ecclesiasticas. Videlicet: fideles possunt habere ius proprietatis aut exclusivi usus loci sepulturae pro se ac pro suis, ut vidimus in can. 1208, § 3, 1209, § 1, et vocari potest *ius sepulcri,* habent omnes fideles *ius ad sepulturam ecclesiasticam* complete dictam, videlicet: ut ea donentur demortui, et de hoc iure positum est Caput III. Sed istud ius uno actu exsolvendum, determinandum fuit pro singulis quoad locum. Et quamvis sacri canones huic providerint determinationi, permittunt id etiam fidelium arbitrio, et hinc exurgit *ius ad sepulturam eligendam.* — Ecclesiae autem habent quandoque *ius tumulandi*, si coemeterium possideant ad normam can. 1208 vel ex privilegio, cum quo iure connexum erat *ius funerandi,* quod respici potest, vel circa coeremonias et ritus sepulturae complendas, vel quoad praecipuam partem in eis gerendam, ut praeses, quod pertinere poterit huic vel alteri sacerdoti. Denique datur *ius associandi cadaver* ex officio ecclesiastico, sive ad ecclesiam funeris, sive ad locum sepulturae.

Praeter iura haec circa spiritualia et his connexa, sunt *ius ad emolumenta funeris,* et quandoque ad eorum partem, quod postremum dici potest *ius ad quartam funerariam.*

His suppositis, facilis apparet canonum coordinatio. Nam can. 1215 iubet cadaveris translationem in ecclesiam generice per funerem designatam. Quibus ecclesiis *ius funerandi* singulos fideles competat per can. 1216-1222 determinari potest. Postea sequuntur can. 1223-1226, qui *ius eligendi sepulturam* moderantur, et alii can. 1227-1229 praescripta cum dicto iure connexa continent. *Ius levandi cadaver, illud comitandi et exsequias persolvendi* defertur praeceptive diversis sacerdotibus secundum circumstantias, quae in

can. 1230 distinguuntur. *Ius associandi cadaver* in can. 1231-1233 est moderatum, *de iure ad emolumenta* funeris tractant can. 1234, 1235 et de altero *iure ad quartam funerariam* duo alii can. 1236, 1237; atque ultimus can. 1238 de obitus testimonio normam tradit.

73. **De cadaveris translatione ad ecclesiam et funeris notio.** Rit. Rom. inquit [1]: « Sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, et summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exsequiis uti solet,... Parochi summo studio servare debent, atque usu retinere », et quas ex toto illo titulo cognoscere licet. Ibidem vocantur: « vera religionis mysteria » hoc est: continentia sub velamine sensibili professionem veritatum fidei; « christianae pietatis signa », quae nempe charitatis exhibent affectum, quo animae fidelium uti fratrum devinciuntur, et hoc redundat in vivorum solatium; denique appellantur « fidelium mortuorum saluberrima suffragia ».

[2] S. Rota R. in Romana, Funeralium [3] coram Molines inquit: « Invaluitque adeo in toto Orbe catholico huiusmodi vetus Ecclesiae institutum (de ritibus sepulturae ecclesiasticae), ut receptissimum sit inter nostri Iuris interpretes quod mandari non debeat executioni ultima defunctorum voluntas in ea parte, in qua praescriberent, eorum corpus humari sine ulla honorificentia ab Ecclesia instituta, etc., non obstante qualibet contraria consuetudine; quia hanc, tamquam irrationabilem, omnique honestati repugnantem, eliminandam, et extirpandam esse ex cap. fin. de consuetudine aliisque probat Pignatelli, etc. ». Quod confirmatur ex auth. seq.[s] can.[s] interpretatione statim citanda.

His concordat *can. 1215. Nisi gravis causa obstet,* v. gr. leges civiles, pestis quae grassatur in loco, inoliti mores generales regionis, alioquin *cadavera fidelium* quorumlibet non sunt directe supulturae tradenda, *sed antequam tumulentur, transferenda sunt* equidem ad normam Rit.[s] Rom.[i] *e loco in quo reperiuntur,* quod dicitur « levare cadaver », *in ecclesiam,* quae sic generice designatur: *ubi funus,* cuius notio animadvertatur, *idest: totus ordo exsequiarum,* in quibus comprehenditur Missae celebratio, *quae in probatis liturgicis libris* diversorum rituum v. gr. dominicanorum, carmelitarum, etc. *describuntur,* talis « funus » *persolvatur,* veluti debitum erga defuncti ani-

[1] Tit. VI. Cap. I. De Exsequiis. — [2] Bened. XIV. Instit. XXXVI, n. XXII. — [3] 15 Iun. 1699.

mam. Qui ordo exsequiarum diversus est pro adultis ac pro parvulis «ante usum rationis», ut patet in Rit. Rom.°.

De initiali huius canonis clausula est solutum authentice Dubium [1] sub n. «15. Utrum periculum offensionis, vulgo *malumore* ex parte fidelium et cleri sit, ad normam canonis 1215, gravis causa, quae excuset a transferendis cadaveribus fidelium e loco in quo reperiuntur ad ecclesiam ubi funus persolvatur. — Resp.: Negative, et consuetudinem non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, a loco in quo reperiuntur in ecclesiam esse reprobandam».

Duo alia Dubia scitu digna circa ritum exequiarum soluta fuerunt a S. Congr. Rituum. Primum [2] S. Sebastiani... in Brasilia. «Ritus exequiarum, ut in Rit. Rom. praescribitur, in hac Archid. non est servatus, quia cadavera ad Ecclesiam non ducuntur, ob leges civiles, quae obligant ut sepulturae tradantur 24 horis post obitum; et etiam quia coemeteria, quae sunt sub lege civili, satis distant a paroecia. Parochi vocantur domi et hic cadavera commendantur.

Hinc quaeritur *quaenam rubricae et normae in casu servandae?* — Et Sacra Rit. Congr.... ita respondendum censuit. 1. Servandum, quantum fieri potest, Rit. Rom. (tit. VI, c. IV, *Exequiarum Ordo*) et can. 1215 Cod. I. C. — 2. Familia defuncti certior fiat funus cum Missa exequiali peragi posse, etiam praesente *moraliter* cadavere, iuxta Rubricas et Decreta. — 3. Pro casibus autem extraordinariis dabitur Instructio S. R. C.».

Aliud Dubium [3] est: Albinganen. «Utrum, attenta Const Aplca. "Incruentum" diei 10 Aug. 1915, in Commem. Omnium Fidelium defunctorum, liceat canere Missam pro defuncto, praesente cadavere? Et S. Rit. Congr.... rescribendum censuit: *Affirmative,* iuxta Rubricas et Decreta. Missa autem sit una ex tribus Missis quae dicuntur in Commemoratione (illa): et Orationi Missae addatur Oratio pro defuncto, sub unica conclusione».

74. **Ecclesia funeris ex iure ordinario.** Determinatur ecclesia, ad quam pertinet ius funerandi, in *can. 1216.* § *1. Ecclesia in quam cadaver* uniuscuiusque fidelis *pro funere* ipsius celebrando

[1] Pont. Commis. ad Cod. canones auth. interpretandos. 10 Oct. 1919. CO. XI, 479. — [2] 28 Febr. 1920. CO. XII, 128. — [3] 10 Ian. 1919. CO. XI, 143.

transferri debet ad normam praec.[s] can.[s], *ex iure ordinario,* seu ex regula ut plurimum sequenda, salvis exceptionibus, *est ecclesia propriae,* ob domicilium, vel quasi domicilium, vel actualem commorationem ad normam can. 94, *defuncti paroeciae,* cui aequipollet quasi-paroecia in Vicariatu aut Praefectura Apostolica ex can. 216, « in qua caelesti pabulo refici consuevit » [1] defunctus, vel « in qua ille officia consuevit audire divina, et ecclesiastica recipere sacramenta » [2], vel « in qua habet domicilium » uti Decretales aiunt, sed loquutio in Codice adoptata nostris moribus convenientior est. Additurque generalis quoque exceptio: *nisi defunctus* in proprii iuris usu *aliam funeris ecclesiam legitime,* id est: iuxta canones **1223-1227**, *elegerit.*

§. *2. Si defunctus plures* ob diversas rationes *habuerit paroecias proprias,* ut contingere potest ad normam can. 94, *ecclesia funeris est* una tantum *ecclesia paroeciae,* supple: « propriae », *in cuius territorio decessit.* Quia hypothesis « si mors acciderit extra propriam paroeciam » consideratur in can. 1218.

75. **Quae ecclesia praevalet in dubio.** Ius praedictum funerandi gaudet favore iuris ex Codice, dum ait *can. 1217. In dubio,* etsi positivo et gravi, *de iure* funerandi *alius ecclesiae* cuiuscumque et quolibet ex motivo electionis, aut sepulcri maiorum, *ius propriae ecclesiae paroecialis* ad normam can.[s] praec.[s] determinatae *praevalere debet.*

76. **Favor iuris erga propriam defuncti paroeciam** ostenditur quoque in *can. 1218. § 1. Licet mors acciderit extra propriam* ratione domicilii et quasi-domicilii *paroeciam, cadaver tamen* huius defuncti *in ecclesiam paroeciae propriae, quae* forsitan inter plures iuxta § 2. can.[s] 1216 *vicinior sit* obitus loco, *ob funus persolvendum ibi, transferendum est* ex praecepto, sed sub conditione: a) *si ad eam* ecclesiam, b) *commode,* c) *pedestri itinere,* non aliter perficiendo, *asportari possit,* sic explicato aequali praescripto cap.[is] 3 de sepulturis (III, 12) in 6°: « Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem: si non electa sepultura » (alioquin haec praeferenda, sicut etiam nunc vi exceptionis can. 1216, § 1, nam praesens canon est illius normae ge-

[1] Cap. 1 de sepulturis, tit. XXVIII, lib. III. — [2] Cap. 2 de sepulturis, tit. XII, lib. III, in 6°.

neralis interpretatio ad casus hypothesis); ergo: «si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali, vel in ea potius (ergo praeferenda), in qua maiorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, (de qua infra), sepeliri debebit: Dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari». Canon post aequipollentem supradictam clausulam sequitur: *secus in ecclesiam paroeciae in qua mors accidit*, huius ergo considerandum territorium, non ecclesiae paroecialis proximitas domui defuncti.

Porro cum aestimatio illius commoditatis multum pendeat a circumstantiis locorum, ne incertitudo iuris existat, normam in praxi sequendam praescribit § *2. Ordinarii* loci *est pro suo territorio*, sive dioecesis sit, sive quasi-dioecesis, Abbatia vel Praelatura nullius, *inspectis peculiaribus circumstantiis* sive totius territorii, sive quarumdam paroeciarum, a) *distantiam*, b) *aliaque adiuncta* v. gr. stationis aestivae aut hiemalis, causae mortis, etc. *designare*, *quae translationem cadaveris* «pedestri itinere» (§° 1ª) a) *ad ecclesiam funeris*, b) *aut locum sepulturae* propter similem clausulam can. 1229, § 1, *incommodam reddant;* quae determinatio erit authentica, eidemque standum erit ad iuris effectus, adversus quam tamen, si esset erronea, daretur locus recursui ad S. Concilii Congregationem, imo illa designatio subiecta esset mutationi in futurum ob circumstantiarum variationem. Demum circumspectus legislator subiungit: *et si paroeciae* videlicet: obitus et altera propria defuncti *ad diversas dioeceses pertineant*, *designatio* vi huius §ⁱ sequenda *attenditur* illa *Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit*, quia est terminus certus comparationis, alius vero utpote variabilis ob defuncti personam non «attenditur».

Hucusque praescriptum; sed favens propriae defuncti paroeciae arbitrium admittitur in § *3. Licet translatio* cadaveris a) *ad ecclesiam funeris* designatam in §° 1°, b) *aut ad locum sepulturae* ad normam ss. canonum *incommoda sit*, proinde non obligatoria, *semper tamen integrum est* ius a) *familiae*, b) *heredibus*, c) *aliisve quorum interest*, v. gr. superioribus defuncti, *cadaver illuc deferre* scilicet: sub litteris a) et b), hac vero conditione: *susceptis translationis* cadaveris modo decenti eis beneviso *expensis* necessariis.

77. **Ius funerandi defunctos constitutos in dignitate.** *Can. 1219. § 1. Si S. R. E. Cardinalis*, sive ordinis Episcopalis, sive presbyteralis, sive diaconalis, a) *in Urbe decesserit*, *corpus*

transferendum est ob huius can.[s] praescriptum, *funeris* perficiendi *causa* ob can. 1215, *in ecclesiam*, non illius dioecesis suburbicariae, proprii tituli aut diaconiae, multo minus paroeciae in cuius territorio degebat, sed *quam Romanus Pontifex* pro singulari defuncto *designaverit* forsitan extra Urbem in casu; b) *si extra Urbem* supple: decesserit, « corpus transferendum est » ut supra, *in ecclesiam insigniorem* v. gr. cathedralem, collegiatam *civitatis*, *seu* forsan paroecialem *loci ubi mors* illius *accidit*, addita etiam huic canonis secundae parti tantum ex contextu exceptione: *nisi Cardinalis* « extra Urbem » defunctus *aliam* funeris causa ecclesiam *elegerit*. Nec Cardinalis « in Urbe » decedens fraudatur simili facultate, quatenus hanc suam voluntatem potest Summo Pontifici patefacere, cui Papa pro sua prudentia deferet.

§ 2. *Defuncto* a) *Episcopo residentiali, etiam cardinalitia dignitate* nempe: ordinis presbyteralis *aucto*, quod de Episcopo suburbicario dici proprie nequit, cum hic obtinens hanc dioecesim gradum ascendit in Collegio S. R. E. Cardinalium; de illo autem intelligendum est huius §[i] praescriptum, quando « extra Urbem decesserit » b) *aut Abbate vel Praelato nullius*, qui designandi fuerunt expresse, eo quod sub verbo cathedralis non venit horum ecclesia. et sic canon redactus est: *corpus*, *funeris* persolvendi eis *causa*, *transferri debet* ad normam can. 1215 *in ecclesiam* respective a) *cathedralem*, b) *abbatialem vel praelatitiam*, sub conditione: *si id commode fieri possit* quomodolibet, non enim additur clausula (can. 1218, § 1) « pedestri itinere », cum non sit hoc in usu pro his defunctis; *secus*, scilicet: hac deficiente conditione, *in ecclesiam insigniorem* a) *civitatis*, b) *seu loci* sub §° 1° declaratam, ac subditur exceptio: *nisi in utroque casu*, scilicet: tum existentis conditionis, tum deficientis, *defunctus* quilibet supradictorum *aliam ecclesiam* ad funus sibi persolvendum *elegerit*. Quae clausula confirmat restrictivam eiusdem interpretationem sub §° 1° datam ob contextum.

78. **Ius funerandi defunctos beneficiarios.** Ob parem relationem inter personam et ecclesiam ac in praec.[i] can.[e], decernit idipsum *can. 1220. Beneficiarii residentiales*, nempe: clerici possidentes « beneficium » (can. 1409) proprie dictum « adnexam habens obligationem residendi » (can. 1411, 3°) ex canone, lege particulari, vel fundatione, aut legitima consuetudine; illi defuncti

ad ecclesiam non domicilii aut quasi domicilii, sed *sui beneficii*, nempe: in qua illud situm est, *transferendi sunt* ad normam can. 1215, *nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris* in hoc casu praeferendam.

79. **Ius funerandi defunctos religiosos ac novitios.** In cap. 5 de sepulturis in 6° (III, 12) legitur ex Bonifacio VIII: « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea cum moriuntur commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) », et haec est ratio, quae urget in eis qui vota emiserunt, ac ubicumque decesserint, « nequeunt ergo sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi ». Et hoc positivum praescriptum limitat exceptio antea inserta. Hinc non est admissa in Codice Doctorum sententia, quod si verificentur illae conditiones exceptionis, queant religiosi eligere sibi sepulturam, ut patet ex contextu *can. 1221. § 1. Professi* externo habitu aliisve signis subiecti actu alicui religioni, unde excluduntur manentes extra claustra cum indulto exclaustrationis ad normam can. 639, sic interpretato illo verbo, ut non dicatur vane additum, eo quod subditur in canone: *religiosi* « qui vota nuncuparunt » (can. 488, n. 7°) *ac novitii* in illa « valide ad novitiatum admissi » (can. 542, 1°), « susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto » (can. 553), praefati singuli, sed propter § 5 can.ˢ 1230 viri tantum ad normam exceptionis sub can. 490, *defuncti cum sint*, *transferendi sunt*, *funeris* eis persolvendi *causa*, pro arbitrio *ad ecclesiam vel oratorium* etsi semi-publicum a) *suae domus*, b) *vel saltem suae religionis*, v. gr. ob distantiam illius ab obitus loco, ob aliam quoque causam rationabilem, hac vero exceptione servata: *nisi novitii* tantum *aliam ecclesiam* ex recensitis sub can. 1225 *ad suum funus elegerint*: sequitur tamen ob connexionem velut admonitio pro isto casu: *ius autem* a) *levandi cadaver* ubilibet inveniatur, b) *et illud* inde *deducendi ad ecclesiam funerantem* propriam vel alienam, quia dicitur *pertinet semper ad Superiorem religiosum* determinandum ex constitutionibus, alias maiorem vel etiam localem domus ad cuius familiam pertinebat defunctus, et cui iuri applicatur reg. 68 in 6°. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum ». Quae in canone dicuntur possunt aptari « religiosis », qui « ad ecclesiasticam dignitatem » ad minus episcopalem promoti sunt, et non comprehensi quolibet ex motivo sub can. 1219, quamvis revera non

veniant sub verbis « professi religiosi » simpliciter adhibitis, eo quod valde mutata est illorum conditio iuridica, ut patet ex can. 627-629 in Commentario Textus explicatis.

Casibus facilioris eventus providet § *2. Si longe moriantur a domo* religionis propriae declarati sub §° 1° « professi religiosi ac novitii », *ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis* ad normam §[i] 1[i] *nequeant commode asportari* qualicumque decenti modo, *funerandi sunt* ex praecepto huius canonis taxative *in ecclesia paroeciali ubi* scilicet: in cuius territorio inveniantur, quolibet ex motivo v. gr. studiorum vel ministerii, recuperandae sanitatis, quando *decedunt*, duplici cum exceptione huius praescripti, a) *nisi novitius* tantum sicut in §° 1ª *aliam ecclesiam* ex designatis sub can. 1225 *ad funus* sibimet solvendum *elegerit*, quo iure gaudet vi can. 1223, § 1, *et* b) *salvo Superioribus* « quorum interest » *iure*, prout interpretati sumus verba « integrum est », *de quo in can. 1218*, § *3*, scilicet: « cadaver in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis deferendi, susceptis translationis expensis ».

Non iam ob exemptionis extensionem seu communicationem, sed ex iure communi § *3*[i] adiungitur connexum praescriptum sic ampliatum. *Quae de novitiis* cuiuslibet religionis *dicta sunt*, scilicet: in §§ *1*, *2*, unde clausula etiam: « nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint », I *valent quoque*, ut praescriptum vel ius respective, a) *de famulis* proprie dictis, sed b) *actu servientibus*, eo quod nondum dimissi quamvis dispensati ad tempus a servitio, c) *et intra domus* religiosae *septa stabiliter*, idest: diu noctuque *commorantibus*, nec solum temporanee dum habitationem quaerunt, II *qui tamen*, etiam sub praefatis conditionibus, *si extra religiosam domum* v. gr. in hospitali *decesserint*, vel dum invisunt parentes, *funerandi sunt ad normam can. 1216-1218* explicatam de iure ordinario quorumlibet fidelium. Conditiones praedictae fere iisdem expressae verbis, ac in const. « Superna » Clem. X [1] quoad poenitentiae administrationem, exponunt clausulam Conc. Trid. [2] « eas (personas saeculares), quae sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia ».

80. Ius funerandi saeculares alios in religiosis domibus decedentes. Quaestionem, quae dubia erat inter Doctores ante

[1] 21 Iun. 1670. — [2] Cap. 11, sess. XXV de regularibus et monialibus.

Codicis vigorem, hic solvit pro futuro tempore in *can. 1222. Quod attinet ad defunctos*, equidem in praec. §° non comprehensos, nam dicitur: *qui* a) *in domo etiam regulari*, proindeque iure can. 615 exempta, fortiori ergo ratione in alia qualibet domo religiosa, b) *vel collegio*, de quo magis dubitabatur, *degebant* tempore obitus, et quod verbum etiam breve tempus significat, sed *ratione* a) *hospitii* etiam unius diei, b) *educationis*, cum diuturni ergo temporis intenta permanentia, c) *vel infirmitatis*, v. gr. apud religiosos in loco salubriori commorantes *et* « quod attinet », d) *ad defunctos in hospitali* quocumque, forsitan proprio quorumdam regularium Ordinis laicalis, *standum est canonibus 1216-1218* seu iuri ordinario, cum sequenti duplici exceptione: *nisi constet* certo ex sufficientibus probationibus a) *de iure particulari* v. gr. ex conventione rite facta, de lege ecclesiastica vel legitima consuetudine adversus praecedens praescriptum, b) *aut privilegio* huiusmodi directe concesso quoad religiosas domos vel collegia, quae ab ipsis religiosis regantur, qualitercumque obtento ab aliis collegiis vel hospitalibus. Alii demum defuncti considerantur in postrema canonis parte, ast remissive; videlicet: *quod vero ad illos attinet*, non solum alumnos, sed *qui* ex ratione praedictarum qualibet degentes *in Seminario moriuntur, servetur praescriptum can. 1368;* nam « pro omnibus qui in Seminario sunt », utpote quod « exemptum sit a iurisdictione paroeciali », quoad hanc rem « parochi officium obire debet Seminarii rector eiusve delegatus », et proinde in propria Seminarii ecclesia vel semi-publico oratorio, « nisi in quibusdam Seminariis fuerit aliter a Sede Apostolica constitutum ».

81. **Ius eligendi sepulturam,** sicut et habere proprium sepulcrum admittitur in iure Decretalium. Sic enim loquitur Leo III [1]: « Nos instituta maiorum patrum considerantes: Statuimus unumquemquem in maiorum suorum sepulcris iacere: ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, et etiam alienam. Dominus enim et magister alienam elegit ut propriam ». Ergo statuitur imprimis depositio in sepulcrum maiorum. Sed huic praeferri permittitur electam sepulturam, quae sit propria vel aliis communis.

Huic iuri concors est *can. 1223. § 1. Omnibus licet*, attamen

[1] Cap. 1, de sepulturis, tit. 28, lib. III.

dependenter ab ecclesiastica auctoritate per leges tale ius moderante, seu *nisi expresse* quamvis implicite, sed *iure,* sive scripto canone, sive ab homine ad normam ss. canonum, *prohibeantur*, alioquin « licet » *eligere* inter omnes in can. 1225 recensitas a) *ecclesiam sui funeris* persolvendi per clericos, b) *aut coemeterium sepulturae* inter diversa, quae ad normam can. 1208 existant prout de iure, vel, quantum ab Ecclesia pendet, inter plura coemeteria « societatis civilis propria », quae sint ad normam can. 1206, § 2 benedicta.

Bonif. VIII in cap. 4 de sepulturis in 6° (III, 12) postquam initio inquit de minoribus filiis, « qui nequeunt antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam », statuit infra: « Quamvis autem filiusfamilias absque patris assensu sibi possit libere eligere sepulturam; pro anima tamen sua praeter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid iudicare non potest » id est, iuxta Glossam, « in ultima voluntate relinquere: iudicium enim hic sumitur pro ultima voluntate ». Ius ergo illud refert § *2. Uxor* quaelibet *et filii puberes*, videlicet: « si masculus, a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo » (can. 88, § 2) *in hac* « ecclesiae sui funeris aut coemeterii sepulturae » (§ 1) *electione prorsus immunes sunt*, illa *a maritali* « potestate », utpote de dispositione tunc exequenda quando a lege viri soluta erit, *vel* hi singuli *a patria potestate*, per quemcumque haec possideatur. De uxoribus habetur idipsum in cap. 7 de sepulturis (III, 28): « De uxore vero, utrum quemadmodum vir, liberam debeat habere sepulturam: Nobis videtur, quod nulla super hoc inter virum, et mulierem sit facienda distinctio, sed utrique in casu isto aequalem esse credimus facultatem, cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri ».

82. **Prohibitio canonis circa electionem sepulturae**. In determinationem clausulae praec.^s can.^s « nisi expresse iure prohibeantur », est redactus *can. 1224. Ecclesiam funeris* sibiipsis persolvendi b) *aut sepulturae* idest: depositionis *coemeterium eligere* inter diversa coemeteria in can.^s praec.^s § 1 declarata, et inter omnes ecclesias sub can. 1225 designatas, *prohibentur* ex hac lege: — *1°. Impuberes*, sicut in cit.° cap.^e Decretalium; *verum pro filio aut filia impubere*, seu ante alterutrius aetatem in can. 88, § 2 deter-

minatam, *etiam post eorum mortem*, ac fortiori motivo dum exercent in eos patriam potestatem, *hanc* utramque *electionem* impuberibus prohibitam *facere possunt parentes*, tum pater, tum mater, *vel tutor* deficientibus illis. Et animadvertatur derogatio ad normam can. 5 consuetudinis particularis, si quae adhuc fuerit, et salva remanserat vi cit.[i] cap.[is] 4 dicentis: « Licet pater minores filios,... antequam ad annos pubertatis perveniant,... possit (si consuetudo terrae id habeat) quo voluerit sepelire: hoc tamen non potest ubi consuetudo huiusmodi non habetur, sed sunt cum maioribus, vel in parochiali ecclesia tumulandi ». (Concordat c. 7 eod. tit. in Decret[s] Greg. IX, § Utrum). — *2°*. Ut in canonis initio « prohibentur »: *Religiosi professi,* « cum velle vel nolle non habeant » (Cap. 5 supra cit.), a) *cuiuslibet gradus* v. gr. Magistri in S. Theologia, sed praesertim Provincialis, vel Generalis, b) *aut dignitatis* v. gr. Abbates de regimine, etiam Abbas Primas, *non tamen* prohibentur, proinde ipsis « licet eligere » (can. 1223, § 1), *si sint Episcopi* etiam titulares, et quamvis « dimisso cardinalatu vel episcopatu ad religionem redierint » (can. 629, § 1), utpote quod « vi voti obedientiae, uni Romano Pontifici manent obnoxii » (can. 627, § 2).

83. **Limitatio iuris eligendi ecclesiam funeris.** Ius eligendi coemeterium sepulturae nanciscitur limitationem ex natura obiecti propter can. 1206, 1208, aliud vero obiectum eiusdem iuris eligendi sub hoc capite in diversis personis recogniti determinatur per *can. 1225. Ut electio ecclesiae funeris* can. 1215 declarati *valeat,* unde ius eligendi eam limitatur, *cadat* illa *necesse est* a) *vel in ecclesiam paroecialem* non propriam, b) *vel in ecclesiam regularium,* nempe: « qui vota nuncuparunt in Ordine » (can. 488, 7°), non Congregationum etsi exemptarum vel habentium coemeterium proprium, et canon limitat quoad Ordinem quemcumque: *non tamen monialium* votorum quoque solemnium « ecclesiam », (*nisi agatur,* et bene notentur conditiones: *de mulieribus quae* a) *famulatus,* b) *educationis,* c) *infirmitatis,* d) *aut hospitii causa,* eadem multiplici enunciata de viris saecularibus et declarata in can. 1221 et 1222, *intra clausuram* admissis « ex S. Sedis licentia » (can. 600) *eiusdem monasterii,* cuius ecclesia eligitur, *non precario* seu ad breve tempus *commorabantur*), quae mulieres defunctae ob sensum canonis implicitum, deficiente illa iuridica electione, ad ecclesiam propriae paroeciae essent deferendae.

Usque huc protracta parenthesis declaratione, prosequitur canonis praescriptum « ut electio ecclesiae funeris valeat »: c) *vel* « cadat » *in ecclesiam iuris patronatus*, respectu ipsius tantum patroni eligentis, quod exprimit clausula: *si agatur de patrono*, d) *vel in aliam ecclesiam funerandi iure* propter praescriptionem, legem particularem, seu ob privilegium *praeditam*.

84. **Exercitium validum duplicis iuris eligendi.** *Can. 1226* determinat applicationem huic iuri de regula 68 in 6°. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum ». § *1. Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest* ad normam canonum 1223-1225 a) *per se*, b) *vel per alium cui legitimum* ex observantia sacrarum legum *mandatum dederit;* a) *factamque* alterutram ac per alterutrum *electionem*, b) *aut mandati concessionem quolibet legitimo modo* sive iudicialiter sive extra iudicium *probare licet.*

§ *2. Si electio* alterutra *fiat per alium, hic suum mandatum* legitimum de alterutra electione *explere potest etiam post mortem mandantis*, ob quam dubitari possit de mandati valore.

85. **Plena electionis libertas vindicatur.** Bonifacius VIII in cap. 1 de sepulturis (III, 12) in 6° inquit: « Animarum periculis et scandalis, quae frequenter ex his proveniunt, obviare volentes, universis religiosis et saecularibus clericis, cuiuscumque status vel conditionis exsistant, in virtute sanctae obedientiae, (clausula derogata propter Codicis omissionem), ac sub interminatione maledictionis aeternae, districtissime prohibemus », et sequitur iisdem verbis vetitum *can. 1227* proinde asserentis: *Religiosi*, « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), *et clerici* seu « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati » (can. 108, § 1) *saeculares*, qua distinguuntur a religiosis: praedicti *districte vetantur*, ergo sub gravi peccato, *ne quos* habentes duplex eligendi ius de quo infra, a) *ad vovendum* proprie, b) *iurandum*, alterutro nempe actu religionis, c) *vel fide interposita*, idest: formali fidelitatis obligatione suscepta, *seu aliter*, id est simpliciter *promittendum inducant* suasione, minis, importunis petitionibus, a) *ut apud eorum ecclesias funus*, quod frequentius evenire potest, b) *aut apud ipsorum coemeterium sepulturam eligant*, ac utrumque constituit seiunctim obiectum electionis ex vetita inductione, non obstante quod in cit.° cap.e scriptum erat: « ut apud eorum ecclesias sepul-

turam eligant », eo quod in iure Decretalium tum funerandi tum sepeliendi iura intime connexa erant, c) *vel factam electionem* alterutram « apud eorum inducentium ecclesias aut coemeterium » *non immutent*.

Hucusque lex vetans, quae « irritans » est (can. 11), quia « expresse statuitur »: *quod si contra* canonis praescriptum *factum fuerit* ab aliquo religiosorum clericorumve saecularium, *electio* inde vel sequuta vel non immutata *sit nulla*. Quam postremam interpretationem dedit Bonifacius ipse VIII addens (loc. cit.): « Statuentes, ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas ecclesias ullatenus sepeliri... possint... sed contradictione quacumque cessante sepeliantur omnino apud illas ecclesias, apud quas sepeliendi de iure fuissent, si alias sepultura non electa forsitan decessissent ». — Sed prohibitio altera inserta ibidem « vim omnem amisisse dicenda est » (can. 6, 6°), quia « nec explicite nec implicite in Codice continetur ». Prohibitio talis erat: « nec alibi (ne contra votum, iuramentum, aut promissum huiusmodi a se factum materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam ».

86. **Effectus canonici electionis sepulturae,** quia nihil aliud ex iure requiritur praeter electionem ecclesiae ad obtinendum funus in ea. *Can. 1228. § 1. Si electa fuerit sepultura* idest: cadaveris depositio *in coemeterio*, seu loco ad hoc benedicto, quocumque *diverso a coemeterio propriae* cuiuslibet *defuncti paroeciae*, praescriptum est: *cadaver in illo sepeliatur*, servanda exceptione: *dummodo nihil obstet*, rationabile quidem propter legislatoris voluntatem *ex parte eorum a quibus* v. gr. auctoritatis civilis officialibus *coemeterium pendet*. Obstaculo autem etsi contra rationem proposito, alii ab hoc praescripto servando excusantur, quanquam possent, si spes exitus adsit, contendere pro electionis effectu.

Propter eos, quorum est coemeterium proprium ratione dominii, positus est *§ 2. Electa sepultura* ut antea *in coemeterio religiosorum*, sive exemptorum iuxta § 2, sive non exemptorum ex § 3, can. 1208, *ut cadaver* vi eiusdem electionis *inibi sepeliri queat*, a) *requiritur* ex iure, b) *et sufficit* absque ulla parochi proprii vel Ordinarii loci licentia, positivus *consensus*, etsi tacite manifestatus, *Superioris religiosi* localis, aut maioris, nempe: *ad normam constitutionum cuiusque religionis* forsan requirentium consilii aut capituli respectivi consilium vel consensum.

87. **De sepulcro maiorum.** Ex pluribus Decretalium cit.[s] cap.[s] derivatus est *can.[s] 1229 § 1. Si quis*, etiam impubes, a) *sepulcrum maiorum*, seu ascendentium parentum, *in aliquo coemeterio possidens* legitime, saltem quoad usum, b) *non electa* (et quoad impuberem nec ad normam can. 1124, 1°) *alibi sepultura*, quae iuxta eius voluntatem, obsequente canone, esset praeferenda, *decesserit*, nempe: extantibus simul dum obierit duabus illis conditionibus, *in eodem* praefato sepulcro *sepeliendus est* vi quoque huius praescripti, c) *si illuc commode asportari* quolibet decenti modo *possit*, *salvo praescripto can. 1218*, *§ 3* de iure, « familiae, haeredum aliorumve quorum interest », faciendi translationem incommodam, « susceptis translationis expensis ».

In cap. 3 de sepulturis (III, 12) in 6° decretum fuit a Bonif. VIII: « Mulier autem, quae plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cuius domicilium retinet et honorem, tumulanda ». Magis explicitus in connexione ad §[m] 1[m] redactus est § *2. Pro uxore*, sic dicta, quia virum habet vel habuit tempore sui obitus, *attenditur* quoad praecedens praescriptum, et « non electa per eandem alibi sepultura », a) *sepulcrum viri, et, si plures habuerit* viros, proinde « successive », *sepulcrum ultimi*, etiamsi domicilium eius prius demortui non retineat, quia canon in hac conditione, « qua discrepat a iure veteri, est ex sua ipsius sententia diiudicandus » (can. 6, 3°). Aliter dicendum est ad normam can.[s] eiusdem in n.° 4°: « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recendendum », de uxore legitime separata a viro adhuc vivente vel prius demortuo, quia sola « uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui ».

Quod facilius potest accidere, movit legislatorem, ut canonem compleret, adiungendo novum decretum in § *3°*. *Plura si sint* eiusdem defuncti a) *maiorum aut* defunctae uxoris *viri* unius vel ultimi *sepulcra*, *defuncti* de quo agatur a) *familia*, b) *aut heredes*, quis autem horum praeferendus in electione non dicitur, *locum sepulturae deligant* inter praedicta.

88. **Ius levandi cadaver, illud comitandi et exsequias persolvendi.** Cuinam competat saltem partialiter hoc multiplex ius, decernere oportet per *can. 1230. § 1. Proprius defuncti parochus*, determinatus ex § 2. can. 1216 « si defunctus plures habuerit pa-

roecias proprias », *non solum ius* respectu aliorum parochorum ac sacerdotum, *sed etiam officium* erga defuncti parentes aut haeredes propter illum *habet, excepto gravi necessitatis casu*, propter quam illud cesset ius, vel ab hoc excusetur adimplendo officio, a) *levandi per se vel per alium* ex arbitrio *cadaver*, illud adspergendo aqua benedicta et recitando preces liturgicas « antequam cadaver efferatur » (Rit. Rom. Cap. III, n. 1), b) *illud comitandi*, vel « praelata cruce, dum procedunt devote Psalmos decantantes, Parocho praecedente feretrum cum luminibus » (Rit. Rom. loc. cit.), vel alio modo, si ille adhiberi complete nequeat « illudque » ducendum est *ad suam*, seu parochi comitantis *ecclesiam paroecialem*, c) *ibique exsequias persolvendi* ius habet, ut earum praeses, *firmo praescripto can. 1216*, § *2* supra memorato.

Respectu habito ad can. 1218 est conditus § *2. Quod* a) *si mors acciderit in loco alienae* quoad ipsum defunctum *paroeciae*, b) *et cadaver ad ecclesiam propriae paroeciae* fortassis « quae vicinior sit » *commode* « pedestri itinere » *asportari possit*, quo casu « in eam ob funus transferendum est » (can. cit. § 1), *parochi proprii* nempe: illius ecclesiae *est* ut in §° 1°, *praemonito* tantum *parocho loci*, nec expetita licentia, imo isto fortassis invito, a) *illud* cadaver *levare*, b) *comitari ad suam ecclesiam*, c) *ibique exsequias peragere*, prouti haec tria in §° praec. declarata fuerunt.

Pro casibus electionis valide peractae ad normam can. 1223-1228 duo seq.^s §§^i adduntur. § *3. Si ecclesia funeris sit ecclesia* a) *regularis*, eo quod ad regulares pertineat indeque iure exempta a iurisdictione quoque Ordinarii loci, b) *aliave* religiosi cleri vel saecularis *exempta a iurisdictione parochi* quolibet modo legitimo v. gr. ex Episcopi subductione vi can. 464, § 2, tunc a) *parochus* loci obitus, sicut videtur rationabilius, « indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali eiusdem coloris, clerico praeferente aquam benedictam » (Rit. Rom. loc. cit.), b) *sub cruce ecclesiae funerantis* ob electionem, *cadaver levat ac deducit ad ecclesiam*, ad quae duo restrictum « ius et officium habet » ; *sed exsequias rector* ampliore sensu quam in can. 479 *ecclesiae* huius *celebrat*, equidem « per se vel per alium » ob analogiam §^i 1^i.

§ *4. Si vero ecclesia funeris* ut in §° praec., *non sit exempta a iurisdictione parochi, celebratio* quoque *exsequiarum, salvo peculiari privilegio* tantummodo Sedisque Apostolicae, quia est contra

ius sequens: illa « celebratio » *pertinet non ad rectorem ecclesiae funerantis* de qua in hoc §°, *sed ad parochum* a) *in cuius territorio ecclesia sita est,* forsan diversum a parocho loci obitus, attamen sub conditione, b) *dummodo defunctus parocho* illi *subiectus fuerit* propter normam can. 94 et ab eius iurisdictione non subductus. Alioquin « exsequias rector ecclesiae celebrat » ob analogiam §ⁱ praec.ᵃ et huius contextu.

§ 5. *Religiosas,* sive moniales, sive sorores, *et novitias* cuiuslibet religionis, I° *in religiosa domo defunctas, ad clausurae* cuiuscumque *limen deferant aliae religiosae,* nisi detur in particularibus casibus causa et licentia illam dispensandi ad defunctam deferendam; *indeque* ius ac officium incipit sacerdotis, nempe: a) *si de religiosis agatur iurisdictioni parochi non obnoxiis* de facto, *ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium* etsi semipublicum *deducit* cadaver comitando, *et exsequias peragit,* utrumque ut declaratum est in §° 1ᵃ, *cappellanus* « per se vel per alium »: b) *si de aliis religiosis* nempe: « iurisdictioni parochi obnoxiis », *valet praescriptum* §ⁱ *1ᵃᵉ* a clausurae limine; II° *quod vero ad religiosas attinet* ut supra et fortiori ratione ad novitias *extra domum* supple: « religiosam » *defunctas, serventur generalia* pro fidelibus *canonum praescripta* circa multiplex ius hoc canone moderatum.

§ 6. *Defuncto S. R. E. Cardinali,* etsi presbyter sit ordinatione, *aut Episcopo,* ut videtur etiam titulari, a) *extra Urbem,* nam in ea pro illo provisum est implicite in can. 1219, § 1 et iure communi, pro isto sunt specialia Urbis statuta, b) *in civitate episcopali* quamvis non propria defuncti, *servetur* saltem de iure ac officio canonis quem commentamur, *praescriptum can. 397, n. 3* de Episcopo residentiali civitatis illius. Videlicet: « Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est: — 3°. Eidem (Episcopo residentiali) decumbenti ministrare Sacramenta; defuncto iusta funebria persolvere ».

§ 7. *Si cadaver* cuiuslibet defuncti *mittatur* de facto v. gr. ob « sepulcrum maiorum » (can. 1229) *ad locum ubi* a) *nec defunctus propriam paroeciam habebat,* alioquin ipsi provisum esset per §§ 1, 2, 5, b) *nec* ibi *ecclesia funeris legitime fuerat electa,* illud igitur non comprehensum sub §§ 3, 4, *ius* a) *levandi cadaver*

praesertim in loco illo, b) *peragendi exsequias, si peragendae sint,* ac tunc implicite « illud comitandi ad ecclesiam funeris » (§° 1[a]), c) *et cadaver ad sepulturam deducendi,* hoc multiplex ius, et quoad partes litterae b) subnexas sub conditione ibi expressa, *pertinet,* a) *ad ecclesiam cathedralem eiusdem loci,* ac per sacerdotem praesidem ad hoc deputatum; *quae* ecclesia cathedralis *si desit* in praefato loco, b) *ad ecclesiam paroeciae in qua,* idest: intra cuius territorii fines *coemeterium situm est, nisi* ad hanc paroecialem ecclesiam quod attinet, *aliud* diversum a praescripto canonis *ferant* a) *loci consuetudo,* etiam « quae centenaria non sit et immemorabilis, quia expresse Codex cavet » de consuetudine servanda (can. 5), b) *aut dioecesana statuta,* quia haec « praescripto huic opposita non abrogantur » (can. 6, 1°), eo quod sic « expresse caveatur ».

89. **Ius tumulandi** est « ius spirituale ecclesiis et institutis ecclesiasticis iuxta sacros canones competens coemeterium possidendi, (de quo tractatum est in can. 1208), ibique ad sepulturam admittendi determinatos saltem fideles ». Cum eo connexa sunt ac comprehensa (iure Decretalium) *ius funerandi* et *ius emolumenta percipiendi.* Ius tumulandi ut plurimum redactum est in praxi ad alia duo antedicta iura. Sed connexio illa sic exprimitur in *can. 1231, § 1. Expletis* ad normam praec. canonum *in ecclesia* qualibet « funerandi iure praedita » (can. 1225) *exsequiis, cadaver tumulandum est* praecepto huius canonis, et *ad normam librorum liturgicorum* v. gr. Ritualis Romani quoad ritus et coeremonias, *in coemeterio ecclesiae funeris,* dum supponitur illud possideri ab hac ecclesia ad normam can. 1208, *salvis praescriptis can. 1228* de sepulturae solius electione « in coemeterio diverso, fortassis religiosorum », et *can. 1229* de sepulcro maiorum vel viri, in quo « defunctus sepeliendus est ».

Exercitium vero illius iuris determinatur quoad personam physicam in *§ 2. Qui exsequias in ecclesia* in §° 1[a] declarata *peregit* ad normam can.[s] praec.[s], *non solum* a) *ius* erga ceteros sacerdotes quoscumque, *sed etiam,* b) *officium* erga defuncti parentes aut heredes, utrumque stricte dictum causa defuncti *habet, excepto gravi* solummodo *necessitatis casu,* ob quam cesset ius illud, excusetur ab eodem officio, *comitandi per se vel per alium sacerdotem,* quia de sacro comitatus ministerio circa *cadaver* agitur, usque *ad locum sepulturae* idest: depositionis in tumulo.

90. **Connexa cum iure comitandi cadaver.** Dec. S. Cong. Rit. super Exequiis [1] prorsus vigens declaravit: « I. Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum cruce, quae debet esse illius ecclesiae ad quam defuncti corpus defertur, (dummodo non interveniat Capitulum ecclesiae cathedralis); sub qua omnes incedere debent funus associantes ». — « II. Ius et onus inesse semper, etiam praesente capitulo cathedralis ecclesiae, extra hanc tamen, parocho induendi stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti ad suam pertinentis ecclesiam, usque dum e loco obitus ingressus fuerit ecclesiam tumulantem; ad quam, per alias quoque paroecias libere transeundo (recto tamen tramite, nisi aliud consuetudo ferat), cadaver deferendum est ». Hae diversae circumstantiae huius ministerii paroecialis admittendae sunt ad intelligentiam extensionis, quae per adaptationem illius praescripti facta est quoad Codicis canones vi *can. 1232. § 1. Sacerdos*, etsi non parochus, *qui cadaver comitetur* a) vi can. 1230 praeter §m 4m; *ad ecclesiam funeris vel*, b) ad normam can. cit. § 7, et 1231 *ad locum sepulturae*, a) *libere transire poterit*, b) *cum stola quoque et cruce elevata* « ecclesiae funerantis » (cit. dec.° n. I et can. 1230, § 3), c) *per territorium alius paroeciae*, idest: non suae, si sit parochus, *vel dioecesis*, cuius non est sacerdos praedictus, d) *etiam sine parochi vel Ordinarii licentia*, utpote hac non indigens vi huius canonis, imo quamvis iidem essent inviti.

Limitatio iuris praedicti et consequenter officii decernitur in *§ 2. Si cadaver tumulandum sit*, ratione electae sepulturae, vel sepulchri maiorum aut viri defunctae, uno verbo ad normam can. 1218, § 3, *in coemeterio ad quod commode asportari nequeat*, quandocumque illa norma legitime applicetur, a) *parochus*, b) *vel rector ecclesiae funeris nequit sibi vindicare ius illud* § 1 comitandi « per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae » *extra fines civitatis vel loci*, ubi sita est ecclesia, et qui fines ultra domuum complexum protracti esse queunt.

91. **De cadaveris associatione ducenda.** Ex quampluribus declarationibus SS. Cong.m, quas referunt adnotationes in hunc Codicis locum, conflatus est *can. 1233. § 1. Nequit parochus*, etsi defuncti associationi per se intersit, *sine* a) *iusta* pertinente ad rem

[1] 23 Apr. 1895, n. 3854.

et gravi causa b) *ab Ordinario probata,* quia de negotio ad forum externum facile pertinente, *excludere* vetando vel aliter a) *clericos saeculares,* b) *religiosos,* sive hi clerici sive laici sint, c) *ac pia sodalitia,* quo « nomine veniunt associationes fidelium quae ad modum organici corporis sint constitutae » (can. 707, § 1), *quae* sub litteris a), b) et c) *familia vel heredes* pro eorum iure ac arbitrio *advocare velint ad deducendum* cum religiosa pompa *cadavere* a) *ad ecclesiam funeris* eidem persolvendi, b) *et ad sepulturam,* ad alterutram vel ad utramque, sicut, c) *et ad assistendum funeri,* nempe: « toto ordini exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, et in ecclesia persolvitur » (can. 1215); sequitur autem admonitio aequa prorsus ac servanda ob praeceptivum verbum: *clerici* tamen « ob primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) et *ipsi ecclesiae* « funeris » *addicti a familia vel heredibus* iuxta casus advocantibus, *prae aliis omnibus* supra dictis *invitari debent,* si nempe alii advocantur.

Absolutum vetitum continet § 2. *Nunquam admittantur* expresse vel tacite, etiam per silentium quando prudenter posset quis se opponi, iuxta Reg. 43 Iuris in 6°. « Qui tacet, consentire videtur ». *societates* laicae vel religiosae, quocumque appellentur nomine, *vel insignia,* quae hominum moribus ad significandum adhibentur, *religioni catholicae* qualibet ex parte huius, sed *manifeste,* ita ut plane cognoscantur veluti *hostilia,* quod verbum directam oppositionem significat. Huc pertinent tres declarationes S. C. Inq.[s] hic memorandae, utpote post Codicem quoque practicae utilitatis. Omnino prohibitum est feretro imponere insignia societatis aut sectae ab Ecclesia damnatae, cui forsan aliquando defunctus adscriptus fuit. Constat ex natura rei et ex iurisprudentia Sedis Aplcae., cum enim quaereretur: « num liceret funera celebrare defuncti sectae massonicae addicti, sed conversi et sacramentis muniti ?, respondit S. Congr. Suprema [1]: Affirmative,... ablatis insigniis sectae ab Ecclesia damnatae, et dummodo appositio emblematum demandata non fuerit a defuncto post receptionem sacramentorum, vel ab eodem fuerit revocata; et amoveantur statim cognita eorum appositione, et omnino ante associationem cadaveris ».

Regula observanda de vexillis continetur in hoc responso S. Poe-

[1] 2 Dec. 1840.

nitentiariae [1] in Apuana: « 1° Quatenus agatur de vexillis, quae praeseferunt emblemata manifeste impia vel perversa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat; si in Ecclesiam per vim inducantur, tunc, si Missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat, si inchoata, post eam absolutam, auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. 2° Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus, nullum emblema de se vetitum praeseferentibus, in funebri pompa tolerari posse, dummodo feretrum sequantur; in ecclesia vero non esse toleranda, nisi secus turbae aut pericula timeantur ». Hoc resp.^m bis fecit suum S. C. Inq.^s. Quoad 2^m, ut norma directiva videtur esse illud habendum post Codicem. Denique S. Cong. Rit. [2] respondit: negative, quoad appositionem imaginis defuncti in feretro vel tumulo; et esse curandum ut eliminetur hic abusus ubi vigeat. Quae utpote « liturgica lex vim suam retinet » (can. 2).

Ut omnia secundum ordinem fiant, praescribit § *3. Associantes cadaver* in utraque associatione praefata, quamvis clerici sint parocho non subiecti, *tenentur* vi huius canonis *morem gerere parocho* disponenti *circa ductum* quoad viam sequendam, modum procedendi, etc. *funeris,* nempe: associationis cadaveris, *salvis uniuscuiusque* interessentium *praecedentiae iuribus,* quae regulantur per diversos ss. canones ac per leges liturgicas, v. gr. per num.^s III et IV cit.^i Dec.^i S. R. C. « de exsequiis » [3]: « S. R. C.... declarat. III. Eumdem parochum primas habere super omnem clerum, excepto, si interfuerit, Capitulo cathedralis ecclesiae, quod in associatione incedet post ipsum parochum; excepto etiam Capitulo ecclesiae collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu, dignior Capituli cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat parochus; et id ipsum servabitur, si Capitulum ecclesiae collegiatae post parochum incedat.

IV. Si defunctus in alia parochiali ecclesia sit tumulandus, illius uni ecclesiae rectori, stola pariter induto, ius et onus competere reliqua officia ibidem peragendi super cadavere, aliisque omnibus praecedere, ne defuncti quidem parocho excepto, qui, cadavere ad ecclesiae limen delato, recedat ».

Ex Rit. Rom. [4] fere ad verbum transumptus est § *4. Laici*

[1] 4 Apr. 1887. - [2] 30 Apr. 1896. — [3] 23 Apr. 1895, n. 3854. — [4] Tit. VI, c. 1, n. 16.

cadaver, a) *generis* seu ratione naturali, b) *aut dignitatis* in societate, *cuiusvis*, a) etsi quoad istud valde propinqui, b) vel quoad hanc regalis aut praesidis reipublicae, *ille fuerit, clerici,* hoc est: « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » *ne deferant* humeris, ut solitum est.

92. **De indice funeralium taxarum.** Rit. Rom. [1] haec statuit: « Caveant omnino parochi, aliique sacerdotes, ne sepulturae vel exsequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa, quidquam paciscantur, aut tanquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit ». — Hanc constitutionem moderatur *can. 1234. § 1. Locorum Ordinarii* (can. 198, § 2) *indicem funeralium taxarum,* sic dictarum eo quod hae solvendae sunt causa funebrium persolvendorum, *seu eleemosynarum,* ad innuendum quod « non habetur simonia, quia non dantur pro re spirituali, sed eius occasione » (can. 730), *si non existat,* v. gr. quia probata consuetudine illae vigerent, a) *pro suo territorio,* propter quod religiosi etiam exempti subiicientur eis, b) semper *de consilio* (non consensu) *Capituli cathedralis* ad normam can. 105, 1°, *ac, si opportunum duxerint,* idest: pro eorum prudenti arbitrio, « de consilio » etiam c) *vicariorum foraneorum dioecesis*, qui definiuntur in can. 445, *et parochorum civitatis episcopalis,* ubi Ordinarius residentiam habet, non alterius, atque tam istorum vicariorum quam horum parochorum, sive omnium sive aliquorum, quia iussum non fuit, *conficiant*, hoc etiam requisito prudentiae servato: d) *attentis* et *legitimis* propter rationabilitatem ac temporis praescriptionem *consuetudinibus particularibus* diversarum regionum, simul *et omnibus personarum et locorum circumstantiis;* ac modus redigendi huiusmodi indicem praescribitur sic: *in eoque pro diversis casibus*, qui praevideri queant frequentiores, *iura singulorum* ad emolumenta *moderate* quoad ipsam taxam, eam *determinent* accurate, cum hoc fine seu *ita ut quaelibet contentionum* inter diversos interessentes ac inter eos et familiam heredesve defuncti, *et scandali* horum vel aliorum fidelium *removeatur occasio* fundata.

Cum inter diversos casus sint respiciendae conditiones sociales defunctorum, ait *§ 2. Si in indice* praefatarum taxarum *plures*

[1] Tit. VI, cap. I.

classes pro more *enumerantur*, nulla imponenda erit fidelibus pro eorum conditione, sed *liberum est iis quorum interest* propter solutionem earum sustinendam, *classem* quam maluerint *eligere* cum effectu.

93. **De taxarum funeralium observantia.** De consuetudinibus quae exprimuntur in Rit. Rom. (loc. cit.) scriptum est in cap. « Ad Apostolicam » 42 de Simonia: « Pravas exactiones fieri prohibemus, et pias consuetudines praecipimus observari ». Et infra: « Per Episcopum loci compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare ». — Haec in posterum intelligenda erunt de funeralibus eleemosynis, cum statuat *can. 1235. § 1. Districte prohibetur*, ac proinde sub gravi pro materiae quantitate ac modo actus, *ne quis*, etiam laicus, a) *sepulturae*, seu depositionis defuncti in loco benedicto, b) *vel exsequiarum*, etiam precum ac coeremoniarum quae fiunt in levando cadavere, ac eiusdem utraque associatione, c) *seu anniversarii mortuorum*, idest: suffragiorum, quae fiant post longius sepulturae tempus, *quidquam*, etiam parum pecuniae, aliusve temporalis boni *exigat*, quod verbum simplicem postulationem praetergreditur, seu *ultra id quod in dioecesano taxarum indice*, qui praescriptus in can.^e praec.[1] haec omnia determinare debet, et propterea est additum in eo indice *statuitur* velut obligatorium, attento vero seq. cap. 13 h. t. Decretalium, quod observandum est: « Abolendae consuetudinis perversitas (proindeque reprobatur) apud Montempesulanum (uti dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiae persolvatur. Mandamus, quatenus cum loci dioecesanus existas, inhibeas clericis, ne quidquam omnino praesumant exigere hac de causa ».

Propter taxarum funeralium naturam iuste additur et congruenter Rit.^is Rom.^i rubricae § 2. *Pauperes* [1] laici, clerici ac fortassis sacerdotes, nempe: « quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint », seu taxas etiam infimas sustinere, *gratis omnino ac decenter* pro christiano eorum charactere ac divino ministerio a) *funerentur*, quoad levandum quoque cadaver, et comitandum ad ecclesiam funeris locumque sepulturae, b) *et sepeliantur* quoad depositionem in tumulo, c) *cum exsequiis*,

[1] Tit. VI, cap. 1, n. 8.

scilicet: precibus ac caeremoniis sepulturae ecclesiasticae, *secundum* a) *liturgicas leges* v. gr. in Rit. Rom. aliisque decretis S. C. R. contentas, b) *et dioecesana statuta* circa hos casus, *praescriptis*, uti de praecepto adhibendis. Rit.[is] Rom.[i] textus citatus sic explicit: « ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, iuxta loci consuetudinem ». Ita porro, quia sicuti prius dixerat idem liber liturgicus (n. 7) « Cum autem antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exsequiis et funeribus deferre, caveant item, ne eiusmodi ritus omittatur ». Et in num. « 4. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ».

94. **Portio paroecialis funeralium** vocatur magis proprie quod a Doctoribus ante Codicem dictum fuit quarta funeraria, quamvis non semper fuerit quarta pars emolumentorum, sicut constat ex cap. 9 de sepulturis (III, 28) ubi Clemens III respondet: « Certificari voluisti a nobis quomodo illa clausula, quae in privilegiis solet apponi: salva iustitia illarum Ecclesiarum, (ita vocatur hic quarta funeraria) a quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat, et exponi. Cum autem super hoc art.° diversa antecessorum nostrorum manaverint instituta: Leone iustitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, et Urbano quartam fore censentibus: Nos tale praebemus in hac varietate responsum, ut sicut beatus Hieronymus inquit, unaquaeque provincia in suo sensu abundet, secundum rationabilem consuetudinem regionis, illa iustitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur ». In c. X determinatur quarta, et quia sic frequentius vocatur in iure, et omnes textus sunt conformes quoad hoc minimum, etsi aliqui plus requirant; inferebant AA. ex analogia iuris: portionem funerariam debere esse quartam, nisi vigeret contraria consuetudo. — Item dicitur proprie in canone « paroecialis », propter fundamentum praescripti de illa solvenda portione, atque ob qualitatem ecclesiae, cui soli est tribuenda, quae constant ex cap. 1 cit. tit. Decretalium: « Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii (ita exprimit quartam funerariam sic dictam a DD.), illi Ecclesiae dari censemus, in qua caelesti pabulo refici consuevit (subintelligatur defunctus): ut iuxta Apostolum

sint consolationum socii, ut fuerunt passionum, et sic demum ubicumque libitum fuerit, eligat sepulturam ».

95. **Ius praecedens, quoad ecclesias quartae funerariae subiectas.** Debebatur haec portio quando extra parochialem vel sepelitur in maiorum sepulcro, vel eligitur sepultura etiam apud regulares. De saecularibus ecclesiis ex cap. 8 huius tit. « Cum super quodam capitulo: Praesentium auctoritate statuimus, ut si aliquem parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius quarta vobis portio relinquatur ». Et quoad ecclesias regularium (nisi ob privilegium liberarentur) idem infertur ex Clementina 2 huius tit., quae continet etiam cap. 2 Extrav. communium in hoc tit.: « Verum ne parochiales ecclesiae et ipsarum curati, sive rectores, qui ministrare habent ecclesiastica sacramenta, quibus noscitur de iure competere, praedicare,... et confessiones audire fidelium, debitis, et necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: auctoritate Aplca. constituimus,... ut dictorum ordinum fratres (Praedicatorum et Minorum, sed idem extenditur ad alios, qui communicant in privilegiis), de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuscumque et quomodocumque relictis... etc.... quartam partem (quam auctoritate Aplca. taxamus et etiam limitamus) parochialibus sacerdotibus,... seu curatis largiri integre teneantur... ». De ecclesiis sepulcri maiorum arguebatur propter identitatem rationis. — Excipienda fuerunt antiqua monasteria regularium, quae ultra 40 annos ante Conc. Trid. non solverunt, vel post idem Concilium privilegium obtinuerunt. Reiffenstuel autem probat non teneri ob privilegia Regularium praedicta, omnia monasteria fundata citra 40 annos ante Conc. Trid. vel post ipsum Concilium.

Casus in quibus solvenda erat iure communi quarta funeralium, bene comprehenduntur a Bened. XIII in sua Bulla « Romanus Pontifex » [1], habente in hac parte vim authenticae interpretationis, his verbis: « quotiescumque defunctus extra suam parochialem ecclesiam tumuletur vel exponatur (idest: exequiae corpore praesente persolvantur), sive quia in ecclesia tumulante vel exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea sepulturam elegerit ».

[1] 29 Apr. 1725, § 4.

96. **Quoties, iuxta Codicem, et cui debetur portio paroecialis.** « Vigentem huc usque disciplinam retinet » (can. 6) *can. 1236 § 1. Salvo iure particulari* contra sequens praescriptum, tum per consuetudinem obtento, tum per privilegium quod « a Sede Apostolica directe cuilibet religioni concessum fuerit » (can. 613, § 1), vel per aliquam Ecclesiam legitime obtentum (can. 4), *quoties fidelis,* clericus vel laicus, *non funeratur* ob electionem alterius ecclesiae, seu quando deberet « ex iure ordinario » (can. 1216) *in ecclesia paroeciali propria* iam explicata in cit. can., *proprio defuncti parocho*, sic propter relationem eius cum dicta ecclesia, *debetur* ab ecclesia funerante *portio paroecialis* in seq. can. designata quoad emolumenta ex quibus, et circa quantitatem in qua solvenda sit, *excepto casu* diversorum defunctorum ad normam praec.^m canonum, praesertim can. 1218, *quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode* forsitan « pedestri itinere » *asportari nequeat,* attenta circa rem hanc designatione « Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit. » (can. 1218, § 2).

In cap. 2 de sepulturis (III, 12) in 6° inquit Bonifacius VIII: « Cum quis, cuius maiores sunt soliti ab antiquo in aliqua ecclesia sepeliri, ea dimissa eligit alibi sepulturam (nunc etiam licitum ex can. 1229, § 1), canonica portio dimissae non debetur ecclesiae, sed illi dumtaxat, in qua ille officia consuevit audire divina, et ecclesiastica recipere sacramenta ». Quod ius implicite continetur in can.[s] huius §° 1ª. Prosequitur Rom. Pont.: « Cum ab eo, qui duo habet domicilia se collocans aequaliter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura, domiciliorum ecclesiae habebunt inter se dividere canonicam portionem ». Id ipsum conprehenditur in ampliori praescripto § *2. Si quis* « fidelis » ut in §° 1° a) *habeat plures paroecias proprias,* causa domicilii vel quasi domicilii, b) *ad quas* saltem duas, non ad unam tantum, *cadaver commode deferri posset,* c) *et alibi* nempe: illis dimissis *funeretur*, non tamen si apud earum unam funeretur, prout Doctores ante Codicem iam docuerunt, nam in hoc casu haec ecclesia dicitur praevenire alteram. Sub illis tribus praedictis conditionibus, *portio paroecialis* ut in can. seq. *dividenda est inter omnes parochos proprios,* nempe: paroeciarum quas dimissas consideravimus.

97. **Ex quibus emolumentis sit detrahenda portio paroecialis et eius quantitas.** In iure Decretalium fuit enunciatum

de hac re principium in cap. 10 de sepulturis (III, 28) his verbis: « Paroecialis ecclesia de oblationibus, lectis, et aliis quae defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit,... recipiat quartam partem ». Econtra in cap. fin. de testamentis (III, 26) ait Greg. IX: « De his quae in ornamentis vel pro eis seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum legantur ecclesiis, vel reliquis piis locis, canonica portio (dummodo in fraudem non fiat, ut ea episcopus seu parochialis ecclesia debeat defraudari) deduci non debet ». Haec quoad substantiam (nam determinationes sunt nostris temporibus valde mutatae) retinentur simplicius in *can. 1237.* § 1. *Detrahi debet* secundum nomen ipsius *portio paroecialis* seu cedens in paroecialis ecclesiae favorem *ex omnibus et solis* (non ergo de aliis relictis legatis, eleemosynis forsan missarum) sed de *emolumentis, quae statuta sunt* in quorumlibet ac ecclesiae eleemosynam a) *pro funere* b) *et* fortassis sequutura ibidem vel alibi *tumulatione in taxa dioecesana.* Ex harum indice facilis erit computatio illius portionis.

Additur quaedam illorum emolumentorum interpretatio practica sub § 2. *Si quacumque de causa,* haec ergo parum refert, a) *primum,* non alterum v. gr. in septimo, trigesimo die, b) *sollemne officium funebre,* scilicet: cum missa cantata, recitatione officii defunctorum, *non statim* insepulto cadavere, ut dicitur, *sed intra mensem completum a die tumulationis,* proinde « sumendum prout in calendario et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri » in mense sequenti (can. 34, § 3, 2°), si ergo « illud sollemne officium intra mensem », sicut hic declaratus est, *fiat, licet hoc die* nempe: « tumulationis » *non defuerint minora,* v. gr. lecta seu recitata *publica officia* nempe: liturgica pro funere, *portio tamen paroecialis,* quando sit detrahenda iuxta can. praec., *ex huius etiam funeris* scilicet: ex sollemnis intra mensem ac minorum officiorum *emolumentis debetur,* solvenda sponte tanquam res aliena vi huius §[1].

Huc pertinet duplex Dubium « De officio funebri sollemni » propositum Pontificiae Commiss. ad Cod. canones auth. interpretandos. Scilicet[1]: « 1° Utrum officium funebre quod non intra mensem a die tumulationis celebratur, sed intra mensem a die notitiae obitus alicuius qui in regione longe dissita decessit (v. gr. in America),

[1] 24 Nov. 1920. CO. XII, 576.

haberi debeat officium sollemne, de quo in can. 1237 quoad effectus paragraphi secundae illius canonis.

2.° An Ordinarius, ad vitandos abusus eorum qui ultra mensem protrahunt officium funebre eo animo ut Parochus emolumenta non percipiat, possit statuere quod officium a parentibus celebratum pro defuncto publice et cum cantu habeatur uti officium sollemne funebre, quoad omnes suos effectus.

Resp.: Ad 1um et 2um: « Recurrendum esse ad S. C. Concilii ».

§ 3. *Quantitas portionis paroecialis*, (quia diversa ex iure Decretalium admittebatur, ut vidimus, iuxta consuetudinem) an sit quarta, tertia, dimidia, etc. *determinetur* vi huius praecepti *in taxa dioecesana,* idest: in « indice funeralium eleemosynarum » (can. 1234, § 1), qui conficiendus est « attentis legitimis consuetudinibus particularibus »; *et si ecclesia paroecialis,* quae portionem recipere debet, *et ecclesia funerans*, cui detrahenda est portio, *ad diversas dioeceses pertineant*, *quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis*, cum haec semper foret exigenda, et portio paroecialis respectu huius taxae in ipsius indice, non in alterius dioecesis diverso facilius invenitur.

98. **Descriptio in libro defunctorum.** Non secus ac Rit. Rom. [1], praescribit *can. 1238. Expleta tumulatione* « in loco sacro » [2] vel « ad tempus aliter » [3] cuiuslibet baptizati fidelis, *minister* huic muneri addictus sub parochi cura, vel ad normam can 470, § 1 ipse « parochus » *in libro defunctorum,* qui « diligenter in archivo asservetur », *describat* a) *nomen* forsan cum praenomine ut discernatur ab aliis, *et aetatem defuncti*, cuius fuit « expleta tumulatio » (si haec sciri possunt, ait Rit. Rom.) [4], b) *nomen*, ut declaratum est de defuncto, *parentum*, scilicet: patris ac matris, *vel coniugis*, qui vivat, ac tunc huius nomen laudabiliter praefertur, c) *tempus mortis* per diem mensis et anni, d) *quis* ut minister e) *et quae sacramenta* tum poenitentiae, tum sanctissimi Viatici, tum unctionis cum sacro oleo, *ministraverit* ei, qui defunctus est, f) *locum* g) *et tempus* supra declaratum *tumulationis* sumptae pro depositione cadaveris in tumulo.

[1] Tit. X, Cap. VII. — [2] Rit. Rom. Tit. II, c. 1, n. 16. — [3] R. R. Tit. VI, c. 1, n. 18. — [4] Tit. X cap. 7.

CAPUT III.

De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda.

Can. 1239. – § 1. Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint.

§ 2. Catechumeni qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt.

§ 3. Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi eadem a iure expresse priventur.

Can. 1240. - § 1° Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:

1° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti;

2° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;

3° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio;

4° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato;

5° Qui mandaverint suum corpu cremationi tradi;

6° Alii peccatores publici et manifesti.

§ 2. Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum.

Can. 1241. - Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria.

Can. 1242. - Si fieri sine gravi incommodo queat, cadaver excommunicati vitandi qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit, exhumandum est, servato praescripto can. 1214, § 1, et in loco profano de quo in can. 1212, reponendum.

99. **Inscriptio Capitis ac ordo canonum sub eo.** Sequitur postremum sectionis primae *Caput III*, ad cuius inscriptionis intelligentiam opportune praemittenda est notio iuris ad sepulturam ecclesiasticam, quod est: « Ius spirituale secundum ss. canones competens unicuique fideli, ut eius demortui corpus sepultura ecclesiastica proprie dicta donetur ». Ius dicitur « spirituale » ob suum praecipuum obiectum, quod est formale elementum ipsius sepulturae ecclesiasticae. Additur « iuxta sacros canones » ad innuendum quod saltem immediate ex legibus Ecclesiae promanat et iuxta illas regitur ac est exercendum. Et quia obiectum istius iuris comprehendit omnia sepulturae ecclesiasticae elementa, subiungitur in definitione: « ecclesiastica sepultura proprie dicta donetur ». Competit hoc ius cuilibet fideli, nisi iure canonico prohibeatur. Nam ut alias retuli ex Rit. Rom., sepultura ecclesiastica ab Ecclesia adhibetur in defunctorum refrigerium et honorem, in vivorum solatium ac aedificationem, demum in signum quoque communionis ecclesiasticae ac veritatum religionis. Hae vero rationes in unoquoque fidelium defuncto urgent. Imo quia ob secundam et tertiam

rationem sepultura ecclesiastica constituit favorem non privatum sed communem, sequitur non posse unumquemque ipsi sepulturae pro libitu renuntiare.

Hinc Capitis est inscriptio: *De iis* defunctis, *quibus sepultura ecclesiastica*, cuius notionem dat can. 1204, *concedenda est* ob eorum ius, *aut neganda* propter canonum prohibitionem, quae duobus principiis regitur expressis in cap. 12 de sepulturis (III, 28); videlicet: « Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis; et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint ». Quae abscissio non solum fit auctoritative per censuras quoad externorum bonorum communicationem, sed etiam ab ipso privato, sive per schisma ob quod praeciditur externa unio cum Ecclesiae capite ac membris, sive per peccata ob quae privatur charitate, quae unionem vitalem in Ecclesia facit, sive demum per haeresim ob quam abscissio suprema fit membri ab Ecclesiae corpore mystico. Illa principia generaliter exprimit can. 1239, prohibitiones autem canonicas enumerat can. 1240, effectusque privationis sepulturae ecclesiasticae explicantur in genere per can. 1241, et quoad excommunicatum vitandum can. 1242.

100. Qui sint in genere donandi sepultura ecclesiastica. *Can. 1239. § 1. Ad sepulturam ecclesiasticam,* prout haec fuit in can. 1204 declarata, *non sunt admittendi*, quia « eis non communicavimus vivis » (cap. 12 cit. tit.) *qui*, pagani vel sectae religiosae addicti, vel absque religione, *sine baptismo* saltem sub conditione recepto *decesserint*. Baptismus intelligendus est saltem dubius quoad validitatem.

« Potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam baptismum suscipiat, et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit [1] de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: « Quem regeneraturus eram, amisi; verumtamen ille

[1] Lib. de obitu Valentin. aliquant. a med.

gratiam quam poposcit, non amisit [1]. Talis autem decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenam pro peccatis praeteritis; ipse tamen *salvus erit sic quasi per ignem*, ut dicitur (I ad Cor. III, 5) ». Hac de causa merito ait § *2. Catechumeni*, nempe: instructi in fidei principalibus mysteriis, *qui* ad baptismum disponuntur, et *nulla sua culpa* quoad hanc omissionem *sine baptismo*, quem tunc desiderasse cum fundamento praesumuntur, *moriantur, baptizatis accensendi sunt*, idest: uti non comprehensi sub § 1°. Hoc modo dederat responsum Innoc. III Episcopo Cremonensi [2], praemittens adductam doctrinam: « Sopitis igitur quaestionibus Doctorum, Patrum sententias teneas: et in ecclesia tua iuges preces, hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato. Scilicet: « quem sine unda baptismatis, extremum diem clausisse significasti ».

§ 3. *Omnes baptizati,* quia (can. 87) vero seu valido « baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus », *sepultura ecclesiastica* « secundum propriam verborum significationem » (can. 13) ad normam can. 1204, *donandi sunt* propter ius ad eam, *nisi eadem a iure* Codicis, eo quod *expresse priventur* proprie, utpote de re alioquin debita.

101. **Privationes sepulturae ecclesiasticae a iure expressae** statim subiunguntur omnes per *can. 1240. § 1. Ecclesiastica sepultura* ut supra *privantur,* sub sequenti conditione singulis casibus etiam sub n.° 4° aptanda: *nisi ante mortem aliqua dederint* nempe: quaecumque *poenitentiae* de causa privationis vera iudicio prudentis *signa.*

1° Notorii sive « notorietate iuris » sive « notorietate facti ». (can. 2197, 2°, 3°) quae conditio non fuit expressa in Rit. Rom., a) *apostatae a christiana fide,* seu qui « ab illa totaliter recedunt » (can. 1325, § 2), b) non sufficit, ut in Rit. Rom., quod aliqui sint « haeretici, eorumque fautores » [3], sed *aut sectae haereticae,* propterea quod haec « aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat » (can. 1325, § 2), *vel schismaticae,* eo quod illa « subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat » (loc. cit.), *aut sectae massonicae,* quae sic appelletur nomine generico *aliisve eiusdem*

[1] D. Th. III P. q. LXVIII a. 2 c. et ad 2m. — [2] Cap. 2 « de presbytero non baptizato » tit. 43, Lib. III. — [3] Tit. VI Cap. II.

generis societatibus, scilicet: coadunationibus hominum equidem sine vero iure, utpote « quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur » (can. 2335), sive secretum servent sive non, dummodo singulis praefatis sectis sint *notorie* ut supra declaratum est *addicti*, nempe: ut earum socii. Et circa hos addictos novum est ius respectu Rit.[is] Rom.[i]

Clemens V in Conc. Viennensi edidit Decretum sequentis tenoris [1]: « Eos, qui propriae temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiae (supponit ergo prohibitionem sepulturae ecclesiasticae) in coemeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis a iure, (quae prohibitio non directe respiciens privationem iuris ad sepulturam ecclesiasticam, in praesenti canone non memoratur), vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos vel usurarios manifestos scienter sepelire praesumunt ». — Perfectius illi determinati sunt n.° *2°*. *Excommunicati vel interdicti* personaliter *post sententiam* proprie dictam (can. 1868, § 1) a) *condemnatoriam*, qua nempe illae poenae infligantur, b) *vel declaratoriam,* qua edicatur iudicialiter reum alterutram poenam proprie dictam vel censuram incurrisse. Quoad hos vero excommunicatos sunt memoranda duo Decretalium capita, quae praedictis aptari queunt. Scilicet in cap. 14 h. t. in Decretalibus legimus: « Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus... dum ageret in extremis per Presbyterum suum iuxta formam Ecclesiae absolutus, non debent coemeterium, et alia Ecclesiae suffragia denegari: sed eius heredes... satisfaciant... ». Item cap. 8 de sententia excommunicationis » (39, V) statuit « si tamen excommunicatus morte praeventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus: potest tamen et debet ei Ecclesiae beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit (nunc mitius « aliqua poenitentiae signa » sufficiunt), defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur ».

Prosequitur canon; *3° Qui se ipsi occiderint* cum sequuto mortis effectu ex eorum actione. Attamen si id fecerunt *deliberato consilio*, quamvis « ob desperationem vel iracundiam » non aufe-

[1] Clem. 1 de sepulturis tit. VII, Lib. III.

rentes illam deliberationem. « Non tamen, si ex insania id accidat », ut ait Rit. Rom. [1], vel ex neurasteniae acuto morbo, quae illi saltem transeunter aequipolleat respectu rationis usus. De casu propriae occisionis invenitur cap. 11 « de sepulturis » (III, 28) in quo Innoc. III sic rescribit Archiep. Turonen.: « Quocirca mandamus, quatenus cum illa non sponte praecipitaverit se de ponte, sed (sicut superius est expressum) casu ceciderit, corpus eius tradi facias ecclesiasticae sepulturae, praesertim cum ex honesta causa fugisse noscatur: (scilicet. fugiens manus illorum, qui eam rapere nitebantur, illo eidem ponente insidias, quam sollicitaverat saepe de stupro), et cui communicabatur viventi, communicandum sit iam defunctae ».

Conc. Trid. [2] ita incipit loqui de monomachia: « Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur ». Et simul cum aliis gravioribus poenis, decernit: « Qui vero pugnam commiserint,... si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura ». Hoc ita interpretatus est Benedictus XIV const. « Detestabilem » [3], ut ea carerent Rit.[is] R.[i] testimonio (loc. cit.) « etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa ». Quae clausula nunc abrogata est ob initium canonis huius, qui tamen magis explicite ait: *4° Mortui in duello,* quod est « pugna duorum ex condicto circa tempus et lethalia arma, quae fit cum mortis periculo », hinc completur prohibitio sequenti clausula: *aut ex vulnere* lethali *inde relato,* quod proinde sit mortis sequutae causa.

5.° *Qui mandaverint*, id est: expresserint voce aut scripto propriam huiusmodi voluntatem: *suum corpus cremationi tradi.* Circa hoc mandatum triplex hypothesis fingi potest, de quibus decernunt seq.[s] S. C. S. Officii declarationes [4]. « Quoties agatur de iis quorum corpora non propria ipsorum sed aliena voluntate cremationi subiiciuntur, Ecclesiae ritus et suffragia, adhiberi posse tum domi tum in Ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit. si notum fiat cremationem non propria defuncti, sed aliorum voluntate electam fuisse ». Hic casus aderit non extante mandato defuncti, vel si hoc adstitit, fuit sufficienter retractatum ante mortem.

[1] Tit. VI, Cap. 2 n. 3. — [2] Cap. 19, sess. XXV de Ref. — [3] 10 Nov. 1752, § 9. — [4] 15 Dec. 1886, Collect. S. C. de P. F. n. 1665.

« At ubi agatur de iis, qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, (quae notorietas habetur quando nequit scandalum praefato modo removeri), attento Dec.° fer. IV, 19 Maii 1886 [1] alias cit.°, agendum cum iis iuxta normas Rit.¹ Rom.ⁱ Tit.° *Quibus non licet dare sepulturam ecclesiasticam* ». Hanc secundam hypothesim adhuc admittere distinctionem patet ex alia declaratione. — S. C. S. Officii [2] interrogata: « I. Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicae quidem sectae non adhaerent, nec eius ducti principiis, sed aliis rationibus moti, corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolunt. R. Si moniti renuant, Negative ». Tunc ergo applicanda est prima declaratio vi praescripti canonis. Sed Suprema S. Congregatio addidit suae responsioni: « Ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi ». Sequitur ergo posse quandoque omitti monitionem, ac sacramenta ministrari, mandato perseverante. Hoc vero in casu, qui « mandavit suum corpus cremationi tradi, nam ante mortem certa dedit poenitentiae signa », videretur « sepultura ecclesiastica donandus » eo quod « eadem a iure expresse non prohibetur » (can. 1239, § 2). Applicetur igitur resp. eiusdem S. Congr.ª (Dec.° demum cit.°) huius tenoris: « 2. Utrum liceat pro fidelibus, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, Missae sacrificium publice offerre, (idemque urget de publico funere), vel etiam privare applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare. R. ad 2. Circa publicam Missae applicationem, Negative; (ac puto sic servandum de funere saltem publico propter scandalum); circa privatam, Affirmative ».

Denique cum eisdem verbis Rit.ⁱˢ R.ⁱ (loc. cit. n. 5): 6° *Alii peccatores* absque distinctione, « qui sine poenitentia perierunt » v. gr. usurarii, dummodo singuli sint *publici*, eo quod ut tales a multis cogniti sunt, *et manifesti*, quia excusari nequeunt. Sub hoc censu continentur qui expressi sunt a Rit. Rom. (loc. cit. n. 6): « Ii de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt ».

[1] Collect. S. C. de P. F. n. 1654. — [2] 27 Iul. 1892. Collect. S. C. de P. F. n. 1808.

Clausulam finalem cit.ae declar.s S. Congr. S. Officii [1] extendit ad omnes canonis casus secundum praecedentem disciplinam § 2. *Occurrente praedictis in casibus aliquo* circa praxim *dubio* etsi positivo iuris vel facti, *consulatur* ex praecepto, *si tempus sinat, Ordinarius;* « qui accurate perpensis omnibus adiunctis, id decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit ». — Sequitur praescriptum: *permanente* declarato *dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur* congruenter can.i 15: « Leges,... in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti, potest Ordinarius in eis dispensare », sed monet Codex hoc in loco: *ita tamen ut removeatur scandalum*, quod non sit pharisaicum, equidem ob divinam legem illud vetantem.

Quaenam secumfert privatio sepulturae ecclesiasticae. Horum verborum datam interpretationem praeaccepimus ex *can. 1241. Excluso ab ecclesiastica sepultura* praesertim accipienda pro « cadaveris depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis » (can. 1204), *deneganda quoque sunt* eidem, utpote implicite vetita, a) *tum quaelibet Missa exequialis,* seu de requie quamvis lecta et corpore non praesente, b) *etiam anniversaria*, hoc est recurrente per singulos annos mortis die, c) *tum alia publica officia,* seu liturgica, quaecumque solita in funere, hoc est *funebria.*

102. **Servanda circa excommunicati vitandi cadaver.** Praescriptum cap. 12 « de sepulturis » (III, 28) relatum supra ad can. 1214 refert ac sic moderatur *can. 1242. Si fieri sine gravi incommodo queat,* quae conditio multoties aberit nostris temporibus, *cadaver*, solummodo *excommunicati* a) *vitandi* dignoscendi ex can.is 2258 §i 2ae applicatione, b) *qui, contra canonum statuta,* « per violentiam aliquorum, vel alio casu » *sepulturam* idest: tumulationem c) *in loco sacro obtinuit, exhumandum est* consequenter iuri praecedenti, d) *servato praescripto can. 1214, § 1*, videlicet: « de licentia Ordinarii », qui utrum grave adsit incommodum vel non iudicare melius poterit, e) *et in loco profano de quo in can. 1212*, scilicet: « sit locus, clausus item et custoditus », non benedictus, « ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur », ibique *reponendum* cadaver supradictum.

[1] 15 Dec. 1886.

SECTIO II.

De temporibus sacris.

CAN. 1243. - Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies abstinentiae et ieiunii.

CAN. 1244. - § 1. Dies festos itemque dies abstinentiae et ieiunii, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis.

§ 2. Ordinarii locorum peculiares suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies abstinentiae et ieiunii possunt, per modum tantum actus, indicere.

CAN. 1245. - § 1. Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare.

§ 2. Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt totam quoque dioecesim seu locum a ieiunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare.

§ 3. In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent Superiores ad modum parochi, quod attinet ad personas, de quibus in can. 514, § 1.

CAN. 1246. Supputatio diei festi, itemque diei abstinentiae et ieiunii, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem, salvo praescripto can. 923.

103. **Inscriptio Sectionis eiusque quatuor canones praeliminares.** *Sectio II* est *De temporibus*, scilicet: diebus sive successivis, sive interruptis, qui tamen ob cursum periodicum tempora proprie constituunt, additurque *sacris*, propterea quod cultui per fideles praestando illa sacri canones deputarunt. Quaenam sint tempora illa decernit in genere can. 1243, auctoritas competens circa huiusmodi legislationem in can. 1244 edicitur, de potestate dispensandi agitur in can. 1245, dum can. 1246 specialem memorat supputationem.

104. **Notio temporum sacrorum.** *Can. 1243. Tempora sacra* proprie *sunt dies festi*, sic dicti a feriatione profanarum occupationum; *iisque accensentur dies abstinentiae et ieiunii,* ac merito eo quod istud cum Dei cultu magnam habet connexionem, iuxta illud: « Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas... » et iuxta Archangeli dictum: « Bona est oratio cum ieiunio ».

105. **De auctoritate competente in tempora sacra.** Urbanus VIII in const. « Universa » [1] postquam dies festos determinavit, inquit: « Ne autem dies festos a locorum Ordinariis, nimia

[1] 13 Sept. 1642, § 3.

aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere ». Monitio haec supponere videtur Ordinariorum potestatem. In const. autem « Auctorem fidei »[1] Pii VI inveniuntur duae prop. damnatae: 73 de novorum festorum institutione, atque 74 « de transferendis in diem dominicum festis per annum ex ecclesiae praecepto servandis ». Demum ex concessione Leonis Papae XIII locorum Ordinarii uti poterant facultate anticipandi die sibi benevisa, atque ob gravissimas causas etiam dispensandi sub quibusdam circumstantiis super lege ieiunii et abstinentiae. — Hic status disciplinae suadet opportunitatem specialis *can.*[s] *1244*. § *1. Dies festos itemque dies abstinentiae et ieiunii*, singulos *universae Ecclesiae communes, constituere* non existentes, *transferre* vigentes vi canonum sequentium, anticipando vel postponendo eos etsi ad tempus, eosdemque *abolere*, quamvis pro aliqua regione, *unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis*, quae per S. Congregationem Concilii etiam potest exerceri.

§ 2. *Ordinarii locorum* singuli *peculiares suis dioecesibus*, sub quarum « nomine veniunt quoque Abbatiae vel Praelaturae nullius » (can. 215, § 2), *seu locis*, (verbum additum propter Vicariatus et Praefecturas Apostolicas) a) *dies festos*, b) *aut dies abstinentiae*, c) *et ieiunii* dies *possunt*, nullius requisito consilio vel consensu, *per modum tantum actus*, v. gr. occasione alicuius centenarii festi Patroni, canonizationis praecellentis civis, gravis admodum necessitatis, non stabiliter in plures annos colendas festivitates ac ieiunia non periodice servanda *indicere*.

106. **De dispensandi facultate.** *Can. 1245*. § *1. Non solum* a) *Ordinarii locorum* omnes ut in § 1, b) *sed etiam parochi* et qui « parochorum nomine in iure veniunt » (can. 451, § 2), *in casibus* a) *singularibus* qua talibus, etsi repetantur, v. gr. ad aliquod tempus fortassis totius quadragesimae, b) *iustaque de causa* seu proportionata legi, *possunt*, c) *subiectos sibi* ad normam can. 94, d) *singulos* qua tales *fideles, singulasve familias*, non partem paroeciae, e) *etiam extra territorium* existentibus dispensante ac prae-

[1] 28 Aug. 1794.

cipue dispensatis, c) *atque in suo territorio,* nempe: paroeciae, d) *etiam peregrinos*, scilicet: « si versentur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinent » (can. 91), *a lege communi* pro omnibus fidelibus, quae continetur in hac Sectione, a) *de observantia festorum* in Tit. XIII quoad utrumque praeceptum, b) *itemque de observantia abstinentiae et ieiunii* alterutrius, *vel etiam utriusque* simul de quibus est Tit. XIV, *dispensare* seu « legem relaxare » (can. 80).

Dec. S. C. S. Officii [1] « Cum recenter » editum est ob complurium Episcoporum petitiones, « quorum mens erat, abstinentiae legem de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus, aegre admodum ac difficulter variis de causis posse servari, et damno potius animarum quam saluti praebere occasionem. » Eiusdem dispositio aliquantulum mutata continetur sub § *2. Ordinarii* « locorum » (can. 198, § 2) propter contextum, a) *ex causa peculiari,* idest: determinata sequenti alterutra *magni populi concursus* ut in Dec.° cit.°, v. gr. « ob solemne aliquod festum celebrandum », vel « pro diebus quibus nundinae extraordinariae habeantur », *aut* ultra Dec^i. causas *publicae valetudinis* v. gr., alicuius pestilentiae etsi non lethalis, *possunt* ultra limites §^i praec. *totam quoque dioecesim*, « cuius nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius », (can. 215, § 2), *seu locum* scilicet: Praefecturam vel Vicariatum Apostolicum, illarumque omnium partem, nam secundum reg. iur. 80 in 6°: « In toto partem non est dubium contineri », a) *a ieiunio* b) *et ab abstinentia* c) *vel etiam ab utraque simul lege* ut supra « communi » *dispensare,* seu illam relaxare, sine exceptione, derogata Dec. clausula: « excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis ». — Huiusmodi Ordinariorum indultum afficit territorium et quoscumque iuvat, peregrinos quoque et vagos iuxta exceptionem expressam in can. 14 § 1, 3° et § 2, imo tunc « obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis », (can. 620).

Cum autem § 1 non suffragetur religionibus exemptis, nisi ob supplementum pro Ordine laicali, additus est § *3. In religione* a) *clericali* etsi votorum simplicium, b) *exempta eandem dispen-*

[1] 5 Dec. 1894, Collect. S. C. de P. F. n. 1884.

sandi potestatem, scilicet: « in casibus singularibus, iustaque de causa, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare », prout ibi declaratum est, *habent Superiores* tum maiores, tum locales, quod significatur per verba: *ad modum parochi*, cum hac diversitate inter ipsos, quod illi erga « subiectos sibi singulos... singulasve familias » religiosarum domuum, sub limitationibus ex citatione §[i] 1[ae], hi vero seu Superiores locales tantummodo erga « subiectos sibi singulos », *quod attinet ad personas, de quibus in can.* 514, § 1. Nempe: quoad « professos, novitios, aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis », ita ut dispensare queant « subiectos sibi etiam extra domos sibi subiectas, atque in propriis domibus etiam easdem personas aliarum domuum ».

Restat perpendere applicationem § 1[ae] ad Ordinem laicalem exemptum. Non solum Ordinarii locorum singulas familias regulares laicas, sed etiam parochi singulos regulares etiam Superiorem Ordinis laicalis, tanquam in suo uniuscuiusque territorio peregrinos, « in casibus singularibus iustaque de causa possunt a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare », nisi Ordo laicalis provisus sit aliter per « privilegium a Sede Apostolica eidem directe concessum » (can. 613, § 1). Motivum distinctionis declaratae inter Ordinarios locorum et parochos est, analogia cum his quae diximus pariter in § 3 de Superioribus maioribus et localibus religionis clericalis exemptae.

107. De temporis supputatione in hac Sectione « expresse cavetur » (can. 31) per *can. 1246. Supputatio* a) *diei festi, itemque* b) *diei abstinentiae* c) *et ieiunii, facienda est*, ita ut dies intra claudatur, *a media nocte usque ad mediam noctem*, sed quoad initium solummodo: *salvo praescripto can. 923.*

Scilicet: « ad lucrandam indulgentiam alicui diei (festo) affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis », illaque clausula innuit praesentem canonem 1246 extendendum esse ad supputationem horum dierum festorum in toto Codice seu in iure. — In supputanda vero media nocte memorari iuvat can.[is] 33[1] § 1.: « in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, potest quis sequi loci tempus aut locale sive

verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium ».

Animadvertatur quod « dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte », ergo idem tempus eligatur pro initio ac termino « diei abstinentiae ac ieiunii ».

TITULUS XIII.

De diebus festis.

CAN. 1247. - § 1. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum: omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Imm. Concept. et Assumpt. Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

§ 2. Ecclesiastico praecepto dies festi Patronorum non subiacent; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem.

§ 3. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Ap. innovetur.

CAN. 1248. – Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus.

CAN. 1249. - Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in can. 1190, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.

108. **Inscriptio Tituli huiusque canones.** Sequitur *Titulus XIII. De diebus festis* considerandis non liturgice, prout a diebus ferialibus quoad officium distinguuntur, sed quatenus praeceptum Ecclesiae continent tum positivum tum negativum respiciens Dei cultum. Dies festos recenset vigentes can. 1247, quid servandum in eis, vel a quibus sit abstinendum, edicit can. 1248, et de loco ubi satisfit parti praecepti positivae sub can. 1249 invenitur.

109. **Dierum festorum elenchus.** Post Urbanum VIII praesertim a tempore Pii VI facta fuit reductio dierum festorum, qui apud const.^{m} illius « Universa » cit.^{am} recensentur. Pius vero X s. m. Motu proprio « Supremi Disciplinae »[1] « legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperandam censuit ». Causae fuerunt sequentes: « Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt,

[1] 2 Jul. 1911. CO. III-305.

facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur quibus est victus labore comparandus ».

Ex hoc Motu proprio derivatus est *can. 1247. § 1. Dies festi sub praecepto* « ecclesiastico » per fideles servando, sub mortali, iuxta prop. ab Innocentio XI damnatam: « 52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus ». Illi « dies » *in universa Ecclesia* ut lex communis *sunt tantum*, ceteris ergo quibuslibet abrogatis etiam particularium locorum: *omnes et singuli dies dominici* sic appellati ob Domini Jesu resurrectionem, intra quos comprehenduntur festa Paschatis et Pentecostes, SS.mae Trinitatis, *festa*, quinque alia praecipua Domini, nempe: *Nativitatis* (25 Dec.), *Circumcisionis* (1 Jan.), *Epiphaniae* (6 Jan.), *Ascensionis* (fer. V post. Dom. IV post Pascha), *et sanctissimi Corporis Christi* (fer. V post festum SS.mae Trinitatis) cum derogatione Motus proprii, duo festa *Immaculatae Conceptionis* (8 Dec.) ex Dec.° Clem. XI « Commissi Nobis » [1] *et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae*, veluti initium ac finis eiusdem mortalis vitae, et sanctorum festa tria, videlicet: *sancti Joseph eius* Virginis *sponsi*, utpote Patroni Ecclesiae Universalis, quod fuit restitutum post cit. Motum proprium, *Beatorum Petri et Pauli* tanquam praecipuorum *Apostolorum*, *Omniumque denique Sanctorum*.

Interpretatio huius §[i] est authentica iuxta Dubium in plenario coetu diei 17 Febr. 1918 (CO. X, 170) propositum ac resolutum: « Utrum festa quae non enumerantur in can. 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione Sanctae Sedis. — Resp.: *Affirmative*, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus ».

[1] 6 Dec. 1708.

Numerum III praelaudati Motus proprii refert § 2. *Ecclesiastico praecepto* expresso in const. « Universa » Urbani VIII *dies festi Patronorum*, etsi « unius ex principalioribus in quolibet regno vel provincia, — et alterius pariter ex principalioribus in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit », *non subiacent*. Addidit autem Motu proprio haec abrogans festa: *locorum autem Ordinarii possunt* etiam nunc *solemnitatem exteriorem*, non Officium et Missam, *transferre ad dominicam proxime sequentem*. Hoc videtur concessum ne ipsorum Patronorum veneratio detrimentum patiatur.

Cum num.⁰ IV cit.ⁱ Dec.ⁱ verbis consonat § *3. Sicubi* « in universa Ecclesia » ut in §⁰ 1⁰ *aliquod festum ex enumeratis* decem ibidem, *legitime* hoc est: ex auctoritate Pontificia fortassis per Legatum sicut in Gallia, *sit abolitum* v. gr. cit.⁰ Motu proprio festum Annunciationis B. M. V. ubi observabatur, *vel translatum* v. gr. in Dominicam proxime sequentem, *nihil* circa festa huiusmodi *inconsulta Sede Apostolica innovetur.*

110. **Natura huius ecclesiasticae legis** exponitur *can. 1248. Festis de praecepto diebus*, sive qui tales sunt ex § 1⁰ can. 1247, sive qui superaddantur legitime, a) *Missa,* quae ab « Introibo ad altare Dei » usque ad « Ite, missa est » protenditur, *audienda est* humano modo, actum cultus per assistentiam exercendo; b) *et abstinendum* a) *ab operibus servilibus*, quae propria fuerunt servorum et laborem corporalem fere unice praeseferunt, ac prohibitio intelligenda est ut in praec. iure, quia illud « ex integro refert (can. 6, 2⁰) atque ideo ex receptis apud auctores probatos interpretationibus est aestimanda », b) *actibus forensibus*, tum in foro seu tribunali laicali tum in foro ecclesiastico, quinam vero sint actus prohibiti ac excusantes causae in can. 1639 § 1 recensentur, *itemque,* ast sub duplici conditione pro sequentibus; *nisi aliud ferant* a) *legitimae* propter rationabilitatem ac temporis praescriptionem *consuetudines*, etiamsi « non sint centenariae et immemorabiles » (can. 5), quia expresse in canone praeservantur, b) *aut peculiaria* locorum vel personarum *indulta,* seu concessiones utique Sanctae Sedis, « abstinendum » quoque c) *a publico mercatu* pro rebus ordinariae necessitatis, d) *nundinis* pro aliis rebus, e) *aliisque* eodem sensu *publicis* propter locum *emptionibus et venditionibus* v. gr. in foro argentario, apud campsores, in apertis offici-

nis; unde privati contractus emptionis-venditionis non prohibentur, nisi publici fuerint eo quod ope notarii et necessariorum testium sint perfecti.

111. Locus ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam. *Can. 1249. Legi* can.[i] praec.[i] de audiendo *Sacro*, nempe: Altaris Sacrificio, *satisfacit qui Missae adest* morali praesentia, etsi a longe, a) *quocumque catholico* propter communionem cum Romana Ecclesia *ritu* etiam orientali *celebretur* b) disiunctive *sub dio* ut quandoque licet, *aut in quacumque ecclesia* definita in can. 1161, *vel oratorio publico aut semi-publico* etiam sororum definitis in can. 1188 § 2, *et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in can. 1190,* quae « sunt oratoria privata », et propter hoc dicitur statim: *non vero in aliis oratoriis privatis*, quae videlicet: « in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erecta sint », subiuncta notabili exceptione: c) *nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit*, sive expressum in Brevi concessionis uniuscuiusque oratorii privati, saltem pro privilegiatis, vel in plurium favorem concessum simul cum oratorii privati privilegio, v. gr. S. R. Rotae Auditoribus, sicut alias retulimus, vel demum circa « oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata », ut constat ex can. 1188, quia « iuribus quibus oratoria semi-publica gaudent ». Tale enim est, quod in praesenti canone conceditur quoad oratoria semi-publica.

TITULUS XIV.

De abstinentia et ieiunio.

Can. 1250. - Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

Can. 1251. - § 1. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

§ 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare.

Can. 1252. - § 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis.

§ 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

§ 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus.

§ 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abst-

nentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem.

Can. 1253. - His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis.

Can. 1254. - § 1. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint.

§ 2. Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

112. **Inscriptio Tituli eiusque canones.** Sequitur *Titulus XIV* inscriptus *De abstinentia*, quae « ex suo nomine importat subtractionem ciborum [1] ac dupliciter accipi potest, uno modo secundum quod absolute ciborum subtractionem designat, et hoc modo abstinentia non designat neque virtutem neque actum virtutis, sed quoddam indifferens; alio modo potest accipi, secundum quod est ratione regulata, et tunc significat habitum virtutis, cuius actus est ieiunium ». Cum igitur inscriptio addat *et ieiunio*, primum verbum inscriptionis restringendum est ad quosdam cibos sub titulo determinandos, quatenus moderatio ciborum per Ecclesiam statuta, primo assumitur ad concupiscentias carnis reprimendas, quae quidem sunt delectabilium secundum tactum quae consistunt in cibis et venereis. Jeiunium vero ab Ecclesia iniunctum « assumitur ad hoc quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda: unde dicitur (Dan. X) quod post ieiunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo, atque ad satisfaciendum pro peccatis, unde dicitur (Joel, II, 12): « Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu et in planctu » [2].

Una et altera lex declaratur in can. 1250, 1251, dies in quibus alterutra vel utraque obligat enumerantur in can. 1252, immutatio autem per illos canones inducta limites accipit per can. 1253, et ultimus can. 1254 edicit personas uni alterive legi ratione aetatis subiectas.

113. **Lex abstinentiae** sic determinatur *can. 1250. Abstinentiae lex* qua ecclesiastica vetat, et quidem sub gravi si quantitas sit eiusmodi, *carne iureque* seu liquido *ex carne* vel eius substantia impinguato *vesci* proprie, utpote ad nutriendum: atque canon « ex parte hac cum veteri iure congruens ex iure antiquo aestimandus est, atque ideo ex receptis apud probatos auctores in-

[1] D. Th. II-II q. CXLVI, a. 1. c. — [2] Ib. q. CXLVII, a. 1. c.

terpretationibus » (can. 6 3° 2°). « Ideo illos cibos Ecclesia interdixit qui et in comedendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium et respirantium, et quae ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus. et ova ex avibus. Quia enim huiusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum »[1]. Propter hoc tamen nostris temporibus debili naturae humanae magis necessarium, canon prosequitur « cum veteri iure discrepans, e sua proinde sententia diiudicandus » (can. 6, 3°): *non autem* a) *ovis*, sive animalium terrestrium sive avium, b) *lacticiniis*, nempe: lacte vel provenientibus ex illo v. gr. caseo, c) *et quibuslibet condimentis* qua talibus ciborum, etsi ex carne procedant, hoc est: *etiam ex adipe animalium* prout assolet terrestrium. — Notandum est « quod Ecclesia abstinentiam instituens intendit ad id quod communius accidit. Esus autem carnium est magis delectabilis communiter quam esus piscium; quamvis in quibusdam aliter se habeat. Et ideo Ecclesia magis prohibuit esum carnium quam esum piscium »[2].

114. **Lex ieiunii.** D. Thomas haec habet[3]: « Sicut ad saeculares principes pertinet praecepta legalia iuris naturalis determinativa tradere de his quae pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad praelatos ecclesiasticos pertinet ea statutis praecipere, quae ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis. — Dictum est autem, quod ieiunium utile est ad deletionem et cohibitionem culpae, et ad elevationem mentis in spiritualia. Unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum ieiuniis uti quantum sibi necessarium est ad praedicta. Et ideo ieiunium in communi cadit sub praecepto legis naturae: sed determinatio temporis et modi ieiunandi secundum convenientiam et utilitatem populi christiani, cadit sub praecepto iuris positivi, quod est a praelatis Ecclesiae institutum: et hoc est ieiunium Ecclesiae: aliud vero est ieiunium naturae ».

Quoad illum modum ieiunandi statuit *can. 1251. § 1. Lex ieiunii* ecclesiastica *praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat;* nam « ieiunium ab Ecclesia instituitur ad fines supra dictos, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur

[1] D. Th. II-II q. CXLVII a. 8. c. — [2] D. Th. II-II q. CXLVII, a. 8 ad 2^m^. — [3] II-II, q. CXLVII, a. 3. c.

unica comestio, per quam homo potest naturae satisfacere, et tamen mortificationem exercet, ac mentis elevationem fovet, diminuendo comestionum vices » [1]. Quod est inductum consuetudine approbatur in canone sic prosequente: *sed non vetat* haec « lex » *aliquid cibi*, sic dicti propter nutritionis scopum etsi non comedatur, sed bibendo sumatur, *mane et vespere sumere* semel in unoquoque tempore propter singulare pronomen « aliquid cibi », *servata tamen circa ciborum* horum, non comestionis, *quantitatem et qualitatem* etiam diversas « mane ac vespere », *probata* saltem tacite per ecclesiasticam auctoritatem *locorum* diversorum forsitan plurium dioecesium, vel unius dioecesis partium, *consuetudine* de facto regulariter a fidelibus servata. Itaque falsa remanet propositio ab Alexandro VII damnata: « In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium ».

Ad hunc locum pertinet quod legitur in Commentario officiali (XI, 480): « Parimenti è stato sottoposto alla Commissione Pontificia per la interpretazione del Codice di diritto canonico il seguente dubbio: *Può ritenersi* tuta conscientia *la dottrina insegnata da alcuni autori, che dopo la pubblicazione del Codice è permesso nei giorni di solo digiuno mangiar carne più volte il giorno?* — L'E.mo Presidente della Commissione ha risposto il giorno 29 ottobre 1919: *Negative* ».

Quod, teste Bened. XIV, iussum est tanquam conditio indulti ad carnes comedendas ieiuniorum tempore, nunc fuit abrogandum consequenter inductae mutationi circa legem abstinentiae, idque sic expressit § 2. *Nec vetitum est* lege ieiunii a) *carnes ac pisces in eadem refectione* unica ieiunantium, vel qualibet non ieiunantium, *permiscere; nec* b) *serotinam refectionem*, qua dictum est « aliquid cibi sumi », *cum prandio,* quod prius dictum fuit « comestio », *permutare*, quod verbum innuit servandam esse « ciborum quantitatem et qualitatem » iuxta consuetudinem probatam forsitan amplioris aliquantulum quantitatis.

Animadvertatur cum D. Thoma [2] et communissima sententia, quod « istud ieiunium Ecclesiae non solvitur nisi per ea quae Ecclesia interdicere intendit instituendo ieiunium. Non autem intendit

[1] D. Th. II-II q. CXLVII, a. 6. c. — [2] II-II q. cit. a. 6 ad 2m et 3m.

Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis et digestionem ciborum assumptorum quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat; et ideo licet pluries ieiunantibus bibere. Si quis autem immoderate potu utatur, potest peccare, et meritum ieiunii perdere; sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat. — Insuper electuaria (medicamenta saccharo vel melle condita), etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi ».

115. **Dies pro quibus praedictae leges obligant** sunt determinati per *can. 1252.* § *1.* Non aliter ac in praec. iure: *Lex solius abstinentiae* declarata in can. 1250 *servanda est singulis sextis feriis* sub gravi peccato secundum materiae quantitatem. Dies convenienter designatus ob memoriam dominicae passionis.

§. *2. Lex abstinentiae* vetans *simul et ieiunii* praescribens *servanda est* per modum unius, quae proinde dupliciter quoad moralem aestimationem quis trasgredi potest, a) *feria quarta Cinerum,* sic dicta ob earum ritualem impositionem, quae in ritu romano posita est in capite ieiunii, b) *feriis sextis et sabbatis Quadragesimae,* propter huius tempus salutare, c) *et feriis* in oppositione ad dies dominicos, ut « a veteri iure non recedatur » (can. 6, 4°) proinde « feriis » quartis, sextis et sabbatis *Quatuor Temporum*, nempe: post Dominicam primam Quadragesimae, in hebdomada Pentecostes, post Festum Exaltationis S. Crucis, et post Dominicam tertiam Adventus; demum d) quatuor solis *pervigiliis,* nempe: *Pentecostes, Deiparae in coelum Assumptae*, *Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.*

§ *3. Lex solius ieiunii* declarata in can. 1251, *servanda est reliquis omnibus* praeter expressos in § 2ª *Quadragesimae diebus*, in memoriam et debilem imitationem ieiunii quadraginta dierum Domini Nostri Jesu-Christi; « singula vero ieiunia quatuor temporum tribus diebus continentur propter numerum mensium, qui competit cuilibet tempori: vel propter numerum sacrorum ordinum qui in his temporibus conferuntur » [1].

[1] D. Th. II-II q. CXLVII a. 5. c.

Propter amplitudinem, quam obtinet in Ecclesia, hic memorandum est « indultum circa abstinentiam et ieiunium pro America Latina et Insulis Philippinis ad decennium prorogatum, sed quo magis congrueret » huic canoni, moderatum, die 10 Nov. 1919, per S. Congr. Conc. [1].

Utrum convenienter determinentur tempora ieiunii Ecclesiae, quaerit ac communem Ecclesiae consuetudinem sui temporis sic propugnat D. Th. (loc. cit): « sicut supra dictum est, ieiunium ad duo ordinatur, scilicet ad deletionem culpae et ad elevationem mentis in superna. Et ideo illis temporibus specialiter fuerunt ieiunia indicenda, in quibus oportebat homines a peccato purgari et mentem fidelium elevari in Deum per devotionem; quae quidem praecipue imminent ante paschalem solemnitatem, in qua et culpae per baptismum relaxantur, qui solemniter in vigilia Paschae celebratur, quando recolitur dominica sepultura, quia *per baptismum consepelimur Christo in mortem,* ut dicitur (Rom. VI). In festo etiam Paschae oportet maxime mentem hominis per devotionem elevari ad aeternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit: et ideo immediate ante solemnitatem paschalem Ecclesia statuit esse ieiunandum; et eadem ratione in vigiliis praecipuarum festivitatum, in quibus praeparari nos oportet ad festa futura devote celebranda. Similiter etiam consuetudo ecclesiastica habet ut in singulis partibus anni sacri ordines conferantur: ad quorum susceptionem oportet per ieiunium praeparari et eos qui ordinant, et illos qui ordinandi sunt, et etiam totum populum pro cuius utilitate ordinantur. Unde et legitur (Lucae VI) quod Dominus ante discipulorum electionem *exivit in montem orare,* quod exponens Ambrosius dicit "Quid te facere convenit cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos, prius oravit?" ».

« Ieiunia [2], quae praecepto Ecclesiae instituuntur, sunt magis ieiunia afflictionis, quae non conveniunt in diebus laetitiae. Propter quod non est ieiunium ab Ecclesia institutum in toto paschali tempore, (excepto ieiunio quatuor temporum ob sacros ordines), nec etiam in diebus Dominicis: in quibus si quis ieiunaret contra consuetudinem populi christiani, quae, ut Augustinus dicit (epist. 36, al. 86, parum a princ.), est pro lege habenda, vel etiam ex aliquo

[1] Acta Apostolicae Sedis vol. XI, pag. 402; et vol. II, pag. 215. —
[2] Loc. cit. ad 3^{m}.

errore (sicut Manichaei ieiunant), quasi necessarium tale ieiunium arbitrantes, non esset a peccato immunis. Quamvis ipsum ieiunium secundum se consideratum, omni tempore sit laudabile, secundum quod Hieronymus dicit ad Licinium [1]: Utinam omni tempore ieiunare possemus ».

Huic doctrinae concordat § *4. Diebus* a) *Dominicis* etiam Quadragesimae, alioquin sub §° 3ª comprehensis, ac ceteris totius anni, b) *vel festis de praecepto*, *lex* a) *abstinentiae* « singulis sextis feriis » (§ 1), b) *vel abstinentiae et ieiunii* determinata in § 2ª, c) *vel ieiunii tantum* de qua in §° 3ª, *cessat*, ob diei laetitiam iuxta Ecclesiae consuetudinem quoad dies dominicos, *excepto festo* nempe: St. Ioseph, quando incidat *tempore Quadragesimae*, d) *nec pervigilia*, quae in illos dies supra dictos incidant, *anticipantur*, secus ac in iure praec. erat constitutum; dicitur enim ab Innoc. III Bracharensi Archiepiscopo [2]: « Sanctorum quoque vigiliae, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in praecedenti sunt sabbato ieiunandae ». Mutatio vero iuris per Pium X inducta est, qui in Motu proprio de diebus festis, decrevit sub n. « V. Quod si in aliquod ex festis quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus ». Exemplum tamen non deerat in Decretalium iure [3]. Honorius enim III Pragen. Episcopo respondet: « quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominicae die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiae generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere ». Denique can. 1252 sic explicit: *item cessat* « lex abstinentiae simul et ieiunii » (§ 2) *Sabbato Sancto post meridiem* propter anticipationem gaudii Resurrectionis Dominicae, et ita haec lex pari gressu ac liturgica lex procedit.

Huc referendae sunt sequentes authenticae interpretationes Pont. Commissionis. « I. - 1° Utrum ad normam can. 1252, § 4, ieiunium cesset quando dies festus, qui ieiunium in vigilia habet adnexum, incidit in feria II, ita ut non amplius ipsum ieiunium anticipari debeat sabbato praecedenti.

[1] Cap. Utinam dist. 76. — [2] Cap. 2 de observatione ieiuniorum, tit. 46 Lib. III. — [3] Cap. 3 tit. ac Lib. cit.

2° Utrum verba: *nec pervigilia anticipantur* respiciant tantum exceptum tempus Quadragesimae, an etiam totum annum.

Resp.: Ad 1um: Affirmative, salvo praescripto canonis 1253. — Ad 2^m^: Respiciunt totum annum.

II. - 1° Utrum si festum S. Iosephi, diei 19 Martii, incidat in feria sexta vel sabbato, teneat tantum lex ieiunii, an etiam lex abstinentiae.

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

2° Utrum cesset lex abstinentiae, etiam si festum S. Iosephi inciderit in aliqua die quatuor Temporum.

Resp.: Ad 1um: Servetur canon 1252, § 4, (post correctionem in editione Codicis officiali), seu non cessant nec lex ieiunii nec lex abstinentiae. — Ad 2um: Provisum in responsione ad 1um ».

Praeter haec [1] aliud invenitur etiam authentice solutum [2] « Dubium I. An lex abstinentiae cesset in Gallia diebus festis sub praecepto in universa Ecclesia servatis, sed in Gallia ex concessione Sanctae Sedis suppressis, scilicet festis Circumcisionis, Epiphaniae, Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli? — Resp.: *Negative* ».

Denique [3] « Quaesitum est: Utrum canon 1252 iam ubique obligandi vim habere inceperit, non obstantibus legibus particularibus, etc. Responsum est (3 Ian. 1918): Affirmative ».

116. **Limitatio moderationis per canones praec. inductae.** Ad normam capitis Decretalium ultimo citati, admonet *can. 1253. His canonibus* nempe: tribus praesentis Tituli, *nihil immutatur* a) *de indultis particularibus*, quae utpote huius modi legum mitigationes regionibus data sint v. gr. a Bened. PP. XV Lusitaniae per Breve « Romanorum Pontificum » ad decem annos [4] et Hispaniae per Breve « Ut praesens » ad 12 annos [5], quia « indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent » (can. 4); « nihil immutatur » e contra circa severitatem b) *de votis*, quoad abstinentiam etiam ab ovis, lacticiniis etc., vel ieiunium, vel qualitatem ac quantitatem ciborum de quibus

[1] 24 Nov. 1920, CO. XII, 576. — [2] 17 Febr. 1918, CO. X, 170. — [3] Ius Pontificium. Anno I, pag. 6. — [4] 31 Dec. 1914, CO. VII-549. — [5] 12 Aug. 1915 CO. VII-557.

supra, *cuiuslibet personae physicae vel moralis,* quae illis obligetur, c) *de constitutionibus ac regulis* idest: normis qualitercumque obligatoriis a) *cuiusvis religionis* definitae in can. 488, 1° b) *vel instituti approbati* ecclesiastica auctoritate saltem Ordinarii loci, utriusque *sive virorum sive mulierum in communi viventium*, ac propter instituta est additum: *etiam sine votis.*

Mitigatio enim canonicae disciplinae fuit decreta « refrigescente charitate multorum » in communi populo christiano, quin favere velit Ecclesia humanae imbecillitati eorum, qui Spiritu Dei magis aguntur. Et haec est proprie mens Ecclesiae liquido expressa.

117. **Quinam teneantur huius Tituli legibus.** Can. 13 edixit: « § 1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt ». Hi ergo ad leges huius Tituli quod attinet determinantur secundum approbatam consuetudinem in *can. 1254*, sed sub distinctione. Finis enim abstinentiae, seu reprimenda concupiscentia delectationum tactus in cibis et venereis, etiam in pueris et adolescentibus obtinendus est, merito igitur ad normam can. 12, statuit § *1. Abstinentiae lege* in praec.[e] explicata *tenentur omnes qui septimum aetatis annum*, ac « menses et anni sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3, 1°) *expleverint*, hoc est: « primus dies (in quo aliquis natus est) ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » (ib. 3°).

D. Thomas cum communissima sententia inquit[1]: « quod in pueris maxime est evidens causa non ieiunandi: tum propter debilitatem naturae, ex qua provenit quod indigent frequenti cibo, et non multo simul assumpto (quae ratio urget quoque in senibus); tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quandiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiastica ieiunia observanda. Conveniens tamen est propter illorum ieiuniorum scopum ut etiam in hoc tempore se ad ieiunandum exerceant, plus vel minus secundum modum suae aetatis ». Imo poterunt ad hoc teneri ex statu voluntarie assumpto, sicut cum proportione de senibus est asserendum in religionibus ac institutis. Huic doctrinae consonat § *2. Lege ieiunii* in praec. declarata *adstringuntur* conscientiae vinculo *omnes*, supple

[1] II-II q. CXLVII a. 4, ad 2[m].

« qui baptismum receperunt » ad normam can. 12, *ab expleto vicesimo primo aetatis anno* ut supra computando, *ad incoeptum sexagesimum*, quod evenit recurrente post quinquagesimum nonum die ac hora nativitatis, sic determinato ex benigniore iure initio senectutis.

118. **Utrum ceteri omnes ad ieiunia Ecclesiae teneantur.** Huic quam proponit quaestioni, respondet cum communissima Doctorum D. Thomas [1]: « statuta communia proponuntur, secundum quod multitudini conveniunt. Et ideo legislator in eis statuendis attendit id quod communiter habetur, et in pluribus accidit ». Propterea pueros ac senes a lege ieiunii exemit. « Si quid autem ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiae statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti observantiam obligare. In quo tamen est discretio adhibenda. Nam si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire, praesertim consuetudine interveniente (circa eandem causam), vel si non posset de facile recursus ad superiorem haberi ». Sed quia facile potest in tali iudicio quis errare fallente concupiscentia et propter impedimentorum frequentiam, Ecclesia providet de recursu facili ad dispensantem, hanc facultatem tribuens Ordinariis ac parochis per can. 1245, eo magis quod « si causa sit dubia debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc observandum est in ieiuniis (et abstinentia) ab Ecclesia institutis, ad quae « omnes » (ut ait canon) communiter obligantur, (sic interpretando verbum): nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum ». Ad quae diudicanda deservire queunt responsiones ex D. Th. citatae, nam « statuta Ecclesiae sunt de his quae non per se sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesiae. Et ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quae aliqui ad observanda ieiunia huiusmodi non tenentur ».

[1] II-II q. CXLVII, a. 4, c. et ad 1m. 2m. et 4m.

PARS TERTIA

De cultu divino

Can. 1255. - § 1. Sanctissimae Trinitati, singulis eiusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus, debetur cultus latriae; Beatae Mariae Virgini cultus hyperduliae; aliis cum Christo in caelo regnantibus cultus duliae.

§ 2. Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur.

Can. 1256. - Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus;* sin minus, *privatus.*

Can. 1257. - Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros.

Can. 1258. - § 1. Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum.

§ 2. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit.

Can. 1259. - § 1. Orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia, qui in casibus difficilioribus rem totam Sedi Apostolicae subiiciat.

§ 2. Loci Ordinarius nequit novas litanias approbare publice recitandas.

Can. 1260. - Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependere debent.

Can. 1261. - § 1. Locorum Ordinarii advigilent ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens.

§ 2. Si loci Ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare.

Can. 1262. - § 1. Optandum ut, congruenter antiquae disciplinae, mulieres in ecclesia separatae sint a viris.

§ 2. Viri in ecclesia vel extra ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt, nudo capite sint, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adiuncta; mulieres autem, capite cooperto et modeste vestitae, maxime quum ad mensam Dominicam accedunt.

Can. 1263. - § 1. Potest magistratibus, pro eorum dignitate et gradu, locus in ecclesia esse distinctus, ad normam legum liturgicarum.

§ 2. Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis locum habeat in ecclesia sibi suisque reservatum; Ordinarius autem consensum ne praebeat, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum.

§ 3. Ea semper factis in concessionibus inest tacita conditio, ut Ordinarius possit, ex iusta causa, concessionem revocare, non obstante quolibet temporis decursu.

Can. 1264. - § 1. Musicae in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis omnino arceantur; et leges liturgicae circa musicam sacram serventur.

§ 2. Religiosae mulieres, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia aut oratorio publico canere, tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeant.

Pars Tertia. De cultu divino —
- — distinctiones —
  - — ex natura ipsius — Can. 1255
  - — in publicum et privatum — » 1256
- — moderando —
  - — ab una Sede Apostolica — » 1257
  - — secundum divinum ius — » 1258
  - — ab Ordinariis locorum —
    - — quoad orationes et pietatis exercitia — » 1259
    - — erga Ecclesiae ministros — » 1260
    - — circa sacrorum canonum praescripta — » 1261
- — exercendo —
  - — a viris et mulieribus — » 1262
  - — cum loci distinctione quoad assistentes — » 1263
  - — quoad organa, instrumenta et cantum — » 1264

119. Inscriptio Partis et huius distributio in Titulos. Studio est subiicienda *Pars tertia*, quae inscribitur *De cultu*, qui est honor seu reverentia testificationem quamdam importans de excellentia alicuius, *divino*, quatenus Deo tribuitur « sicut primo principio creationis et gubernationis rerum. Unde ipse dicit [1]: *Si ego Pater, ubi honor meus?* Patris enim est et producere et gubernare [2]. » Attamen in hac parte canones loquuntur etiam de cultu Sanctorum, qui redundat in Deum, mirabilem in Sanctis suis. — Legislatio vero huius Partis se porrigit praeterquam ad actus exteriores cultus, ad alias res quae cultui immediate destinantur. Coram hominibus enim vel in societate « aliquis non potest testimonium ferre nisi per aliqua signa exteriora, vel verbis, puta cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicuius; vel factis, sicut inclinationibus, obviationibus et aliis huiusmodi; vel etiam exterioribus rebus, puta in munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis huiusmodi. Et secun-

[1] Malach. I, 6. — [2] D. Th. II-II, q. LXXXI, a. 3. corp.

dum hoc honor in signis exterioribus et corporalibus[1] consistit ». Praemissis ergo ss. canonibus, qui generales normas de praefato cultu tradunt, sequuntur propter sensibile cultus obiectum specialis *Titulus XV. De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae*, in qua absconditus est Deus, et alter *Titulus XVI. De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum*. Singulares cultus actus considerat *Titulus XVII. De sacris processionibus*, atque circa res cultui divino destinatas versatur *Titulus XVIII* inscriptus *De sacra supellectili*. Ultimo adiunguntur duo Tituli de peculiaribus actibus privati cultus propter magnum eorum usum in Ecclesia, et praemittitur *Tit. XIX De voto*, uti relationem habente ad statum religiosum, quo fideles cultui etiam publico deputantur, proindeque illi accedit votum, ac denique *Tit. XX* est positus *de iureiurando*, tamquam fundamento ad canones praesertim Lib.[1] IV, in quibus de diversis iuramentis praescriptis normae dantur.

120. **Ordo canonum generalium.** Cultus divisiones in can. 1255, 1256 exhibentur. Potestas ecclesiastica circa divinum cultum pro diversis iurisdictionis gradibus distribuitur ac limitatur in can. 1257-1261. Demum servanda generaliter in cultus publici exercitio pertractantur, tum quoad assistentes fideles in can. 1262, 1263, tum quoad instrumenta musica et cantum in can. 1264.

121. **Divini Cultus distinctiones ex natura ipsius.** Dominus Iesus Christus diabolo dicenti: « Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me », respondit: « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies ». Ad cuius rectam intelligentiam considerandum est: « quod Deo debetur honor et reverentia propter eius excellentiam, quae aliquibus creaturis (supernaturaliter) communicatur non secundum aequalitatem, sed secundum quamdam participationem; et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam (ut peculiare nomen) », nam Deus plenarium et principale dominium habet respectu totius et cuiuslibet creaturae, quae totaliter eius subiicitur potestati, « et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam » communiter dictam secundum quod exhibet reverentiam cuilibet creaturae intellectuali ratione supernaturalis excellentiae. « Et quia ea quae exterius aguntur signa sunt interioris reverentiae, quaedam exteriora ad reverentiam per-

[1] D. Th. II-II, q. CIII, a. 1 c.

tinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quae maximum est adoratio (sumpta communiter pro veneratione); sed aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium », atque alii actus ex probata consuetudine vel Ecclesiae statuto [1]. — Hanc distinctionem divino cultui intrinsecam exhibet confirmatque *can. 1255. § 1. Sanctissimae Trinitati*, « quia una est excellentia trium personarum, ideoque unus honor et reverentia eis debetur, et per consequens una adoratio [2] », sed quia non minus est propria singularum personarum excellentia divinitatis, honorque ac reverentia personae exhibetur, ideo est additum: *b*) *singulis eiusdem personis*, ac similiter quia honor adorationis proprie debetur hypostasi subsistenti, quae in Jesu-Christo est ipsum Verbum, subdit canon: *c*) *Christo Domino*, secundum verba synodi Nicenae relata adversus Paulum Samosatenum in Conc. Ephesino [3]: « Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum... totum adorabilem, etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem... totus quippe ergo Deus etiam cum corpore, non secundum corpus: totus adorandus etiam cum corpore, non propter corpus ». Sed « adoratio humanitatis Christi potest intelligi, ut sit eius sicut rei adoratae; et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem regis nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae [4] », potuitque addi: *etiam sub speciebus sacramentalibus*, iuxta definitionem dogmaticam Conc. Trid. [5]: « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae sacramento Christum, unigenitum Dei Filium, nec esse cultu latriae etiam externo, adorandum,... anathema sit ». — Postquam ergo canon illis diversis verbis unum Deum verum expressit, ait: *debetur cultus latriae*, nempe proprius divinitatis; deinde *Beatae Mariae Virgini*, inquantum est Mater Dei, *cultus hyperduliae*, quae est potissima species duliae communiter sumptae, propter maximam reverentiam ei debitam ob singularem affinitatem ad Deum; *aliis* vero *cum Christo in caelo regnantibus*, sive angelis sive hominibus, *cultus duliae*, dulia enim graece servitus dicitur, ac revera nos subiecti sumus eis ut superioribus, propter ipsorum excellentiam inamissibilem, et « qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare,

[1] D. Th. II-II q. LXXXIV a. 1 ad 1m. — [2] loc. cit. ad 3m. — [3] Part. III. cap. 6. — [4] D. Th. III P. q. XXV a. 2. c. — [5] Sess. XIII can. 6.

vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentiunt » ex sententia Conc. Trid. [1].

§ 2. *Sacris quoque reliquiis*, nempe: « sanctorum quoque martyrum, et aliorum cum Christo viventium sanctis corporibus, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitandis, et glorificandis » (loc. cit.). *atque imaginibus* « Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum », *veneratio* proprie, idest: honor in eorum usu, *et cultus* eis tanquam obiecto *debetur relativus*, quatenus honos, qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, nam « motus animi qui est in imaginem, inquantum est imago, (idemque dicatur de reliquiis qua talibus), refertur in rem cuius est imago [2] », propterea dicitur « relativus » *personae* Christi, Deiparae ac sanctorum *ad quam* absoluto cultu donandam *reliquiae imaginesque* referuntur.

122. **Divisio in cultum publicum et privatum**. In iure canonico est maioris momenti haec altera cultus divisio. *Can. 1256. Cultus* quilibet ex dictis in praec.[i] can.[e]. *si deferatur* a) *nomine Ecclesiae* sponsae Christi semper dilectae ut societatis fidelium, proinde b) *a personis* physicis vel moralibus, sed *legitime* iuxta ss. canones *ad hoc deputatis*, v. gr. ob praescriptum, etiamsi clerici proprie non sint, imo mulieres sint votis solemnibus adstrictae, c) *et per actus ex Ecclesiae institutione*, videlicet: per liturgicas leges *Deo*, *Sanctis* propter canonizationis sententiam, ac *Beatis* propter Beatificationis Decretum, *tantum exhibendos*, utpote iisdem reservatos, *dicitur publicus*, et in Decretis S. Rituum Congregationis quandoque « liturgicus »; *sin minus*, hoc est: aliqua ex tribus praefatis deficiente conditione: iure vocatur « cultus » *privatus*. veluti a singulis personis proprio nomine praestitus.

123. **Ius exclusivum Sedis Apostolicae**. Si perpendantur ritus seu formulae precum et orationum, quae in cultu divino adhibentur, facile conspicitur fidem docrinamque catholicam habere in eis maximam partem, dum caeremoniae veluti fidei protestationes, unitatem substantialem cultus exposcunt. Hinc apparet ad fidei puritatem servandam maxime conducere *can. 1257. Unius Apostolicae Sedis*, nempe: sive Romani Pontificis per litteras Apostolicas, sive S. Congr. Rituum per multiformia Decreta *est* proprium *a*) *tum*

[1] Sess. XXV Dec. de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus — [2] D. Th. II-II q. CIII a. 3 ad 3[m].

sacram ordinare liturgiam, seu «cultum publicum», sive nova officia et Missas earumque partes concedendo, sive per liturgicas leges disponendo, mutando, ac supprimendo ritus ac caeremonias, b) *tum liturgicos* praedicta omnia continentes *approbare libros*, vel per seipsam quoad eorumdem editiones originales seu typicas, vel per locorum Ordinarios eis normas praescribendo quoad editiones illis typicis conformes.

124. Vetitum communicationis in sacris acatholicorum. *Can. 1258. § 1.* Statuto Sanctae Sedi exclusivo iure, ad Episcoporum ius determinandum fit transitus, et primo in legis divinae observantia fidelibus sic proposita: *Haud licitum est fidelibus* ratione ipsius verae fidei, aut quam denegarent factis vel professione falsitatis contra eam, vel approbatione falsae religionis saltem implicita, aut ob perversionis periculum et scandalum; imo, his omnibus exclusis, ex Ioan. sententia, quae saltem de hac communicatione accipienda est[1]: «Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam Christi non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis». Igitur vetitum afficit: a) *quovis modo* etiam mera praesentia b) *active assistere,* quatenus id fiat propriis actionibus externis, v. gr. attentionis cum religiosa modestia c) *seu partem habere*, v. gr. participando ea quae intuitu cultus in eorum conventibus fiunt, d) *in sacris,* nempe: in ritibus ac caeremoniis cultus divini *acatholicorum*, sive hi falsam deitatem venerentur, sive Deum verum iudicio proprio illi colant apud sectam haereticam vel schismaticam, vel extra illam in cultu profitentes haeresim aut schisma, vel demum legis veteris cultu.

Cum rationes vetiti supra dictae absint quandoque, modum edocet materialis communicationis *§ 2. Tolerari potest,* veluti sub prohibitione § 1 non comprehensa, quin approbetur, *praesentia* a) *passiva,* quae abstinet ab actionibus cultus, *seu mere materialis* cum voluntatis abalienatione, b) *civilis officii* suscepti, propter quod adesse obligentur v. gr. domestici comitantes dominum aut fortassis ex legibus v. gr. in partibus orientalibus, *vel honoris causa* erga cives acatholicos sacra participantes, v. gr. matrimonio iungendos. c) *ob gravem rationem*, v. gr. ne praedicti officium amittant, ut

[1] Io. ep. II. 10, 11.

inimicitiam vitent, vel socialem conviventiam foveant, cuius causae gravitatem multoties ob circumstantias esse dubiam quis facile cognoscit, ideoque dicit canon illam *ab Episcopo*, qui rebus publicis quoad sacra superintendit, *in casu dubii probandam* ex can. praecepto pro fidelium securitate, illiusque nomine « venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), et « Vicarii ac Praefecti Apostolici eodem iure in suo territorio gaudent » (can. 244, § 1). Haec vero tolerantia limitibus circumscripta edicitur: *in acatholicorum* quorumlibet, ut in §° 1ª a) *funeribus* equidem cum ritibus cultus religiosi, idemque dicatur b) in *nuptiis* inter eos celebrandis, c) *similibusque sollemniis*, v. g. baptismi suscipiendi, gratiarum actionis ob civilem causam, etc., nisi aliunde prohibitio alterius divinae legis urgeat, propter quam subditur duplex conditio: *dummodo perversionis* in assistente passive, *et scandali* aliorum praesertim catholicorum *periculum*, quod prohibetur lege vitandorum illorum, singulis in casibus *absit* saltem per prudentem eorum remotionem.

125. **Decreta declarationesque Cong. S. Officii: de communicatione in divinis cum acatholicis.** [1] *De haereticorum Ecclesiae aut synagogae aedificatione.* Archiep. Smyrn [2].

« 9. Si può concorrere con denaro alla fabbrica di chiese eretiche? Si fa una questua all'uopo: si può permettere che i cattolici contribuiscano allorchè sono ricercati? — Ad 9 non licere.

10. Gli operai cattolici; lavorando nella fabbrica di chiese eretiche, possono rimettere qualche loro giornata a benefizio delle medesime? — Ad 10 non licere ».

Ex Inst. ad Vic. Aplum. Kentuchiens [3]. « An permissum sit haereticorum ecclesias seu synagogas aedificare? — Non esse inquietandos, dummodo non adsit scandalum, nec sit in contemptum religionis. Curet autem Episcopus ut artifices per missionarios et confessarios opportune instruantur, quando a propria praestanda opera in ecclesiis seu synagogis aedificandis se abstinere debeant. Tenentur scilicet ab opere se abstinere: 1° Ubi huiusmodi opus communiter habeatur pro signo protestativo falsae religionis; 2° vel aliquid in ipso contineatur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus, et approbationem damnati cultus haereticorum; 3° aut constet artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. — Ceterum quamvis extra hos casus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne haereticorum cultui cooperari intendant ».

[1] Monitore eccles. Voll. IX et X. — [2] 7 Iul. 1864. Mon. eccles. Dec. XVI. — [3] 14 Ian. 1818. Dec. XVI ad 11.

De accessu catholicorum ad haereticorum schismaticorumque ecclesias.

Kentury [1].

« 2. An liceat catholicis adire templa haereticorum? — Ad 2 Licere, si adeant merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, in qua talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsae religionis: quandoquidem sicuti profana aedificia, sic et templa haereticorum adire, est actus per se indifferens; qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus. .... ». Postea enuntiantur 4 casus malitiae; et clauditur Dec.

Tribunien [2].

« Episcopus Tribuniensis mandet catholicis sibi subiectis ne accedant ad missas et alia officia divina in ecclesiis schismaticorum, eosdemque moneat in casu carentiae Missae catholicorum non teneri praecepto Missam audiendi ».

Miss. Aetiopiae [3].

« Se almeno nelle feste principali dell'anno possano i convertiti, per evitare le persecuzioni alle quali soccomberebbe, come altre volte, la religione cattolica, comparire nelle chiese degli scismatici, e trattenersi poco tempo, quando specialmente gli scismatici celebrano, e recitano i divini officii, senza veruna cooperazione o consenso al rito eretico, ma solamente baciare la porta della chiesa, fare tre adorazioni alla Ssm̃a Trinità, venerare le sacre imagini, e recitare privatamente qualche salmo, Pater, Ave o altre simili orazioni. R. Ssm̃us. decrevit: Negative.

1. An decretum [4] quo prohibetur catholicis schismaticorum Missis et eorum orationibus interesse, intelligatur etiam pro locis in quibus non reperiuntur sacerdotes catholici, et de orationibus in quibus nihil contra fidem et ritum catholicum habetur. — R. Ssm̃us. censuit: Affirmative ».

Ad rem etiam facit [5].

« 2. I cattolici, i quali, come impiegati civili del governo, sono invitati ed obbligati dal governo greco d'intervenire alle funzioni, che per feste di corte si fanno nelle chiese greche scismatiche, non celebrandosi la Messa, non si avranno ad inquietare, se per tali loro personali circostanze, intervengano alla doxologia, purchè non prendano parte nella medesima, et meram praesentiam materialem exhibeant causa honoris civilis ».

De communione vetita in divinis in ecclesiis haeret. et schism.

Vic. Ap. Smyrn [6].

« An liceat catholicis, baptismis protestantium et eorum concionibus interesse, nec non matrimoniis et baptismis graecorum, in quibus per se, vel per alios aliquando etiam officio patrini funguntur. R. Catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse. Absolute autem non licere, nec per se nec per alios, fungi officio patrini in baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur ».

Archiep. Corcyren [7].

« ..... neque catholicis eodem munere (patrini) fungi licet in iisdem Sa-

[1] 13 Ian. 1818. Mon. eccl. IX. — [2] 5 Dec. 1668. Dec. I. — [3] 10 Ap. 1704 Dec. I. — [4] 7 Aug. 1704. Dec. I — [5] Dec. XI Ep. Sanctorien. — 12 Maii 1841. — [6] 1 Maii 1770, Dec. VI. — [7] Anno 1871. Dec. XVII.

cramentis (Baptismi et Confirmationis) acatholico ritu administratis: ita enim constanter tenuit haec Apostolica Sedes.... ».

Saxoniae [1].

« An licitum sit catholico petere vel accipere benedictionem nuptialem a ministro acatholico, licet pars acatholica illud exigat. — R. Negative ».

Miss. Tenos in Peloponeso [2].

« 2. An liceat catholicis graeci ritus, non habentibus catholicam Ecclesiam eiusdem ritus communicare in divinis cum graecis schismaticis et haereticis. — Ad 2 non licere, quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam latinorum, et in defectu sacerdotis catholici ritus graeci, a Sacerdotibus latinis Sacramenta suscipere.

3. An liceat confessariis vel sacerdotibus latinis administrare Sacramentum Poenitentiae graecis catholicis communicantibus in divinis cum graecis schismaticis. — Ad 3 non licere extra casum extremae necessitatis ».

Casus particularis vetitae communicationis, quae tamen videretur materialis seu physicae praesentiae et cum gravissima causa, exhibetur in (Dec. VII) Instructione ad Vic. Ap. Constantinop. 28 Aug. 1780.

Quaenam in sacris haereticorum et schismaticorum non vetantur catholicis extra vel intra ecclesias illorum.

Archiep. Smyrn [3].

« 6. In pericolo di morte, mancando un sacerdote cattolico, si può cercare l'assoluzione da un sacerdote scismatico? — Ad 6. Licere, dummodo tamen et aliis fidelibus non praebeatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem haereticum administraturum hoc Sacramentum secundum ritus Ecclesiae ».

5. E' permesso a cattolici di mettersi in ginocchio, o almeno dare alcun segno di venerazione al Ssmo Sacramento recato dagli Scismatici? — Ad 5 detur Dec.... (15 Ap. 1672)...: — Proposito dubio...: an Eucharistiae sacramentum delatum ad infirmum a presbytero graeco schismatico adorari debeat a viro catholico? responsum fuit — Scribatur quod occasione qua non possit evitare delationem Sacramenti, illud adoret, sed non prosequatur deferentem, nec ingrediatur ecclesiam graecorum ».

Ep. Zacynthi [5].

« Se sia permesso ai cattolici emettere il giuramento nelle mani del prete greco (scismatico) per obbligo imposto dal governo, qualora si presti in maniera che il solo giudice lo imponga, ed il prete greco senza stola e senza candele accese innanzi al Crocifisso, e senza minimamente dettarlo, se ne stia silenzioso; nè esigasi che la sola e pura sua presenza, mentre il testimonio lo pronunzia da sè ponendo la mano sul Vangelo. — R. Quatenus minister schismaticus assistat iuramento catholicorum praesentia mere passiva et politica, sine stola aliisque signis ministerii, seu tamquam non addictus sacris, sic iurantes non

[1] 29 Ian. 1817. Dec. VIII. — [2] 10 Maii 1753. Dec. III. — [3] 7 Iul. 1864. Dec. XVII. — [4] 15 Ap. 1672. — [5] 1 Ap. 1857 Dec. XIII.

peccare ». Nota. Huc refertur Dec. (X) Ep. Quebecen. 23 Feb. 1820. 2: de iur.° cum tactu et osculo Bibliae hareticae.

Vic. Ap. Columben. Ceylan [1].

« 2. Possuntne catholici interesse quovis modo nuptiis haereticorum, schismaticorum et infidelium, vel etiam iis nuptiis quae illicite contrahuntur inter catholicam partem, et alteram ex sectis supradictis addictam, sive nuptiae valide evadant, aut sint invalidae? — Ad 2 de regula, negative; tolerari tamen posse ut catholici huiusmodi nuptiis, civilis officii causa tantum, adsint, semoto scandalo, et quovis perversionis periculo necnon ecclesiasticae auctoritatis contemptu ».

Instructio 8 Iun. 1859 (XIV).

... « Sed quaedam (nunc) proponuntur quae ex se, prout ieiune ac nude exhibentur, communicationem in sacris haud praeferre videntur.... Patrini siquidem dicuntur ii qui solummodo desponsati lateri adstant, nihil agentes aut dicentes quod vetitae participationis signum referre indicetur, et ita si in ista materiali praesentia nullum pertimescendum sit scandalum, non erit cur anceps fluctuet missionarii animus ».

Archiep. Antibaren [2].

« *An toleranda sit praxis quam habent parochi catholici* castri Lastruae S. Missae sacrificium celebrandi in ecclesiis catholicis, a graecis schismaticis usurpatis atque ab iisdem officiatis, seu etiam in illis quae pure ad ipsos schismaticos pertinent.

R. Haberi pro regula universe accepta et servata, non licere catholicis communicare in divinis cum haereticis et schismaticis; verum in quibusdam casibus particularibus regula haec aliquas patitur exceptiones, nempe si in eadem ecclesia habentur cappellae et altaria separata, quarum aliqua tantum catholicis, alia schismaticis inserviant; si eiusdem ecclesiae partes sint separatae, et in una celebrent solum catholici, in altera tantum schismatici: tum promiscuus ecclesiae usus tolerari poterit. Quatenus vero haec deficiant, R. P. D. Archiep. mandare poterit suae dioecesis parochis ut altaribus portatilibus utantur iuxta facultates illis in formula impertitas.... ».

Hoc ipsum asserendum de cappellis haereticorum eruitur ex alio Dec.° Vic. Ap. Malacen. 5 Iun. 1889 (XXI).

De funeribus haereticorum et schismaticorum.

Archiep. Smyrn [3].

« 1. Si può permettere a cattolici di accompagnare i funerali degli eretici sino alla porta della Chiesa? — R. Ad 1. Dummodo catholici comitantes funera haereticorum aut schismaticorum usque ad ianuam coemeterii, meram praesentiam materialem exhibeant, civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant, tolerari posse ».

Huic consonant Resp. ad Archiep. Corcyren. An. 1871 (XVIII. 2) et ad Vic. Apost. Algeriae. 21 Ian. 1751 et ad Vice-Praef. Miss. T. S. 9 Dec. 1745 (II).

[1] 14 Ian. 1874. Dec. XVIII. — [2] 1 Dec. 1757. Dec. IV. — [3] 7 Iul. 1864. Dec. XVI.

Archiep. Bukarest [1].

« Se, attesi gravissimi inconvenienti, si posa lecitamente accordare ai protestanti nella sepoltura dei loro defunti l'accompagnamento del sacerdote cattolico. R. Negative, et ad mentem,... quando l'intervento degli ecclesiastici.... riveste in qualche modo i caratteri di azione sacra.... .... Arch. Vienn. 30 Martii 1859... « Parochum, uti parochum, funeribus acatholicorum adesse non posse: si vero tantum civiliter assistat, absque vestibus sacris et absque ulla communicatione in ritu sacro cum haereticis, tolerari posse, dummodo notorie constet de vinculo cognationis sive amicitiae inter parochum et defunctum acatholicum ».

Vic. Ap. Columben, Ceylan [2].

« Fideles admonendi sunt ne in cadaverum humatione una cum haereticis ac schismaticis nec preces effundant, nec terram desuper cadavera in fossa iam posita iniiciant, id quod eo vel maxime improbandum est in clericis ».

Archiep. Smyrn [3].

« 8. I greci sogliono nei loro funerali dispensare... del grano e del pane detto coliva; e chi lo riceve debba rispondere, intendendo del defunto: *il Signore lo perdoni*; è permesso ai cattolici di riceverlo? (......). — Ad 8 prout exponitur non licere ».

In sacris catholicorum communicandis, quaenam sint vetita erga haereticos et schismaticos. **1.** *Quoad functiones sacras.*

Instructio 8 Iun. 1859 [4].

.... « Unde S. Ioan. Ev. sic severe praecipit: Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave dixeritis ei, qui enim dicit illi ave communicat operibus eius malignis. (Ioan. 2.10) Evidentissime ex his verbis prohibitum iri infertur quidquid huiusmodi ave exprimit prout sunt actiones liturgicae quae ad ecclesiasticam unitatem significandam institutae fuere. Quapropter a PP. Concilii Cathaginensis sancitum legimus: cum haereticis nec arandum nec psallendum, prout refert Bened. XIV [5]. Illicitum est ergo in sacris functionibus haereticos in chorum invitare, alternis psallere, dare iis pacem, sacros cineres, candelas et palmas benedictas, aliaque id genus externi cultus, quae interioris vinculi ac consensionis indicia iure meritoque existimantur, tam in sensu activo, nimirum similia eis dando, quam passivo ab iis in eorum sacris accipiendo. Idem enim in utraque hypothesi esset ac ave illis dicere, eorumque operibus malignis communicare ».

Miss. Terrae Sanctae [6].

« Se sia lecito porgere torce o lumi accesi a qualsivoglia persona eterodossa che ami assistere alle nostre funzioni. — R. ad 1. Negative et ad mentem. La mente è che se, attese le particolari circostanze, non possono escludersi da tal cerimonia le sole persone eterodosse, se n'escludano eziandio i laici cattolici ».

Archiep. Smyrn [7].

« 2. Si possono gli eretici far cantare nelle nostre chiese ed assistere all'altare per servire la messa? — Ad 2. Ad utramque partem: Negative ».

[1] 8 Maii 1889. Dec. XX. — [2] 14 Ian. 1871. Dec. XVIII. — [3] 7 Iul. 1864 Dec XVI. — [4] Monit. eccles. Dec. XIV. — [5] De Syn. dioec. c. V. L. VI. — [6] 20 Nov. 1850. Dec. XII. — [7] 7 Iul. 1864. Dec. XVI.

Et haec responsio extenditur etiam ad puellas puerosque schismaticorum, haereticorum, et iudaeorum, expresse[1].

Ep. Quebecen. — 23 Febr. 1820 (X).

« 3. Deficiente catholico viro ad pulsandum organum in ecclesia quadam catholica, potestne temporarie ad istam functionem admitti musicus acatholicus? — Ad 3. Remoto scandalo vel scandali periculo, affirmative ».

Miss. Tenos. in Peloponneso[2].

« 1. An liceat catholicis latinis concedere vel permittere ut in eorum ecclesiis Missam celebrent praesbyteri graeci ritus. schismatici, et haeretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum. — R. ad 1. Ad primam partem dubii: Non licere; maxime quod Patriarchae Constantinopolitani commemorationem faciant, et festum celebrent infamis Palamas. Id enim perinde est ac consentire eorum haereticis ritibus, et communicare cum eis in eorum sacris, schismatico et haeretico furfure pollutis; aut saltem occasionem praebere catholicis ad latinas intervenientibus ecclesias communicandi cum haereticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi...

Archiep. Smyrn[3].

« Un cattolico può permettere ad un eretico o scismatico di contrarre matrimonio nella propria casa (facendo per lo più i greci i matrimonî in casa ove si reca il loro prete)? — Ad 3. Iuxta exposita non esse permittendum.

2. *Quoad officium patrini.*

Archiep. Corcyren[4].

« 1. In collatione Sacramentorum Baptismi et Confirmationis haeretici vel schismatici neque per se, neque per catholicum procuratorem, neque soli, neque cum catholicis, patrini munere fungi licite possunt.... ita enim constanter tenuit haec Aplca. Sedes..... ».

Confirmatur per praecedens Decretum completum aliud (XVI) Archiep. Smyrn. — 7 Iul. 1864. — Ad 4.

19 Aug. 1891 (XXII). « Se sia lecito assumere gli eterodossi a testimoni nel matrimonio dei cattolici. — R. non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum ».

3. *Quoad funera catholicorum.*

Miss. Tenos. in Pelopponeso[5].

1 .... (*Transcriptum in pag. praec.*) ... — ... « Quo vero ad secundam partem dubii eiusdem, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum meram praesentiam materialem exhibeant, causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera efferre, et defunctos ad sepulchra deducere: tolerari posse; quatenus vero in illa functione proprios ritus adhibeant, vel nostris se immisceant: non licere, nec esse permittendum ».

Idipsum quoad haereticos et schismaticos memoratur in Instructione 3 Iun. 1859 prope finem. (XIV.).

[1] Dec.is XII ad 2. Miss. Terrae Sanctae — 20 Nov. 1850 et XIX. Vic. Ap. N. 1 Maii 1889. — [2] 10 Maii 1753. Dec. III. — [3] 7 Iul. 1864. Dec. XVI. — [4] Anno 1871. Dec. XVII. — [5] 10 Maii 1753. Dec. III.

In sacris catholicorum vel specietenus, quaenam sunt permissiones quoad haereticos et schismaticos. 1. *Quoad accessum ad ecclesias* [1].

« An graeci schismatici adire possint catholicorum ecclesias, ibique materialiter tantum assistere eorum sacris et divinis. — R. Accessum graecorum non unitorum ad ecclesias catholicorum posse permitti dummodo iis non administrentur Sacramenta, nec quoquo modo communicent in divinis, nec ad huiusmodi adventum fuerint invitati ».

Instructio 8 Iun. 1859. (XIV).

..... « Multo minus angi debet (Missionarius) si, nemine catholicorum invitante aut cooperante, haeretici templa nostra cuilibet patentia ingrediantur sua iuramenta pronunciaturi. (Circa iurantes in Ecclesiis nostris). Quid ad nos si tota actio haereticorum sit fidelium cooperationi remota? ».

Episcop. Sanctorien [2].

« Se possa tollerarsi che il Vescovo ed il clero cattolico accompagnino sotto il baldacchino il re acattolico della Grecia fino alla chiesa, come sogliono praticare i greci schismatici; e ciò affine di evitare gravi inconvenienti a danno dei cattolici.

R. Si notifichi al Vescovo la risposta.... 27 Luglio 1815 al seguente quesito di Mons. Vescovo di Tournay nel Belgio: « Con quali formalità il principe eterodosso si debba ricevere, se voglia assistere alle cerimonie religiose ». — « Quatenus meram praesentiam materialem exhibeat, causa honoris civilis, nec se immisceat precibus ac ritibus catholicis, tolerari posse: quatenus vero in religiosis functionibus proprios ritus adhibeat vel nostris se immisceat, nec licere nec esse permittendum . . . . .

Finalmente si faccia conoscere a quel Vescovo che la cerimonia di cui egli parla nel suo quesito si potrà tollerare quando una mera necessità lo richiegga, e purchè il Vescovo ed il clero non usino la cotta, nè altro abito sacro, e purchè si adoperi un baldacchino di forma diversa da quella solita ad adoperarsi nelle sacre funzioni, e sia portato da secolari ».

2. *Quoad nuptias* (XVIII) Vic. Ap Columben. Ceylan 14 Ian. 1874.

« 1. An possint invitari haeretici, schismatici et infideles ad adsistendum catholicorum nuptiis, vel etiam mixtis quae licite contrahuntur. — R. Ad 1. Tolerari posse, accedente rationabili causa, et dummodo nulla interveniat communicatio in sacris, et scandalum non sit pertimescendum.

3. Laudabiliter praedicatur eis verbum Dei in catholicorum ecclesiis.

4. demum laudabile pariter est orare etiam in ecclesiis pro acatholicis; tum privatim, tum etiam in cultu publico, sed in hoc solum quando praescriptum est, veluti fer. VI in Parasceve; tum demum iuxta Decreta quae sequuntur: Ep. Sanctorien [3].

« 3. I Vescovi cattolici invitati dal governatore locale per le feste di corte a solennizzarle nelle loro chiese, si limitino al solo canto dell' *inno ambrosiano, e alla benedizione del Sacramento*, dopo la quale siavi la solita trina acclamazione « Viva il Re ». Può qui aversi in memoria l'avviso dato già in altra istruzione

[1] 22 Sept. 1763. Dec. V. — [2] 22 Iun. 1864. Dec. XV. — [3] 12 Maii 1841. Dec. XI.

in occasione di pubbliche preghiere ordinate da un Principe acattolico, che cioè l'indirizzassero non pel solo bene temporale del sovrano e del governo, ma bensì per la vera felicità, che è il prezioso dono della fede, e l'essere nel seno della vera chiesa.

4. Essi Vescovi in tali circostanze mai facciano Pontificale, o facciano da altri cantare Messa, onde così evitare che, intervenendovi il governatore scismatico coi suoi officiali, si dia loro *l' incenso e la pace, non essendo ciò lecito per verun pretesto.*

5. Si ometta perciò l' invito del governatore scismatico alla Messa solenne nelle feste del S. Protettore affinchè non siavi occasione di devenire a questi atti, che non possono permettersi ».

Ep. Quebecen [1].

« 1. Ad missam solemnem ecclesiarum dioecesis Quebecensis cantatur pro rege Angliae *Domine salvum fac Regem*, et tum in ecclesiarum parochialium pronao (gallice le prone) tum in benedictionibus SS. Sacramenti, ubi pro Papa et pro Episcopo, pro rege nominaliter oratur. Quaeritur an talis consuetudo arguenda sit communicationis vetitae cum haereticis. — R. Ad 1 in casu et circumstantiis de quibus agitur, esse locum dissimulationi et tolerantiae ».

Circa applicationem Missae pro acatholico, aut eius nominatione vetita in illo sacrificio, alias data opportunitate dictum fuit.

Ordinationes severiores in materia communicationis cum haereticis, utpote punitae censura exc. sp. modo R. P. reservata, latae fuerunt pro Urbe tantum a Leone XIII, et continentur in Instructione Urbis Vicarii Parochis directa sub die 12 Iul. 1878: et quam legere licet tum in A. S. S. XI. 168, tum in Monit. eccles. I p. 499. Et hae ordinationes cum adnexis censuris adhuc vigent, iuxta declarationem de can. 6 in initio et n.° 6 a nobis datam in Commentario Textus ad cit. canonem.

126. **Ius Ordinarii loci circa pietatis exercitia** circumscribitur *can. 1259. § 1. Orationes* proprie tales seu « formulae petitionum de beneficiis a Deo vel sanctis » *et pietatis* in Deum et Sanctos propter eorum cognationem supernaturalem cum nobis, ceu cultus divini *exercitia* non liturgica *ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis* publicis ac semipublicis etiam exemptorum ad mentem Conc. Trid. (in Dec. sess. XXV de invocatione Sanctorum) *sine revisione* quoad examen *et* quando inde nihil obstet, *expressa* verbis, scripto, aliisque aequipollentibus signis, *Ordinarii loci licentia* in illum scopum, ad hoc « ut omnis superstitio in sanctorum invocatione tollatur », ut vult Conc. Trid., « et si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit » (loc. cit.), *qui* nempe « Ordinarius loci » quicumque *in casibus diffici-*

[1] 23 Feb. 1820. Dec. X.

lioribus ob dubia, vel quia sub quovis respectu omnino « novum quid, aut in Ecclesia hactenus inusitatum », *rem totam* scilicet, plene expositam *Sedi Apostolicae* nempe: S. Congr.[1] Rituum vel S. Congr.[1] S. Officii pro rei natura *subiiciat*, « ut nihil huiusmodi inconsulto sanctissimo Rom. Pontefice decernatur ».

Prohibitio autem absoluta fit per § *2. Loci Ordinarius*, etiam S. R. E. Cardinalis membrum S. Congr[s]. Rituum, *nequit*, utpote de re huic Congregationi reservata, *novas litanias*, scilicet, ultra eas quae in libris liturgicis continentur, vel iam fuerunt approbatae per Sanctam Sedem, *approbare* ut bonas et pias in hunc finem: *publice recitandas*, etiam extra functiones stricte liturgicas. Ita in Dec[0]. S. Congr[s]. Inquisitionis [1] « nec publice in Ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus recitentur, absque licentia et approbatione S. Rituum Congregationis ». Hoc in praec. iure monitum erat, de quo ait S. R. C. [2]: « Monitum de quo agitur, respicere Litanias in liturgicis et publicis functionibus recitandas; posse vero, immo teneri Ordinarios alias seu novas Litanias examinare, et quatenus expedire iudicaverint, approbare; at nonnisi pro privata atque non liturgica recitatione ».

127. **Exclusiva Ordinarii potestas in cultus exercitium.** Prouti ex natura Ecclesiae derivatur ius, sic proclamatur in *can. 1260. Ecclesiae ministri*, nempe: personae ab ea seu « legitime ad hoc deputatae », praesertim clerici, *in cultu* sive liturgico sive privato sed publice *exercendo, unice* (ad excludendas laicas potestates) *a Superioribus* eorum singulorum *ecclesiasticis* ob potestatem *dependere debent,* ad hoc ut licite munia etsi propria impleant.

128. **Ius eorum urgendi canones, advigilandi, legesque ferendi.** Ex Decreto Conc. Trid. [3] desumptus est summarie *can. 1261.* §. 1. *Locorum Ordinarii advigilent* ex praecepto *ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu*, scilicet: huius tertiae partis, *sedulo* seu cum diligentia *observentur* ubilibet in eorum territoriis, quod iam contentum in can. 336 § 2 hoc in loco fuit accuratius determinandum ob eorum momentum, et hoc deprehenditur ex seq[s]: *et praesertim* a) *ne in cultum divinum* iuxta inscriptionem in partis initio declarata, *sive publicum sive privatum* cognitum nobis ex can. 1256, b) *aut in quotidianam fidelium vitam* etiam civilem *su-*

[1] 18 Apr. 1860. — [2] 29 Aug. 1892, n. 3555. — [3] Sess XXV. De invocatione, veneratione etc. sanctorum.

perstitiosa propter falsitatem vel vanitatem in religione *ulla praxis inducatur,* proindeque iam inducta vigilanter removenda ex obligatione officii ob ius divinum, c) *aut quidquam* etiam parvum *admittatur a fide alienum,* sive contrarium sive ipsi minus consonum, propter illam virtutem iure divino prudenter eliminandum, d) *vel ab ecclesiastica traditione,* seu praxi usque nunc servata, quae traditio fons est quoque cognoscendae divinae revelationis et praxis cum ea conformis, *absonum*, quamvis non directe oppositum, e) *vel turpis quaestus speciem*, utpote sub religionis pallio quaesiti lucri, *praeseferens.*

Illam vigilantiam pro his abusibus efficaciter eliminandis esse praescriptam patefacit § *2. Si loci Ordinarius* pro suo munere adimplendo *leges pro suo territorio,* proinde iuri vel Pontificio, vel amplioris territorii quam « suo » non contrarias, *hac in re,* videlicet: circa « cultus divini sive publici sive privati aut in quotidiana fidelium vita » non rectas praxes, *tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque,* iure sicut regulares, vel speciali privilegio ut Congregationes quaedam iuris pontificii, *obligatione tenentur easdem servandi,* quae confirmat interpretationem similem can. 1260; *et Ordinarius* loci ob contextum *potest eorumdem* religiosorum quorumlibet, non obstante exemptione, *ecclesias vel publica oratoria,* non semi-publica exempta, *in hunc finem* observantiae dioecesanarum legum vi huius canonis *visitare* ad normam can. 343-346.

129. **De modo interessendi cultui publico.** Honestatis et debitae recollectionis iuvandae causa redactus est *can. 1262. § 1. Optandum*, quin iubeatur, *ut, congruenter antiquae disciplinae*, non iam praec.[1] immediate Codicem, sed sicut patet in Caeremoniali Episcoporum [1], ubi loquens de muniis Magistrorum caeremoniarum, statuit: « Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo, et separando, ordinem sessionum inter laicos advertendo », propter quod ait canon: *mulieres in ecclesia* proprie dicta, quia in oratoriis « commode fieri non poterit », *separatae sint a viris*, nihil de pueris ac puellis curando, ac dummodo separatio obtineretur, modus statuendus vel locus utrique deputandus indifferens omnino est habendus.

Quod in civili communicatione est in usu causa honoris erga

[1] Lib. I, c. V, n. 7.

personas, quibus vir adloquitur, non est patiendum desiderari in colloquutione cum Summo Deo et Sanctis, quae habetur in divino cultu, idcirco exorditur § 2. *Viri in ecclesia vel extra ecclesiam* v. gr. in sacris processionibus, in Missae celebratione sub dio, *dum sacris ritibus*, nempe: « publici cultus ». *assistunt* etiam quoad illas, ut partem habentes, idque non est extendendum ad spectatores earum, nisi imaginum vel reliquiarum causa, *nudo capite sint*, uti signum reverentiae, proinde: *nisi aliud ferant* a) *probati populorum mores*, admissi nempe ut rationabiles, forsan oppositum facientes ad honorem praestandum, ut in Sinarum imperio, b) *aut peculiaria rerum adiuncta* v. gr. temperies quando extra Ecclesiam versantur, notabile incommodum alicuius senis aut viri decalvati, milites praesertim custodiae causa adhibiti occasione praesentiae regis vel Summi Pontificis, etc. — Simili ratione supra dicta gravitatis ac humilitatis in reddendo publice cultu Deo et sanctis suadetur, quod D. Paulus gravioribus verbis commendabat [1]: « Omnis autem mulier orans... velet caput suum », et huic sententiae congruit canon dicens: *mulieres autem*, diversimode ac de viris dictum est, sed in iisdem circumstantiis, nempe: « in ecclesia vel extra ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt », *capite cooperto* « sint », nec de modo cavetur, nisi quantum comprehenditur in adverbio sequenti: *et modeste vestitae*, quae modestia non tantum de cultu vestium actibus religionis convenienti, sed praesertim est intelligenda respectu honestatis muliebris, quapropter additur: *maxime cum ad mensam Dominicam accedunt* communicaturae. Nec inferendum ex data interpretatione homines rite adstituros cooperto capite ac mulieres nudo capite, dum intra ecclesiam sunt quin divina officia celebrentur. Hac enim in hypothesi tacet canon, sed consuetudo praeter illam legis vim habens retinenda est in suo vigore.

130. Loca fidelium in ecclesia. Memor Ecclesia iussionis Apostoli: « Reddite omnibus debita... cui honorem, honorem » [2], huic sententiae adhaerens statuit in *can. 1263. § 1. Potest magistratibus*, nempe: his qui regimen populorum gerunt, *pro eorum dignitate* regali, oratoris eius, vel reipublicae, *et gradu* v. gr. praefecti civitatis, *locus in ecclesia esse distinctus* prae ceteris adstan-

[1] I, ad Corinth. XI, 5, 6. — [2] Ad Rom. XIII, 7.

tibus laicis, v. gr. cum honorabiliori sede, *ad normam legum liturgicarum,* v. gr. quoad presbyterium clericis reservatum ex cap. 1 de vita et honestate clericorum (III, 1): « Ut laici secus altare quando sacra mysteria celebrantur stare vel sedere inter clericos non praesumant ».

Praescriptum conditionatum imponitur privatis, laicis quoque in § *2. Sine expresso,* (nec tacitus sufficit ad praetextum seq.[s] reservationis), *Ordinarii loci,* non solius parochi, rectorisve ecclesiae, *consensu nemo fidelis* qua talis, qui posset id praesumere etsi sacerdos, *locum habeat in ecclesia* quacumque, etiam quam regit, *sibi* personaliter *suisque* seu de familia *reservatum* prae aliis fidelibus; *Ordinarius autem consensum* declaratum prohibetur *ne praebeat, nisi* sub conditione quod *fidelium,* qui solent venire, *commoditati,* quod bene notetur, *sit sufficienter consultum* loco libero ab huiusmodi reservationibus. Quae conditio abfutura in oratoriis saltem semi-publicis obest, quominus detur in eis occasio praefatae concessionis.

Imo ex ecclesiarum fine derivatur § *3. Ea semper factis* ad normam § 2 *in concessionibus inest tacita conditio* ex iure, adversus quam non datur validus Praelatorum actus, *ut Ordinarius* loci ob contextum *possit, ex iusta,* idest proportionata *causa,* etsi non gravi ad liceitatem, agendum enim est rationabiliter, *concessionem revocare* iuxta reg. 1 Iuris: « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », ita ut ius loci distincti praetexi nequeat, edicente canone: *non obstante quolibet* etiam immemorialis *temporis decursu*, qui ex se sufficeret ad praescriptionem.

131. **De musicorum instrumentorum usu ac de cantu.** *Can. 1264. § 1. Musicae* compositiones *in quibus* disiunctive a) *sive organo*, b) *aliisve instrumentis* in divino cultu permissis ad normam citandae Instructionis § VI, c) *sive cantu* quoad vocis modulationes *lascivum,* talem passionem incitans, *aut impurum* propter proximitatem ad illam, *aliquid* etiam parum *misceatur* quamvis sine proposito, *ab ecclesiis omnino arceatur*, quia « domum Dei decet sanctitudo » (Psalmo XCII, 7); *et leges liturgicae circa musicam sacram* vigentes, quae continentur in Instructione Motu proprio Pii X [1]

[1] 22 Nov. 1903, n. 4121

promulgata, et confirmata per privilegiorum et consuetudinum revocationem Dec.º Urbis et Orbis S. R. C. [1], *serventur* ab his, quos attingunt.

Tum propter cantus muliebris allicientem naturam, tum praesertim quia mulieres ab statu clericali arcentur, sic moderatur eorum interventus in publico cultu. § 2. *Religiosae mulieres* scilicet: « quae vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7º), *si eisdem* singulis *liceat*, quae liceitas mensuranda est *ad normam* a) *suarum constitutionum* b) *vel legum liturgicarum* v. gr. n. 13 cit.ae Instructionis: « Quum cantoribus in Ecclesia munus vere liturgicum sit, consequitur mulieres, talis officii expertes (ergo nisi chorali addictae sint officio), ad chori partem agendam, aut ullo modo in musicum chorum admitti non posse », c) *ac* semper *de venia* saltem tacita *Ordinarii loci*, ac restringitur implicite illa liceitas: d) *in propria ecclesia aut oratorio publico*, quod solum reminiscitur ad ea quae sequuntur quod attinet servanda: « *si liceat* » ut dictum est, *canere*, *tali e loco canant*, *ubi a populo conspici nequeant* saltem ob cancellos.

TITULUS XV.

De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae.

CAN. 1265. - § 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret:

1º Custodiri debet in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius*, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum;

2º Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur.

§ 2. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus.

§ 3. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.

CAN. 1266. - Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant.

CAN. 1267. - Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio; nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii.

[1] 8 Ian. 1904. n. 4131.

Can. 1268. - § 1. Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit, nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae altari.

§ 2. Custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae maioris attinet.

§ 3. Sed in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus in quibus ad altare maius chorales functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut sanctissima Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello seu altari.

§ 4. Curent ecclesiarum rectores ut altare in quo sanctissimum Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem.

Can. 1269. - § 1. Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito.

§ 2. Tabernaculum sit affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiatur ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur.

§ 3. Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271.

§ 4. Clavis tabernaculi, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet.

Can. 1270. - Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato.

Can. 1271. - Coram tabernaculo, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus.

Can. 1272. - Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit.

Can. 1273. - Qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, nihil omittant ut pietatem erga sanctissimam Eucharistiam in eorum animis excitent, eosque praesertim hortentur ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto sed etiam diebus ferialibus infra hebdomadam, frequenter, quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et sanctissimum Sacramentum visitent.

Can. 1274. - § 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum pyxide ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia; expositio vero publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum sollemnia et ad Vesperas; aliis vero temporibus nonnisi ex iusta et gravi causa praesertim publica et de Ordinarii loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat.

§ 2. Minister expositionis et repositionis sanctissimi Sacramenti est sacerdos vel diaconus; minister vero benedictionis Eucharisticae est solus sacerdos, nec eam impertire diaconus potest, nisi in casu quo, ad normam can. 845, § 2, Viaticum ad infirmum detulerit.

Can. 1275. - Supplicatio Quadraginta Horarum in omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque, in quibus sanctissimum Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua fieri potest sol-

lemnitate quotannis habeatur; et sicubi ob peculiaria rerum adiuncta nequeat sine gravi incommodo et cum reverentia tanto sacramento debita fieri, curet loci Ordinarius ut saltem per aliquot continuas horas, statis diebus, sanctissimum Sacramentum sollemniore ritu exponatur.

Titulus XV. De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae —
- — praecipue —
  - — quoad asservationem —
    - — in ecclesiis —
      - — diversimode licitam — Can. 1265
      - — quotidie aperiendis — » 1266
      - — etsi religiosae vel piae domus — » 1267
    - — in uno ac determinato altari — » 1268
    - — in tabernaculo sub diversis conditionibus — » 1269
    - — in pyxide undequaque congrua — » 1270
    - — collucente lampade, quae oleo nutriatur — » 1271
  - — quoad hostias consacrandas et renovandas — » 1272
- — tantummodo —
  - — circa visitationem fidelium — » 1273
  - — quoad expositionem —
    - — tum privatam tum solemnem — » 1274
    - — sollemniore ritu supplicationis 40 Horarum — » 1275

132. Inscriptio Tituli et coordinatio canonum. *Titulus* XV nunc considerandus similem inscriptionem refert ac titulus 44 lib. III Decretalium: *De custodia* Eucharistiae, sub specie quidem panis tantum, eo quod uti res permanens nobiscum manet Christus Dominus indigens custode, qui eiusdem honori latreutico provideat, protegatque illum coelestem panem ab indigno tum animalium tum pravorum hominum usu. Circa hoc ait Conc. Trid.[1]: « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sanctam Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare sancta haec Synodus retinendum omnino salutarem hunc,

[1] Sess. XIII, cap. 3, Dec.i de ss.ma Eucharistia.

(propter fidelium devotionem hinc excitandam ac nutriendam) et necessarium morem (infirmorum forsan insperato subsidio) statuit ». Inscriptio continet: *et* de *cultu* circa quem adest Conc.[1] eiusdem dogmatica definitio[1]: « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae Sacramento Christum, Unigenitum Dei Filium... non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras, anathema sit ». Inscriptio completur verbis: *sanctissimae Eucharistiae*, etsi de una tantum specie intelligenda sit, ac iuste prorsus quia, definiente Conc. Trid.[2], « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie,... totum Christum contineri, anathema sit ».

Postquam can. 1265 de custode ipsius ssmae Eucharistiae loquitur, de custodia eiusdem sola tractat cum seq.[s] usque ad can. 1271, de custodia simul ac expresse de cultu disponunt can. 1272, 1273, solummodo autem de cultu can. 1274, 1275. Custodia vero ssmi Sacramenti honorifica consideratur quoad locum sacrum in can. 1265-1267, ac successive in eodem loco de altari, de tabernaculo, de pyxide, atque postremo in can. 1271 de circumstantia extrinseca honoris causa, dum circumstantiae aliae concomitanter locis determinatae sunt.

133. **Loca sacra in quibus potest sub certis conditionibus asservari ssma Eucharistia.** *Can. 1265. § 1* praemittit duplicem conditionem subintelligendam iure in quibuscumque casibus asservationis augustissimi sacramenti, quae prius exprimebatur in apostolicis indultis. *Sanctissima,* eo quod Sanctum Sanctorum continet, *Eucharistia*, uti memoriale summi beneficii redemptionis, *dummodo* frequenter *adsit* non longe distans a) *qui eius curam habeat* saltem vir fidelis idoneus, sub sacerdotis ductu ex can. 1269, § 4, sed exclusa necessitate diaconus vel presbyter, b) *et regulariter*, idest: ut norma, cui non obstat una omissio vel altera, *sacerdos semel saltem in hebdomada*, quae « constat 7 diebus » (can. 32, § 2) intra quod spatium temporis, ac successive *Missam in sacro loco*, ex his quae sunt recensenda, quamvis non in altari quo asservatur ssma Eucharistia, *celebret:*

1° *Custodiri debet* ob huius canonis grave praescriptum a) *in ecclesia cathedrali,* sic dicta ob sedem episcopalem qua sit actu

[1] Sess. XIII, can. 6. — [2] Sess. XIII, can. 3.

donata, b) *in ecclesia principe* tum *Abbatiae vel Praelaturae nullius,* tum *Vicariatus et Praefecturae Apostolicae,* necessario exprimenda cum cathedralis nomine iure non veniat, et ratio praescripti videtur, quia augustior ecclesia debet potiori ratione donari residentia Christi Domini « in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis, corporaliter »; ratione autem curae animarum ac infirmorum subsidii c) *in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali* d) *et in ecclesia*, cuius « eodem iure oratorium publicum regitur » (can. 1191, § 1), quae sit *adnexa domui religiosorum* « Ordinis » vel « Congregationis » (can. 488, 2°) *exemptorum* « ab Ordinarii loci iurisdictione » iure (can. 615), vel speciali concessione ad normam can. 618, § 1, *sive virorum* « religionis clericalis vel laicalis », eo quod additur *sive mulierum,* nempe: monialium, minime « exceptis iis quae Superioribus regularibus non subsunt » (can. 615), quia etiam tales iure quamvis non de facto exemptae sunt dicendae proprie.

2° *Custodiri potest* licite iuxta ss. canones, *de licentia Ordinarii loci,* sive expressa, sive tacita, imo et praesumpta ex circumstantiis, v. gr. quae praesupponitur implicite contenta, quando « Episcopus religiosam familiam aut piam domum a parochi cura subducat » (can. 464, § 2), sed tantummodo a) *in ecclesia collegiata*, nempe: cum « capitulo canonicorum collegiato, ideo instituto ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat » (can. 391, § 1), b) *et in oratorio* a) *principali* ad excludendum « alia minora quae forsitan erigantur praeter illud » (can. 1192, § 4), b) *sive publico sive semipublico,* nihil refert, prout est oratorium c) disiunctive *tum domus piae,* quae videlicet charitati exercendae in proximos sit deputata v. gr. xenodochium, hospitale, ubi gratuito saltem partialiter recipiantur indigentes, *aut religiosae*, operibus nempe religionis ordinatae, prouti certo sunt domus religionum, vel in communi more religiosorum viventium, vel exercitiis peragendis destinatae, *tum collegii* sic dicti propter scopum educationis vel instructionis commorantium in eo, *ecclesiastici*, eo quod ex institutione pendeat ab Ecclesia, non taxative quia eius alumni ad ordines suscipiendos disponantur, alioquin esset vana sequens clausula limitans: *quod a clericis saecularibus vel a religiosis*, non a laicis tantum, *regatur* immediate.

Hucusque sunt enumeratae illae ecclesiae, quae iure debent aut de licentia facile obtinenda possunt, etsi oratoria proprie sint,

ssmam Eucharistiam asservare. Ait e contra § *2. Ut in aliis* praeter enumerationem § 1, *ecclesiis seu oratoriis*, tum publicis ac semipublicis, tum omnibus privatis *custodiri possit* licite ad normam ss. canonum, *necessarium est indultum apostolicum*, nempe: gratiosa S. Sedis concessio per S. Congr. de disciplina Sacramentorum, « ad quam pertinet concedere facultatem adservandi ssmam Eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus » [1]. Quod indultum esse poterit ad tempus, vel in perpetuum quo in casu proprie dicitur privilegium; *loci Ordinarius hanc licentiam*, ut supra S. Sedi reservatam, *concedere potest* uti per exceptionem *tantummodo* a) *ecclesiae* proprie dictae *aut oratorio publico*, quod « eodem iure ecclesiae regitur » (can. 1191, § 1), ex comprehensis sub praesenti paragrapho 2ª, b) *ex iusta* seu proportionata *causa* c) *et per modum actus*, scilicet: transeunter pro aliquot diebus.

§ *3. Nemini licet*, quod universale verbum afficit quoque S. R. E. Cardinales, *sanctissimam Eucharistiam* a) *apud se*, scilicet: in propria domo seu Palatio veluti pietatis obiectum, etsi honorifice tractatum, *retinere* b) *aut secum* tanquam carissimum comitem *in itinere deferre*, etiamsi super pectus ac securissime portaret. Quod ultimum S. Pontificis est privilegium, sicut ex historia constat peractum fuisse.

134. **Liber aditus causa visitandi ssmum Sacramentum.** Cum Divina Sapientia testificetur: « Deliciae meae esse cum filiis hominum », et amicitiae proprium sit libenter cum amico confabulari, Christi Sponsa fideliumque mater Ecclesia iubet in *can. 1266. Ecclesiae* proprie dictae, quia ius novum continet, atque de oratoriis publicis « quae eodem iure ecclesiae reguntur » (can. 1191, § 1) non opus fuit idem statuere, utpote iam observatum respectu inhabitantium domum vel collegium, *in quibus sanctissima Eucharistia asservatur*, iure vel de licentia Ordinarii loci iuxta can. praec. § 1, *praesertim paroeciales*, quia ex earum natura magis urgent rationes, et facilius servari potest praescriptum, nempe: *quotidie per aliquot saltem horas*, quarum duae sufficiunt iuxta reg. 40 Iuris in 6°: « Pluralis locutio, duorum numero est contenta », *fidelibus pateant*, ut hi queant volentes accedere ad Christum « de quo virtus exibat et sanabat omnes ».

[1] Ordo servandus... Normae peculiares. Cap. VII, Art. III, n. 10 a).

135. Sanctissima Eucharistia in loco sacro asservanda. Quod de personis physicis explicavimus sub §° 3 can.[s] 1265 ad personas morales extenditur occasione iuris praec.[s] in Conc. Trid.[o] expressi. *Can. 1267. Revocato quolibet contrario privilegio*, quod de natura sua « censendum est perpetuum » (can. 70), atque in can. 4 ut distinctum ab indultis, quae sunt ad tempus, recensetur, proinde indulta proprie contra huius canonis praescriptum « ab Apostolica Sede concessa integra manent », *in ipsa religiosa vel pia*, ut fuerunt haec verba declarata in can. 1265, § 1, 2°, *domo*, etiamsi haec sit « regularis » seu « Ordinis », imo domus Novitiatus vel residentia supremi Moderatoris, *sanctissima Eucharistia custodiri nequit* ad normam can.[s] §[i] ac num. cit.[i], *nisi vel in ecclesia* proprie dicta, si adsit, quae vices gerit sequentis oratorii, *vel in principali oratorio*, quo nempe conveniunt inhabitantes domum ad pietatis exercitia, in uno igitur tantum loco sacro sic declarato; imo *nec apud moniales*, etsi iure ssmam Eucharistiam asservandi praeditas, *intra chorum* adnexum quidem Ecclesiae, *vel septa monasterii* ex potiori motivo, quamvis in aliquo sacello illam sacerdos deponeret. Ita enim statuerat Conc. Trid. [1]: « Quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa monasterii (sanctimonialium), et non in publica ecclesia conservetur, prohibet S. Synodus: non obstante quocumque indulto, aut privilegio ». — Huc pertinent atque interpretationem datam corroborant seq.[s] declarationes Commiss. Pontificiae ad Codicis can.[s] authentice interpretandos [2]: « Resp.: Sensus canonis 1267 hic est. Si religiosa vel pia domus adnexam habeat publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia explenda, SS. Sacramentum in ea tantum asservari potest; secus (nempe: « si adnexam non habeat publicam ecclesiam » vel habens « ea non utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia », pro utroque casu) in oratorio principali eiusdem religiosae vel piae domus (sine praeiudicio iuris ecclesiae, si quod habet) », videlicet: eo quod « ecclesia sit adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum » (can. 1265, § 1, 1°), prouti haec clausula declarata manet; additque responsio respectu oratoriorum eiusdem domus: « in eoque » supple: oratorio principali « tantum, nisi in eodem materiali aedificio sint distinctae ac

[1] Cap. 10, sess. XXV, de regularibus et monialibus. — [2] 2-3 Iun. 1918, CO. X-346.

separatae familiae, ita ut formaliter (nempe: ratione regiminis, administrationis, atque praesertim in pietatis exercitiis) sint distinctae religiosae vel piae domus ».

Hinc possunt responsiones dari formaliter dubiis propositis: « 1. Canon 1267, quo statuitur... ut supra... intelligendusne est ita, ut prohibeatur eam custodiri praeterquam in publica ecclesia pro commoditate fidelium, etiam in principali oratorio, in quod sodales conveniunt ad exercitia pietatis communia? ». Responderi posset sic: Prohibetur eam tunc custodiri in publica ecclesia, nisi haec ius habeat ad normam can. 1265, § 1, 1°.

« Et quatenus negative ad primum. — 2. An idem dicendum sit, si quando ecclesia clausa ordinarie maneat et fidelibus non pateat ». Ad 2ᵐ in casu prohibetur in ea ssm̃am Eucharistiam custodiri, nisi in ea fiant pietatis exercitia.

« 3. An idem dicendum sit de pluribus oratoriis in eadem pia domo pluribus sodalium classibus destinatis (duobus, tribus, etc., pro novitiis ex. gr., fratribus laicis, studentibus, sacerdotibus), ita ut unaquaeque classis suum distinctum habere possit oratorium cum SS. Sacramento; an potius hoc coarctandum ad ecclesiam et oratorium pro tota communitate destinatum? ». Ad 3 negative ad 1ᵐ partem, et ad 2ᵐ provisum in praecedentibus.

136. **De uno altari in quo Ssm̃a Eucharistia asservetur.** *Can. 1268. § 1. Sanctissima Eucharistia* iuxta Tituli inscriptionem *continuo* diu noctuque *seu habitualiter* videlicet: sicuti ex destinatione, quamvis aliqua fiat interruptio, *custodiri nequit, nisi in uno tantum* forsan inter plures *eiusdem ecclesiae*, (ac fortiori motivo « oratorii » semi-publici), quae huiusmodi iure vel licentia gaudeat, *altari,* quod statim designatur.

§ *2. Custodiatur* ex praecepto ad locum quod attinet *in praecellentissimo* propter situm eius praecipuum intra sacrum locum, *ac nobilissimo* propter structuram, valorem, parietum ornamenta, *ecclesiae,* « cuius iure oratorium publicum regitur » (can. 1191, § 1), *loco*, quod iuris principium tam conforme regali honori inter homines applicatur sic: *ac proinde regulariter in altari maiore* idest: tanquam generalis norma exceptionibus subiecta, nempe: *nisi aliud* fieri *venerationi* quoad Ssm̃ae Eucharistiae usum, *et cultui tanti sacramenti* per fideles aut ecclesiae ministros praestando, *commodius* ob functiones sacras, et sacram communionem distribuen-

dam, *et decentius* respectu debiti honoris, attento quoque iuris principio antedicto, *videatur* prudenti viro, absolutaque subditur exceptio: *servato praescripto legum liturgicarum* missalis romani, *quod ad ultimos dies*, nempe feriae V in Coena Domini, feriae VI in Parasceve et Sabbati Sancti, *hebdomadae* videlicet *maioris attinet*.

Applicationem rectam huius §[i] ostendunt declarationes sequentes S. R. Congr.[s], quae in Cuneen. sic solvit [1] « Dubium VI. Num occasione alicuius Festi, Tridui, Novemdialis aut mensis, v. gr. Maii B. M. V. dicati, Iunii in honorem SSmi Cordis Iesu, liceat Ssmam. Eucharistiam ab Altari maiori super quo asservatur, ad Altare transferre in Ecclesiae lateribus erectum, ut in Festo sive per triduum, novemdialem, mensem, et Sacra Communio in iis distribuatur et populo benedictio impertiatur? — Ad VI. Affirmative; dummodo tamen Sanctissima Eucharistia in duobus Altaribus continuo non asservetur ». — Item in Augustae Praetoriae [2]: « Cum Episcopus Augustanus S. R. C. exposuerit... 3. Quod Ssmum Eucharistiae Sacramentum continuo retinetur in eadem Ecclesia (cathedrali) super duplici Altari, nimirum super Altare Chori et super alio S. Ioannis Baptistae, ratione parochiae eidem Cathedrali unitae. S. R. C. respondit: Ad 3. Sacratissimam Eucharistiam servandam esse in uno tantum Altari designando ab Episcopo », cuius in hac re ius manet.

Normam oppositam alteri praec.[s] §[i] expositae tradit § 3. *Sed in ecclesiis* a) *cathedralibus*, b) *collegiatis*, c) *aut conventualibus*, una sententia: *in quibus ad altare maius chorales functiones*, nempe: officium divinum, missa cantata seu conventualis et forsitan aliae *persolvendae sunt* per clericos illas inservientes, *ne* ipsorum *ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur*, v. gr. ob distributam ibi communionem, propter rubricas eorum officiorum simul cum reverentia versus tabernaculum exhibenda; *opportunum est, ut sanctissima Eucharistia regulariter*, eodem sensu ac in §[o] praec., *non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello* forsitan remotiore, *seu* saltem in *altari* diverso.

§ 4. *Curent ecclesiarum* quarumcumque *rectores* proprie, seu ampliori sensu quam ex can. 479, *ut altare in quo* iure vel licentia *sanctissimum Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis*

[1] 2 Iun. 1883, n. 3576. — [2] 21 Iul. 1696, n. 1946.

etiam maiori *ornatum* candelabris cum cereis, mappis, sericis, etc., *ita ut suo ipso apparatu* etiam extra ipsum altare *magis moveat* per intuitum signorum relativae magnificentiae *fidelium pietatem* scilicet: affectus reverentiae ac consequentis amoris propter maximum Dei donum *ac devotionem* seu voluntatis promptitudinem in eiusdem Domini servitium.

137. **De tabernaculo.** *Can. 1269.* § 1. *Sanctissima Eucharistia* ut supra *servari debet* ob istud praeceptum *in tabernaculo*, seu intra tentorium, a) *inamovibili* ab eius situ b) *in media parte* c) *altaris* in §° praec. designati *posito*, sed non super ipsius mensam seu petram sacram.

Conditiones huius tabernaculi describit § 2. *Tabernaculum sit* a) *affabre,* idest: artificiose *exstructum,* ut ex hoc ipso significetur honor, b) *undequaque solide clausum* etiam quoad eius ostiolum « clave obseratum » iuxta Rit. Rom. (loc. citando), ne possit manus vel animal ad interiora facile immitti, c) *decenter ornatum ad normam legum liturgicarum,* scilicet: serico atque coloris officii « conopeo decenter opertum » ex Rit. Rom. [1] d) « *ab omni alia re* (etiam sacris oleis ac reliquiis) *vacuum* », e) *ac tam sedulo custodiatur* per eum ad quem pertinet, *ut periculum cuiusvis* etiam puerorum *sacrilegae* ob actionis naturam *profanationis arceatur* diligentiori modo humano.

Respectu §i 1ae ponitur concessio iuris sub § 3. *Gravi* etiam propter probabilitatem *aliqua suadente causa* v. gr. timoris praefati periculi, etc. b) *ab Ordinario loci probata,* vel in singulis casibus vel generali decreto, *non est vetitum* ob §m 1m *sanctissimam Eucharistiam* c) *nocturno tempore,* non deceret namque de die propter suppositam custodiam, d) *extra altare,* e) *super corporali tamen*, quod substerni etiam in tabernaculo supponitur, f) *in loco tutiore*, v. gr. in capsa securitatis, *et decenti* propter formam eiusque situm v. gr. in sacrario, *asservari*, *servato praescripto can. 1271* fere statim explicando.

§ 4. *Clavis* obserandi ut supra *tabernaculi, in quo sanctissimum Sacramentum* de facto *asservatur, diligentissime*, tanquam pretiosissimum Dei donum servando, *custodiri debet*, ita ut quaelibet negligentia sit culpabilis pro eiusdem levitate vel gravitate,

[1] Tit. IV, Cap. I, n. 6.

sed persona quam praescriptum urget sic monstratur: *onerata graviter conscientia sacerdotis*, ita ut quamvis negligentia ignota sit aliis, eo quod effectus pravus sequutus non fuerit, coram Deo reus exsistere possit ille presbyter, *qui ecclesiae vel oratorii* ubi Ssma Eucharistia custoditur *curam* principalem *habet*.

138. **De pyxide ad particulas conservandas** ex Rit. Rom. [1] est translatus adamussim *can. 1270. Particulae consecratae, eo numero*, non ultra illum, *qui* ex prudenti praevisione a) *infirmorum*, qui hoc sacro pane refici debent vel desiderent, b) *et aliorum fidelium*, qui ad sacram mensam accedere solent, *communioni satis esse possit*, ne ob negligentiam quandoque deficiant, *perpetuo* seu absque interruptione « etiam durante processione Corporis Christi » [2] *conserventur* in ecclesiis seu oratoriis, quae tale ius habeant, a) *in pyxide* seu vase specialis formae ampli calicis, non « in Corporali tantum involutae, etiam quoties timeatur periculum facinoris (quominus vasa sacra ex metallo confecta a furibus diripiantur) » [3], quod vasculum sit b) *ex solida*, non fragili v. gr. « pyxide vitrea etiam locis sylvestribus ac imperviis, ubi latrones metalli amore capti pyxides furantur horrendum sacrilegium perpetrantes », sicut S. Congr. Rit. respondit in Mindonien. [4] c) *decentique materia*, v. gr. « ex cupro deaurato », ut S. R. C. permitti posse declaravit in una Sancti Hyppoliti [5], d) *eaque* « pyxide » *munda* interius praecipue ac exterius, e) *et suo operculo*, proinde velut pyxidis parte, *bene clausa*, ut quaelibet indecentia vitetur, f) *cooperta albo* semper *velo* etsi *serico*, *et* g) *quantum res feret, ornato* opere acu vel arte facto.

139. **De lampade collucente coram tabernaculo**. Ex Rit. Rom. [6] et subsequentibus declarationibus conflatus est *can. 1271. Coram tabernaculo* in can. 1269 descripto (« dummodo intra vel ante altare » iuxta S. R. C. Dec.m in Cuneen [7]), *in quo sanctissimum Sacramentum* actu *asservatur* ubilibet quamvis ex indulto vel privilegio Apostolico, *una saltem lampas*, (et laudabiliter « plures lampades ») (loc. cit.) *diu noctuque* absque interruptione seu *continenter luceat*, propter grave hoc praeceptum « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » (can. 6, 2°) aestimandum, et

[1] Tit. IV. Cap. I n. 5. — [2] S. R. C. in Conchen. 13 Aug. 1667, n. 1357. — [3] S. R. C. in Altonen. 17 Febr. 1881, n. 3527. — [4] 30 Ian. 1880, n. 3511. — [5] 31 Aug. 1867, n. 3162. — [6] Loc. cit. n. 6. — [7] 2 Iun. 1883, n. 3576 ad IV.

hucusque concordat Rit.[1] Rom.°. — Circa combustionis eius materiam prosequitur canon: « lampas » *nutrienda oleo olivarum vel cera apum,* et omnino requiritur alterutra materia, vel « compositio ex utraque », eo quod S. R. C. « nihil obstare in casu rescripsit » in Carcassonen. [1]; sub conditione autem loci: *ubi vero oleum olivarum haberi nequeat* saltem quia « ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate comparari potest, ob peculiares circumstantias, sive ordinarias, sive extraordinarias, iisque perdurantibus » ut habetur in Dec.° S. Congr. Rit. [2], ne abusus irrepant ob privatorum iudicium, *Ordinarii loci* (can. 198, § 2) *prudentiae permittitur* iure, idque concessum sequi possunt ibidem sitae familiae religiosorum etiam religionis clericalis exemptae, *ut aliis oleis*, sic appellatis liquoribus, *quantum fieri potest*, *vegetabilibus,* ita ut vitetur petroleum aliive ex terrae depositis. Quamvis Codex non memoret alias concessiones, vigent adhuc quae utpote transitoriae, veluti apostolica indulta respici queunt, et continentur in Dec.° S. Congr. Rituum [3], quando « ob peculiares circumstantias, sive ordinarias sive extraordinarias,... vel ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate comparari potest ». S. Rit. Congr., inhaerens Dec.° n. 3121, Plurium dioecesium, d. d. 14 Iun. 1864,... rescribendum censuit: « Inspectis circumstantiis enunciatis iisque perdurantibus, remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram Sanctissimo Sacramento, nutriatur, in defectu olei olivarum, (praeterquam « aliis oleis » ut in canone « aut cera apum pura ») vel mixta, et ultimo loco etiam luce electrica, adhibita, si Ssmo placuerit. Ssmus D. N. Benedictus Papa XV « rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit ».

140. **Hostiae consecrandae ac renovandae.** « Propter maximam quae debetur reverentiam erga SS. Eucharistiae Sacramentum mandavit S. Congr. de disciplina Sacramentorum [4], ut in cunctis ecclesiasticis Dioecesium ephemeridibus datum responsum edatur, quo facilius omnibus patescat, et ab iis, ad quos spectat, fideliter ac religiose servetur ». Videlicet: « exquisitum est an probari possit huiusmodi praxis adhibendi, pro Ssmo Eucharistiae sa-

[1] 8 Nov. 1907, n. 4205. — [2] 23 Febr. 1916. CO. VIII, 72. — [3] 23 Febr. 1916, CO. VIII, 72. — [4] 7 Dec. 1918, CO. XI-8.

cramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas. Et haec S. Congr. respondit; negative, et servetur praescriptum Rit. Rom. et Codicis Iuris Canonici ». Rit. Rom. [1] haec praecipit: « Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit (parochus). Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes; et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat ». Quae plenius traduntur praescripto *can. 1272. Hostiae*, propter formam orbicularem communem cum his quae sacrificio destinantur, qua tales, scilicet: ratione materiae consecrandae, atque *consecratae* in alterutrum finem: a) *sive propter fidelium communionem*, proinde parvae, seu particulae, b) *sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti*, quae solent esse maiores, ac omittuntur destinatae ad solum sacrificium, de quarum materia idem cautum est in can. 815; praedictae vero a) *et recentes sint*, scilicet: sicut in cit. can. panis earum « recenter confectus », b) *et frequenter renoventur*, quod ita explicatur: *veteribus rite consumptis*, idest: iuxta Rit. Rom. « distribuat » particulas vel utrasque « sumat », recentesque consecrentur, quae frequentia renovationis et confectio recens ex clausula sequenti determinatur: *ita ut* non sufficiat vitare corruptionem, sed *nullum sit periculum corruptionis*, nempe: transmutationis specierum odoris, coloris, saporis, consistentiae, quae transmutatio esset sufficiens ad panis, si adesset, corruptionem, quia tunc iuxta certam theologorum doctrinam desinit esse sacramentum, idque in irreverentiam ipsius redundaret absdubio. Talis corruptio diverso temporis lapsu evenit ob circumstantias, tum stationum anni, tum humiditatis loci, tum climatis regionis etc., quapropter iubet canon: *sedulo servatis instructionibus*, (ad vitandas in praxi iudiciorum dissensiones) *quas Ordinarius loci* ex officio superintendens *hac de re dederit*, quibus in praxi oportet regulares quoque conformari.

141. Hortationes ad assistendum Missae sacrificio ac ut visitent sanctissimum Sacramentum. « Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se » (Psalm. CX, 4). Propterea volens Ecclesia instillare fidelibus gratos et memores sensus pro tam ineffabili, et plane divino beneficio, sic pandit mentem suam per *can. 1273. Qui in re-*

[1] Tit. IV, cap. 1 n. 7.

ligiosam fidelium cuiuscumque aetatis, ac sexus, et conditionis *institutionem incumbunt,* sive clerici sint, sive laici, sive religiosi, *nihil omittant,* quod sibi opportunum videatur, *ut pietatem,* idest: devotionis affectus *erga sanctissimam Eucharistiam in eorum animis excitent,* atque descendens ad particularia subiungit: *eosque praesertim hortentur*, quin ullam inducant novam obligationem, *ut*, *non modo diebus dominicis et festis de praecepto,* qui consequenter spiritualibus exercitiis consecrantur, *sed etiam diebus ferialibus*, prout hi opponuntur diebus festis, *intra hebdomadam*, *frequenter,* non dicitur quotidie, quin excludatur, *quantum fieri potest* a singulis, a) *Missae sacrificio assistant* b) *et sanctissimum Sacramentum visitent.* Hoc modo hic canon similitudinem habet cum can. 863, ac uterque complet desiderium Ecclesiae quoad informationem suorum filiorum erga Ssmam Eucharistiam pro triplici eius respectu.

142. **Expositio Ssmi Sacramenti tum privata tum publica.** Ius praecedens contentum in diversis adnotationibus ad hunc Codicis locum refertur plene in *can. 1274.* § 1. *In ecclesiis aut oratoriis* etiam semipublicis *quibus datum est* ex iure vel licentia Ordinarii loci vel indulto Apostolico *asservare sanctissimam Eucharistiam,* a) *fieri potest* licite vi huius canonis non vero in oratoriis domesticis, eo quod praeter missam « functiones ecclesiasticae ibidem ne fiant » ait can. 1195, § 1, qualis est *expositio* Ssmae Eucharistiae ad fidelium adorationem *privata*, quae sic declaratur: *seu cum pyxide ex qualibet iusta causa* v. gr. pro alicuius infirmitate, vel ad alicuius viri religiosi desiderium, de qua expositione S. C. EE. et RR. [1] ita respondit: « Ssma Eucharistia e tabernaculo numquam extrahatur, sed in pyxide velata in aperto eiusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicuius sacerdotis stola et superpelliceo induti et cum sex saltem luminibus cereis collocetur », etiam *sine Ordinarii licentia;* b) *expositio vero publica* sic dicta, *seu* propositio Ssmi Sacramenti *cum ostensorio* pro adoratione ita ut sacra Hostia oculis perspiciatur, a) *die festo Corporis Christi et* singulis diebus *intra octavam fieri potest* licite vi huius concessionis b) *in omnibus ecclesiis*, quarum « iure oratoria publica reguntur » (can. 1191, § 1), haec igitur pars canonis ad alia oratoria non extenditur ac in illis tantummodo c) *inter Missarum sollemnia et*

[1] 9 Dec. 1602.

ad Vesperas, quatenus illa solemnis celebretur vel hae saltem recitentur ibidem; *aliis vero* a) *temporibus* nempe: illorum dierum vel extra illos octo dies b) *nonnisi ex iusta,* seu proportionata, *et gravi causa praesertim publica,* quia hodie non requiritur omnino ut influxum notabiliter habeat in bonum communitatis, prout asserebat cum communissima Bened. XIV [1], c) *et de Ordinarii loci licentia,* et quamvis totus canon regularibus applicetur, cum caeterae ipsius partes favorem contineant, solum de ultima cavetur: *licet ecclesia,* vel oratorium publicum, *ad religionem* iure vel speciali concessione *exemptam pertineat.* Ita iam rescripserat S. R. C. in Savonen. [2]: « Non licere Regularibus etiam in eorum propriis ecclesiis Ssmum Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica (nunc mitigata), quae probata sit ab Ordinario; ex causa vero privata licere, dummodo non extrahatur e tabernaculo et maneat velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit ». Videlicet: expositio sit privata, quae « liturgica lex vim suam retinet » (can. 2). — Et in S. Iacobi de Chile [3] S. eadem Congr. ad « Dub. XIV. Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi Ssmum Sacramentum, tum in ecclesiis Regularium tum in iis in quibus adest indultum Apostolicum asservandi Eucharistiam, sine Ordinari licentia? » respondit: Ad XIV. Negative ».

Benedictio eucharistica est: « liturgica benedictio cum Ssmo Sacramento sive in pyxide, sive in Ostensorio facta per legitimum ministrum ». — Cuiuscumque benedictionis eucharisticae minister est Sacerdos tantum, non Diaconus. Constat in Angelopolitana [4], nam Dubio « 1.° An in expositione Ssmi Sacramenti extra Missam, Diaconus solus possit vicem gerere Sacerdotis in exponendo et recondendo; ac cum Ssmo Sacramento benedicere populo, antequam Ostensorium in sacrario reponat? S. R. C. respondendum censuit: Ad 9. In exponendo tantum et recondendo Ssmo Sacramento ». — Notandum vero in Tonkini Occidentalis [5]: « Dubium I. Diaconus, qui ex mandato sui Vicarii Aplci defert sacrum Viaticum infirmis, potest ne facere aspersionem aquae benedictae, dicere: *Misereatur. Indulgentiam,* signare infirmum vel semetipsum, dicere Dominus vobiscum cum Oratione, et benedicere cum Ssmo Sacramento infirmum et assistentes...? Ad I. Deficiente presbytero, et Vic. Aplci

[1] Inst. eccles. XXX, n. IX. — [2] 31 Maii 1842, n. 1392. — [3] 14 Martii 1861, n. 3104. — [4] 11 Sept. 1847, n. 5102. — [5] 14 Aug. 1858, n. 3074.

concurrente licentia, Affirm. in omnibus ». — Ex Rit. Rom. [1]: « His expletis, (post communionem scilicet infirmi in eius domo) si altera particula Sacramenti superfuerit,... accipiens (Sacerdos) vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens... ». « Postea (idest: regressus in ecclesiam) cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum super populum, nihil dicens ».

Benedictio vero cum ostensorio sequi debet solemnem expositionem aut theophoricam processionem. Potest autem fieri cum sacra Pyxide in fine privatae expositionis. Haec patent in seq.^s declarationibus S. Congr. Rit.^m. — 1.^a Angelopolitana [2]: « An in qualibet Ssmae Eucharistiae Sacramenti publica expositione, antequam in Tabernaculo idem reponatur, benedictio fidelibus cum eodem Ssmo Sacramento impertiri debeat, ita ut eam omittere non liceat?... Et S. R. C. rescribendum censuit. Affirmative, atque ita rescripsit ». 2.^a Templen. [3]: « Dubium IV. An in expositione in forma Quadraginta Horarum permittatur singulis diebus sero, antequam Ssmum Sacramentum reponatur, benedictionem populo cum eodem impertiri? Dubium V. An liceat in una eademque die atque in eadem ecclesia pluries cum Ssmo. Sacramento benedici populo?... Et... S. R. C.... rescribere rata est: Ad IV. Affirmative. Ad V. Affirmative, de licentia Episcopi ». 3^a. Tarnovien. [4] S. R. C. rescribendum censuit: « Ad IV. Expositos usus alienos esse a Rubricis et Decretis praescribentibus, ut in supplicatione Ssmi Sacramenti non adeo frequenter extra ecclesiam benedictio donetur, sed semel vel iterum dumtaxat: et in reditu supplicationis ad Ecclesiam deponi debeat Ssmum Sacramentum super Altare et nonnisi semel cum eo benedici, et quidem post expletum cantum stropharum, *Tantum ergo — Genitori, Genitoque*, cum Vers. et Oratione; tandem vero ut in actu benedictionis nil prorsus cantetur ». 4.^a Congr. Ssmi Sacramenti [5]. « Dub. III. An post expositionem privatam Ssmi Sacramenti, scilicet: aperto ostiolo Tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito?... Et S. R. C. respondendum censuit:... Ad IV. Affirmative ».

Hoc ius antiquum refert ac per illud explicatur § 2. *Minister*

[1] Tit. IV. Cap. IV, num.^i 20, 23. — [2] 12 Iul. 1889, n. 3713. — [3] 12 Iañ. 1878, n. 3438. — [4] 26 Mart. 1859, n. 3086. — [5] 30 Nov. 1895, n. 3875.

expositionis, tum publicae tum privatae, *et repositionis* in pristinum locum *sanctissimi Sacramenti* Corporis Christi *est sacerdos vel diaconus,* ac sine restrictione quia tangere ipsum non est opus: *minister vero benedictionis Eucharisticae* praeceptae post expositionem publicam, facultativae post privatam, *est solus sacerdos* utriusque gradus, *nec eam impertire diaconus potest*, utpote actum ordinis superioris, *nisi in casu quo, ad normam can. 845*, § 2, scilicet: « de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur », *Viaticum ad infirmum detulerit.*

143. Expositio Ssmi Sacramenti solemniore ritu. *Canon 1275.* — *Supplicatio*, quia, ex const. « Graves et diuturnae » Clem. VIII [1] constat S. Pontificem fuisse motum ad illam instituendam propter publicas Ecclesiae calamitates, ut die ac nocte ante Iesum in sacramento solemniter expositum funderetur a fidelibus continua oratio ad placandum Dominum et impetrandam divinam misericordiam. Additur *Quadraginta Horarum*, etiamsi longiori tempore perduret, quia initio fuit instituta Mediolani anno circiter 1534 in memoriam tot horarum per quas sacrum Christi corpus iacuit in sepulchro; illa ergo « supplicatio » a) *in omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque* etiam exemptis, ut constat ex Romana praxi, *in quibus sanctissimum Sacramentum habitualiter asservatur,* b) *statutis de consensu Ordinarii loci diebus* pro hac supplicatione in unaquaque illarum, c) *maiore qua fieri potest sollemnitate* ad normam Instructionis Clementinae [2], quae extra Urbem est directiva [3], sed pro indulgentiis lucrandis servanda quoad substantiam, *quotannis* (saltem semel) *habeatur* ex canonis praecepto; cum sequenti tamen moderatione: *et sicubi* a) *ob peculiaria rerum adiuncta nequeat* b) *sine gravi incommodo et cum reverentia tanto sacramento debita fieri*, his tantummodo suppositis cessat urgere praedicta obligatio, sed *curet loci Ordinarius* a) *ut saltem per aliquot continuas horas* mane aut vespere, b) *statis diebus* ut supra, c) *sanctissimum Sacramentum solemniori ritu* quam consueto in expositione publica, *exponatur* « quotannis » per turnum in praedictis singulis ecclesiis.

[1] 25 Nov. 1592. — [2] Appendix ad Vol. III. Decreta auth. S. Congr. Rituum. — [3] 12 Iul. 1749. n. 2403.

TITULUS XVI.

De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum.

CAN. 1276. - Bonum atque utile est Dei Servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur.

CAN. 1277. - § 1. Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint.

§ 2. In album Sanctorum canonice relatis cultus duliae debetur; Sancti coli possunt ubique et quovis actu eius generis cultus; Beati vero non possunt, nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit.

CAN. 1278. - Laudabiliter quoque, servatis servandis, Sancti nationum, dioecesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum eliguntur et, accedente confirmatione Sedis Apostolicae, constituuntur Patroni; Beati non item, sine peculiari eiusdem Sedis Apostolicae indulto.

CAN. 1279. - § 1. Nemini liceat in ecclesiis, etiam exemptis, aliisve locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata.

§ 2. Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruant.

§ 3. Nunquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi falsi dogmatis imagines vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeant.

§ 4. Si imagines, publicae venerationi expositae, sollemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere.

CAN. 1280. - Imagines pretiosae, idest vetustate, arte aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, nunquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat.

CAN. 1281. - § 1. Insignes reliquiae aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu.

§ 2. Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva.

CAN. 1282. - § 1. Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia.

§ 2. Reliquiae non insignes debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt.

CAN. 1283. - § 1. Publico cultu eae solae reliquiae in ecclesiis, quanquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa.

§ 2. Vicarius Generalis nequit, sine mandato speciali, reliquias authenticas edicere.

CAN. 1284. - Locorum Ordinarii reliquiam, quam certo non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter amoveant.

CAN. 1285. - § 1. Sacrae reliquiae, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint, publicae venerationi ne exponantur, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.

§ 2. Reliquiae tamen antiquae in ea veneratione qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse.

Can. 1286. - Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meris coniecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus, quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate.

Can. 1287. - § 1. Reliquiae, cum exponuntur, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet.

§ 2. Reliquiae sanctissimae Crucis nunquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant.

§ 3. Beatorum reliquiae, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferantur, neve in ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessione.

Can. 1288. - Sanctissimae Crucis reliquiae, quas in cruce pectorali Episcopus forte defert, ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt, Episcopo successori transmittendae; et si defunctus pluribus praefuerit dioecesibus, ecclesiae cathedrali dioecesis, in cuius territorio supremum diem obiit aut, si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo discessit.

Can. 1289. - § 1. Sacras reliquias vendere nefas est; adeoque Ordinarii locorum, vicarii foranei, parochi aliive curam animarum habentes, sedulo caveant ne sacrae reliquiae, praesertim sanctissimae Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum manus transeant.

§ 2. Rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilent ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur.

Tit. XVI. De cultu Sanctorum — sacrarum imaginum — et reliquiarum —

- — bono atque utili — Can. 1276
- — ac Beatorum —
  - — publico sed diverso — » 1277
  - — ut locorum ac personarum moralium patroni sint — » 1278
- — tantummodo —
  - — quoad eas approbandas, exhibendas ac benedicendas — » 1279
  - — circa earum restaurationem — » 1280
- — simul quoad ipsarum alienationem et perpetuam translationem — » 1281
- — solummodo —
  - — ubinam sint asservandae — » 1282
  - — circa earum authenticitatem —
    - — facultas — » 1283
    - — certo deficientem — » 1284
    - — non certam — » 1285
    - — non impugnandam — » 1286
  - — exponendarum in thecis diversis, ac Beatorum non ubilibet — » 1287
  - — conservandarum —
    - — per transmissionem praescriptam — » 1288
    - — absque venditione vel profanatione — » 1289

144. Inscriptio Tituli ac distributio canonum. *Titulus XVI* inscribitur *De cultu* praesertim publico, sed absoluto *Sanctorum*, sic dictorum ob gloriae adeptionem, iuxta illud: « Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut... per portas intrent in civitatem » [1], atque « de cultu » relativo *sacrarum imaginum* picturis vel aliis similitudinibus expressarum, non solum Sanctorum ut supra, sed etiam divinorum mysteriorum, angelorum, Christi ac Dei, *et reliquiarum* eorum, qui degerunt in terris, nec corpus eorum in coelum assumptum est.

Ordo canonum sequens est: Principium de sanctorum cultu ex Dec.° Conc. Trid. doctrinali proponitur in can. 1276. Post hunc apponuntur duo can. 1277, 1278 « de cultu Sanctorum ac Beatorum », alii duo can. 1279, 1280 « de cultu ss. imaginum », et his canon 1281 subnectitur de ipsarum ac reliquiarum alienatione et translatione, cum quo incipiunt canones tractantes de reliquiis, quarum cultum regunt seq.^s can.^s 1282 usque ad ultimum Tit.^i canon 1289.

145. Principium doctrinale praedicti cultus triplicis. Sic incipit Conc.^i Trid.^i Decr.^m « De invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus. Mandat S. Synodus omnibus Episcopis, et ceteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae, et apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant... ». Ac prosequitur cum *can. 1276. Bonum, atque utile* nobis *est Dei servos*, qui cognitam Domini voluntatem fecerunt in terris, propterea que nunc *una cum Christo regnantes* in gloria aeterna, nam « illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad poenas quas patiuntur, et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis » [2], dum e contra « qui asserunt, sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, inquit S. Synodus, eos impie sentire ». Propterea canon quem commentamur dicit « bonum atque utile »

[1] Apoc. XII, 14. — [2] D. Th. Suppl. q. LXXXIII, a. 11 ad 3^m.

a) illos *suppliciter invocare*, b) *eorumque reliquias* seu « sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda.... per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur » (loc. cit.), *atque imagines venerari*; « non quod credatur inesse in eis aliqua divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant,... id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicenae Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum ». Explicit canon sic: *sed prae ceteris* Sanctis, propter eius singularem dignitatem ut Dei Matrem, et quia in Ioanne dictum est fidelibus a Christo in Cruce « ecce Mater tua », *filiali devotione* seu affectu voluntatis *Beatissimam* ob superexcellentem eius felicitatem *Virginem* singularem *Mariam fideles universi prosequantur*, prout ex doctrina catholica tenentur.

146. Diversitas cultus exhibendi. *Can. 1277. § 1. Cultu publico*, secundum ipsius definitionem in can. 1256, praecipue « per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos », *eos tantum Dei servos*, ac proinde non alios « cum sanctitatis et martyrii fama defunctos » [1], imo etsi aliquis Ecclesiae minister fuerit certus revelatione divina circa cuiusdam gloriam iam obtentam, *venerari licet*, propter Ecclesiae prohibitionem sequentem (loc. cit.): « Urbanus VIII... statuit, et decrevit ne quorumvis hominum, ut supra, imagines et quodcumque eorum aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, in Oratoriis aut locis publicis seu privatis, vel Ecclesiis tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque Instituti apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur », seu ut ait canon ampliori sensu, *qui auctoritate* ad hoc *Ecclesiae* per diversas leges de Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei editas, *inter Sanctos vel Beatos relati sint*. In hac re diversos gradus quatuor discernere oportet. 1° « S. R. C. praesentibus declaratione et iussione » [2], sicuti Urb. VIII in cit. dec.° n. 4. « Removere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per imme-

[1] Dec. S. Congr. S. Officii, 13 Martii 1631. — [2] 27 Sept. 1659, n. 1130.

morabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicae, aut Ordinariorum hactenus praestitum, ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu S. eadem C. eumdem in pristinum reduci iubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis indultis omnino revocari mandat sub poenis, etc. ». II°. Haec vero indulta (excepto num. 6° derogato per Dec. S. Congr.^{s} Rit.)[1] limitationibus reguntur statutis per Dec.^{m} « super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando, a S. R. Congregatione ordinaria habita coram SS. D. N. Papa Alexandro VII emanatum »[2]. III° Hinc eruitur adesse supremum cultus gradum Canonizatis praestandi. IV° Praefatis limitibus addendae sunt quoad Servos Dei cum prioris gradus cultu, seu « in statu suae possessionis », prohibitiones factae per Dec.^{m} S. R. C.[3] a) cum admovetur manus ordinariis processibus instruendis, b) ac signata Commissione ad causam pertractandam apud S. Rituum Congregationem, (quamvis hoc Decretum directe respiciat casus non exceptos in relatis primo decretis).

Gradus ergo cultus publici sunt ordine ascendente: erga Servos Dei, qui possessionem cultus habent ultra centum annos ante Urbanum VIII, iuxta cit. Dec. eiusdem S. Pontificis; erga eosdem Servos Dei, quorum cultus fuit per Decretum S. Sedis approbatus; erga Dei Servos per sententiam in Beatorum albo relatos, et Breve Beatificationis comprehenditur nomine Indultorum, quae respicit Dec. S. Congr. Rit. cit. « super cultu Beatis adhuc non canonizatis »; ac demum erga Beatos, sive cultus confirmatione, sive per formalem Beatificationis sententiam, postquam sunt canonizati, qui Sancti iure vocantur.

« Neque enim eodem habenda est loco simplex conservatio antiqui et immemorabilis cultus, cuius iudicium pleno iure ad Ordinarios pertinet, atque confirmatio, quae a Sede Apostolica petitur: quaeque cum beatificationem exaequet, (quoad cultum concessum Beatorum, etsi modo processus ordinario, propter quod in tertium cultus gradum retulimus), seu, ut mos fuit maioribus loqui, beatificatio

[1] 9 Dec. 1895, n. 3862. — [2] 27 Sept. 1659, n. 1130. — [3] 26 Aug. 1913 CO. V, 436.

sit aequipollens, Servum Dei, cuius cultus confirmatus fuerit, in insigniori quodam honoris gradu (quem cultus gradum secundum vocavimus) ante fidelium oculos constituit, qui (pro his, sicut tertius pro aliis) supremo canonizationis honori proximus est »[1].

§ 2 loquitur tantum de his Dei Servis, qui suprema interveniente auctoritate Ecclesiae publicum adepti sunt cultum, videlicet: *In album,* seu elenchum *Sanctorum* proprie dictorum, ac cognoscendum praesertim sed non unice ex Martyrologio Romano, *canonice* seu iuxta ecclesiasticas leges, etsi pro diversis retro temporibus vigentes, *relatis* modo positivo saltem tacito, *cultus duliae* in can. 1255 explicatus *debetur*, seu ius eis competit ad illum, utpote quod authentice constat in Ecclesia per definitivam sententiam « eos esse cum Christo in coelo regnantes ». Hinc sequitur praeter cultum eis singulis forsan praeceptum, quod *Sancti* prius declarati *coli possunt* a) *ubique* b) *et quovis actu eius generis* pro Sanctis statuti *cultus* ab Ecclesia; *Beati vero* saltem per aequipollentem Beatificationem, *non possunt* ob sententiae definitivae defectum, *nisi* a) *loco* uti Ecclesia, Oratorio, religiosa domo, equidem absolute pro cultus publici liceitate, b) *et modo* (quoad designatos illius actus) *quo Romanus Pontifex* in Brevi Beatificationis aut subsequenti Decreto, *concesserit* saltem implicite propter vigentes liturgicas leges.

147. **Patroni eligendi ac constituendi**. Conc. Trid. in Dec.° De invocatione etc. sanctorum (sess. XXV) docet: « bonum atque utile esse,... ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad Sanctorum orationes, opem, auxiliumque confugere ». Cum igitur sit singularis publicus cultus ex sacris legibus Sanctis, non Beatis concessus ac eorum aliquibus prae aliis, positus est immediatus praecedenti sic incipiens *can. 1278. Laudabiliter quoque, servatis servandis,* scilicet: impraesentiarum est « Decretum pro patronis in posterum eligendis » per S. R. C. approbante Ssmo editum[2], quae mandavit numero « 1. Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat ». Propter hoc prosequitur canon: *Sancti* proprie (qui in Martyrologio Romano inveniuntur), a) *nationum* b) *dioecesium* singularum, c) *provinciarum* « ecclesiasticarum quibus

[1] Dec. S. C. R. 11 Nov. 1912, CO, IV, 705. — [2] 23 Martii 1630, n. 526.

singulis praeest Metropolita seu Archiepiscopus » (can. 272), d) *confraternitatum*, quae sunt « sodalitia in incrementum quoque publici cultus erecta » (can. 707, § 2), e) *familiarum religiosarum*, quae incolunt diversas domos religiosas, f) *aliorumque locorum* respectu a) b) c) *et* g) *moralium personarum* respectu d) et e) *eliguntur* ab eis, ad normam num. 2 citati Decreti, *et*, *accedente confirmatione Sedis Apostolicae*, videlicet: « causae electionis novorum Patronorum debent in S. R. C. deduci ac examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari [1] », ac sic *constituuntur Patroni* cum effectibus peculiaris cultus publici ad normam legum liturgicarum; *Beati* etiam post formalem beatificationem *non item* congruenter iuri praec.[1] (Dec.° cit. num. 1), *sine peculiari* pro aliquo Beato *eiusdem Sedis Apostolicae* per eamdem S. Congregationém *indulto* seu gratiosa concessione.

148. **De imaginibus publicae fidelium venerationi proponendis.** Iisdem verbis Conc. Trid. [2] utitur *can. 1279* in § *1. Nemini* eorum qui legibus ecclesiasticis subiiciuntur *liceat* ob huius canonis vetitum a) *in ecclesiis*, quarum « iure oratoria publica reguntur » (can. 1191, § 1), b) *etiam exemptis* « ab Ordinarii loci iurisdictione » (can. 615) vi canonis vel speciali concessione, c) *aliisve locis sacris* nempe: « divino cultui fideliumve sepulturae deputatis consecratione vel benedictione » in can. 1154 declaratis, hinc etiam in coemeteriis, imo et oratoriis semi-publicis, quae benedicta fuerint « more ecclesiarum » (can. 1196), *ullam* qualemcumque, sed qua *insolitam* pro Ecclesia vel saltem pro regione, a) *ponere*, si potestate gaudeat in loco sacro, b) *vel ponendam curare* ad vitandum moralem influxum aut vim in hoc negotio exponendi *imaginem* iuxta Tituli inscriptionem, *nisi* sub conditione quod *ab Ordinario loci* (can. 198, § 2) *sit approbata* in hunc finem, proindeque expresse.

Huius approbationis normam tradit § *2. Ordinarius autem* loci, ut supra, *sacras imagines* sub inscriptione declaratas *publice ad fidelium venerationem*, seu cultum etsi privatum, *exponendas*, quod evenit in locis sub § 1 comprehensis (dum excipiantur oratoria semi-publica exempta), *ne approbet*, ut ex eodem cit. §° est opus, *quae* « sacrae imagines » *cum probato Ecclesiae usu* cogno-

[1] Dec. cit.° num. 3. — [2] Sess. XXV, Dec. De invocatione etc. et sacris imaginibus.

scendo per experientiam atque ex S. Sedis documentis, v. gr. Urb. VIII const.^e « Sacrosancta Trid. Synodus » [1], de forma non dissona ipsae traditioni ab antiquo, ac de vestitu sacrarum Imaginum Sanctorum cum habitu ordinis regularis quem professi non sunt, ex ep. Bened. XIV « Sollicitudinis » quoad diversas Ssmae Trinitatis eiusque personarum imagines, si *non congruant*, in quo ferendo iudicio per usum declaratum veluti principium applicandum Ordinarius duci oportet.

Sequitur absoluta prohibitio, quae attingens Ordinarii curam de hac re, non minus est amplianda quam initium canonis. § *3. Nunquam sinat*, ergo sive exhibendas sive exhibitas, *Ordinarius* loci vel Superior maior religionis clericalis exemptae in eiusdem oratoriis semi-publicis, ille tamen *in ecclesiis* « etiam exemptis » (§ 1) *aliisve locis sacris* ibi declaratis *exhiberi*, quamvis non ad publicam venerationem, sed ut « per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas erudiri, et confirmari contingat populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis, vel ut admoneatur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt; vel etiam quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam » (Dec.° cit.° Conc. Trid.) In has autem sanctas, et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut (quemadmodum in canone) nullae a) *falsi dogmatis imagines*, videlicet: quae contrarium veritati fidei exprimant, b) *vel quae debitam* loco sacro *decentiam*, videlicet: « ut nihil inordinatum, aut praepostere, et tumultuarie accomodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat » seu iuxta canonem *et honestatem non praeseferant*, « cum domum Dei deceat sanctitudo (XCII, 7), c) *aut rudibus* ex populo *periculosi* quoad doctrinam catholicam *erroris occasionem praebeant*. — Exemplum huiusmodi affert Bened. XIV in cit. ep. de imagine Spiritus Sancti sub specie unius tantum iuvenis speciosi, quamvis tres aequales admitterentur secundum quosdam Doctores in Ssmae Trinitatis repraesentationem, attenta Sacrae Scri-

[1] 15 Mart. 1642.

pturae narratione de tribus viris qui Abrahae apparuerunt, ac unum adoravit. Propter illam, ut videtur «debitam decentiam», qua orbantur quaedam imagines, S. C. S. Officii dixit [1] consequenter earum prohibitioni ipso iure: «ideoque statim removendas esse ab Ecclesiis, Oratoriis, etc. in quibus forte expositae inveniantur».

Ob materiae connexionem additur § *4. Si imagines* «sacrae» iuxta Tituli declaratam inscriptionem, nam dicitur: a) *publicae venerationi expositae*, unde in ecclesiis vel oratoriis publicis, b) *sollemniter* quoad apparatum *benedicantur, haec* declarata benedictio *Ordinario* ad normam can. 198 § 1 iuxta illorum sacrorum locorum subiectionem *reservatur*, quae proinde regitur can. 1147 §§ 2, 3; *qui tamen* uterque Ordinarius *potest eam cuilibet sacerdoti* cleri saecularis vel religiosi *committere* ad hoc, ut licite fiat.

149. **De imaginum reparatione.** Novum est sequens praescriptum. *Can. 1280. Imagines* ut in Tituli inscriptione, qua tales a) *pretiosae, idest,* ut explicatur in canone, non intrinseco materiae valore, v. gr. quia ex auro vel argento sint conflatae, sed a) *vetustate*, videlicet: depictae, sculptae multis abhinc a retro forsan saeculis, b) *arte*, quia opera pictoris vel sculptoris magni nominis, vel in forma eorum artistica, c) *aut cultu* quo eas fideles prosequuntur, *praestantes,* etiamsi ex postrema causa valor ipsarum temporalis sit nihili ponderandus, b) *in ecclesiis vel oratoriis tantummodo publicis fidelium venerationi expositae,* aliter non sunt canonis obiectum, illae igitur «imagines» *si quando reparatione indigeant* ob detrimentum ex tempore, aeris inclementia, vel casu aliquo proveniens, *numquam restaurentur* illorum arbitrio ad quos pertinet dominium, vel cura ipsarum, *sine dato scriptis* taxative *consensu ab Ordinario* «loci vel religionis clericalis exemptae Superiore maiore» (can. 198, § 1) pro locorum sacrorum diversitate; alterutri vero iniungitur: *qui, antequam licentiam* (sic vocatur consensus in scriptis) *concedat*, nec plene obedit, qui antequam executa fuerit reparatio, licentia prius concessa, *prudentes*, ut circumstantias bene perpendant, simul *ac peritos* circa antiquitates, vel peculiarem imaginis artem, *viros consulat*, saltem duos iuxta reg. 40 Iuris in 6°. «Pluralis locutio, duorum numero est contenta». Post

[1] Dec. 30 Martii 1921. CO. XIII, 197.

consultum convenit ut reminiscatur ac sequatur Ordinarius praescriptum can. 105 1°.

150. **De alienatione reliquiarum aut imaginum**. Cum in hoc canone initium sumat tractatio de reliquiis, noscenda erit sequentium canonum coordinatio. Simul ac illarum distinctio traditur quoque modus legitimus tum acquirendi eas ex alienatione in can. 1281, tum ipsas possidendi, sub can. 1282. Deinde conditio necessaria pro reliquiarum cultu publico determinatur in can. 1283. Normae consequentes illi conditioni traduntur servandae ab Ordinariis locorum in can. 1284-1286. Modi legitimi eas exponendi decernuntur in can. 1287, ac ultimi duo can. 1288, 1289 transmissioni atque conservationi reliquiarum provident.

S. Congr. Indulg. et SS. Reliquiarum [1] dubio: « An Episcopus clero et populo cupienti sanctorum Martyrum corpora, quae in altari satis honorifice reposita sunt, pretiosiorem in loculum, seu capsam condere, ac super eodem altari collocare, vel extra dioecesim transferre, possit eius rei tribuere facultatem? Et adhibita distinctione S. Congr. respondit: Posse quidem licentiam concedere Sanctorum corpora perpetuae data sepulturae transferendi ad locum decentiorem in eadem ecclesia: sed alienandi, aut extra dioecesim transferendi, sine Romani Pontificis auctoritate non posse ». — Hanc decisionem continet ac multipliciter ampliavit *can. 1281. § 1. Insignes,* ut declarantur in §° 2°, *reliquiae* sub inscriptione Tituli declaratae, b) *aut imagines pretiosae*, nec innuitur idem sensus ac in praec. can., proinde « iuxta propriam verborum significationem » (can. 18) accipiatur verbum pro eo quod magni valeant ratione materiae, vetustatis, artis, etc., confirmatusque hic sensus ex seq. additione: c) *itemque aliae*, quamvis non « insignes », *reliquiae aut* pariter non « pretiosae » *imagines*, *quae in aliqua ecclesia*, « cuius iure oratorium publicum regitur » (can. 1191, § 1), *magna populi* non aliquorum tantum *veneratione* ob signa exteriora *honorentur*, singulae res cultus obiecta sic declarata *nequeunt* etsi sub can. 1532, § 1 non comprehenderentur, a) *valide alienari*, scilicet: transferri in dominium alterius subiecti etiamsi ecclesiastici, b) *neque in aliam ecclesiam*, vel oratorium publicum, etiamsi esset idem subiectum quoad dominium eorum locorum sacrorum, *perpetuo trans-*

[1] 17 Nov. 1676, n. 14.

ferri, iuxta reg. 42 iuris in 6°: « Accessorium naturam sequi congruit principalis », *sine Apostolicae Sedis permissu.* Scilicet: circa reliquias petenda esset licentia Sacrae Cong. Rituum, quia « ea omnia agit, quae ad sacras reliquias quoquo modo referuntur » (can. 253, § 3), sed pro transferendis vel alienandis imaginibus, etsi « magna populi veneratione » gaudentibus, non esset S. Congr. adeunda, quia « ius non habet videndi et statuendi quae latius ad sacros ritus referuntur », (can. 253, § 1), sed S. Congr. Conc. eo quod « ipsius est moderari quae bona ecclesiastica, mobilia et immobilia attingunt » (can. 250, § 2).

Ait. Conc. Trid.: « Sanctorum cum Christo regnantium corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti,... veneranda esse ». Hinc sequitur eas corporum partes potiori ratione venerandas esse per quas praecipue sanctitatis supernaturalia opera exercita sunt, vel quia magis voluntati subdita, vel quia praecipuum habent influxum in singulorum naturalem vitam. Merito igitur duo S. R. C. decreta [1] complectens edicit § *2. Insignes*, ad praec.^s §^i praescriptum et liturgicas leges quod attinet, *Sanctorum vel Beatorum* proprie, « quos cultu publico venerari licet » (can. 1277, § 1), *reliquiae sunt* a) *corpus*, ut patet, b) *caput*, tanquam centrum habens motuum ac sensuum, c) *brachium* proprie sumptum, vel etiam stricte ob contextum « pro parte illius superiori » [2], « d) pars anterior brachii, quae *antibrachium* dicitur, ab alia parte superiori eiusdem brachii separata » (loc. cit. ad I), e) *cor*, utpote principium vitae corporalis, f) *lingua*, quae « modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. In ipsa demum benediximus Deum et Patrem » [3], g) *manus*, quae « organum organorum » a D. Thoma cum Aristotele vocatur ob huius membri perfectionem, haec igitur tria singula « si ex miraculo intacta conservantur haberi debent uti reliquiae insignes » [4], h) *crus* in duabus suis partibus, cum interrogata « 2 An Tibia sit reliquia insignis? S. R. C. [5] respondit: Ad 2 pariter Negative, iuxta Rubricas in Missali et Breviario Romano impressas », et ad quaesitum: « An inter corporis praecipua membra enumeranda sint femoris ossa, ut veluti reliquia insignis habeatur » Sacra Congreg.

[1] Urbis: 8 Apr. 1628, 3. n. 460 et Urbis et Orbis: 27 Iun. 1899, n. 4041. — [2] Cit. dec.° n. 4041 ad II. — [3] Iac. III, 5, 2, 9. — [4] Cit. Dec.° n. 4041 ad III. — [5] 3 Iun. 1662, n. 1234.

Indulg. et Relig.[1] protulit negativam sententiam. Additur denique in canone: i *aut illa pars corporis in qua passus est martyr*, utpote quae tali honore est decorata, ut in heroicae caritatis memoriam ducat intuentium mentes: atque clauditur canon hac conditione: *dummodo sit integra* quaecumque dictarum reliquiarum, *et non parva*, quod verbum ultimam solum respicit, cum caeterae sint quoad magnitudinem determinatae. — Haec interpretatio clausulae in S. R. C. cit.° Dec.° Urbis (n. 460) adhibitae eodem modo data fuit ab eadem S. Congr., dum supplicata declarari: « an pro Reliquia insigni possit fieri Officium duplex iuxta huius S. C. decretum, quando scilicet Caput, Brachium, aut Crus non sunt integra sed mutilata, et partes demptae non adsunt, ut conglutinari possint, S. R. C. respondit: Servandum esse ad unguem Decretum huius S. C. emanatum sub die 8 Aprilis 1628 »[2]. Item in Baren. « Vicarius Generalis asserens adesse quoddam os Capitis S. Stephani Protomartyris petiit declarari: an haberi possit pro Reliquia insigni? Et S. R. C. respondit: Non posse »[3].

151. **De reliquiarum possessione.** Respectu habito ad reliquiarum distinctionem prius adductam subiungit *can. 1282. § 1. Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae* iuxta declaratam praec. §m, deficiente conditione infra ponenda, *nequeunt* licite ob huius canonis implicitam prohibitionem a *in aedibus* b *vel oratoriis privatis asservari,* excludantur tamen « oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum, licet privata » (can. 1189). Conditio prohibitionis est: *sine expressa Ordinarii loci licentia.* Aedes autem privatae dici non possunt proprie domus religiosae vel in communi viventium sine votis.

§ 2. *Reliquiae non insignes* per oppositionem ad § praec. a) *debito cum honore* b) *etiam in domibus privatis servari* licite, imo *pieque* idest: ob laudabilem devotionis affectum *a fidelibus gestari* ad collum vel alio decenti modo *possunt.*

152. **Conditio necessaria pro cultu publico reliquiarum.** In Lauden. propositum fuit « Dubium V. Thecae vetustae cum reliquiis, quae authentico documento carent, olim ad suppressa Monasteria spectantes, possuntne exponi in Altari, uti fit ab immemorabili tempore?[4]. Et S. Rit. Congr. rescribendum censuit: Ad V

[1] 11 Iun. 1882, n. 251. — [2] 3 Dec. 1672, n. 1460. — [3] 20 Dec. 1628, n, 490. — [4] 23 Iun. 1892, n. 3779.

Negative ». Infra canon alius statuet diversimode circa consuetudinem, declarationis autem principium retinuit *can. 1283. § 1. Publico cultu* ad normam can. 1256 b) *eae solae reliquiae*, quamvis non insignes, sed eorum Dei servorum « qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint » (can. 1277, § 1), c) *in ecclesiis*, quarum « iure oratoria publica reguntur » (can. 1191, § 1), *quanquam exemptis*, ad normam Conc. Trid. iuxta Declarationem S. Congr. Conc. [1], quae congruit etiam superioribus can. 1274, 1279. « XVI. Dubium. An liceat Regularibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere, sine licentia Ordinarii, liceatque pariter Regularibus, et praesertim Benedictinis et Cisterciensibus in propriis ecclesiis insolitam imaginem aut sacram reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere; Et S. Congr. Conc. ad decimum sextum respondit negative ». — « Reliquiae » ut supra, « publico cultu » *honorari possunt* in praedictis locis, *quas genuinas esse*, scilicet: illius Sancti vel Beati cui attribuuntur, *constet authentico* propter subscriptionem ac sigillum *documento* idipsum edocente *alicuius* a) *S. R. E. Cardinalis*, etiam ordinis Diaconalis, nec iurisdictione praediti, b) *vel Ordinarii loci*, (can. 198 § 2) etsi charactere episcopali careat, non autem Episcopi solum titularis, nisi hic comprehendatur sub clausula seq.[1] c) *vel alius viri ecclesiastici*, *cui facultas authenticandi,* scilicet reliquias modo praedicto declarandi genuinas, *indulto apostolico*, nempe: favore personali fortassis per S. Rit. Congr. *sit concessa*.

Cum canon dicat « honorari possunt », sequitur manere in suo vigore Dec. S. Congr. Indulgentiarum et Reliq. [2].

Memor legislator clausulae « nisi quis expresse excipiatur » (can. 198), subiunxit *§ 2. Vicarius generalis nequit* ratione officii *sine mandato speciali,* quod supponitur ei posse dari, *reliquias authenticas edicere,* seu ut explicatum fuit verbum « authenticare » (§ 1).

153. **De reliquiis suppostitiis.** Defectus conditionis praedictae ortus ex diversis causis debuit considerari in cultus reliquiarum respectum. Hinc ponitur primo *can. 1284. Locorum Ordinarii,* etiam « Vicarius generalis » (can. 198), *reliquiam*, nempe: sic vocatam, *quam certo non esse authenticam norint*, scilicet: non esse genuinam, etsi « authentico documento » sit donata ob errorem, vel

[1] 7 Iun. 1755. — [2] 16 Dec. 1749, n. 183.

quia documentum esset falsum, *a fidelium cultu* praesertim publico *prudenter*, ne damnum pietati eorum inferant, idest: tempestive ac circumspecte, *amoveant*, quamvis illo « cultu » iam gaudeant.

154. **De reliquiis sine authenticitatis documento** cavet *can. 1285. § 1. Sacrae reliquiae*, quia supponuntur Sanctorum vel Beatorum ob contextum, *quarum authenticitatis* ut supra *documenta* a) *ob civiles perturbationes*, quae est causa historica et communis, b) *vel alium quemlibet casum* alicuius loci vel reliquiae peculiarem *interierint*, etiamsi hoc certum fuerit, *publicae venerationi* fidelium in ecclesiis oratoriisve publicis vel semi-publicis *ne exponantur*, *nisi praecedat iudicium Ordinarii loci*, praevie cognoscentis agi de huiusmodi casu, etiam pro illis locis exemptis; sed cum « expresse excipiatur » (can. 198 § 1): *non autem Vicarii generalis* « iudicium » sufficit pro his reliquĩis, etiam « cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa » (can. 1283 § 1), *sine mandato* quoad has reliquias *speciali*. Sic enim statuerat Innoc. III in Conc. generali [1]: « Ne in posterum (Christianae religioni) detrahatur, . . . Praelati non permittant eos qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt variis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quaestus fieri consuevit ». Sed quoad illas reliquias « nullo roboratas documento, sed de quarum authenticitate, etsi ex testium depositione episcopus minime dubitandi locum esse putet », seu « quoties constet de authenticitate . . . poterit Episcopus « iudicium » sindicere « cum solo titulo: Reliquiae Sanctorum », sicut in casu decrevit S. Congr. Indulg. in Divionen [2].

Pius X s. m. in Motu pr. « Sacrorum Antistitum [3] » n. VI edixit praeter praec.^{m} canonis ac §^{i} iussa: « Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus (reliquiarum) antiquitate commendetur »; nimirum iuxta Dec. an. 1896 a Sacro Consilio Indulg. SS. Reliquiis cognoscendis editum, quod transfertur in § 2. *Reliquiae tamen antiquae*, etsi careant authenticitatis documentis, *in ea veneratione qua hactenus fuerunt*, non extendenda ullatenus, eo quod subiungitur: *sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu* pro una vel pluribus reliquiis huiusmodi *certis* non solum probabilibus *argumentis* intrinsecis vel extrinsecis

[1] Cap. 2 tit. de reliquiis et veneratione sanctorum 45 Lib. III. — [2] 22 Febr. 1847 ad 3^{m}, n. 335. — [3] 1 Sept. 1910, CO. II, 655.

constet eas falsas forsitan sine fraude *vel suppositilias esse.* Tunc enim « praesumptio cedat veritati » serveturque can. 1284.

155. **Quaestiones non agitandae de reliquiarum authenticitate.** Ex motu pr. Pii X « Sacrorum Antistitum » [1] n. VI desumptus est ampliatusque *can. 1286. Locorum Ordinarii ne sinant,* quantum prudentia cum zelo eis suggeret, *maxime*, quia eis facilius erit obtentu, a) *in sacris concionibus*, quae omnes ab ipsis pendent, ut patebit in Tit. XX « De divini verbi praedicatione », b) *libris,* « quos edere » ipsi licentiam tribuunt, c) *ephemeridibus,* quae in dies publicantur aut paucis constant foliis, d) *aut commentariis* idest: libellis periodicis *fovendae pietati destinatis,* quia in his frequentior datur occasio, et « in quibus scribere vel eadem moderari vetantur clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, religiosi vero (etiam exempti) sine licentia sui Superioris maioris et Ordinarii loci » (can. 1386, § 1); ac sequitur in canone modus vetitus a) *ex meris coniecturis*, imo b) *ex solis probabilibus argumentis* c) *vel*, quod magis vitandum est, *praeiudicatis opinionibus*, nempe: ut hae praevaleant, *praesertim* quando, etsi fundamentum haberent disserentes, id exercent *verbis ludibrium* seu irrisionem *aut despectum sapientibus,* obiectum vero praedictae tractationis est sic designatum: *quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum*, quatenus hae vel illae cultus obiectum constituunt, *authenticitate.* Talibus enim artibus, quin dubia elucidentur, fidelium religio quatitur et eorum scandalo datur occasio.

156. **De sacrarum reliquiarum expositione.** Innoc. III in Conc. Generali [2] sic decrevit: « Cum ex eo, quod quidam sanctorum reliquias exponunt venales, et eas passim ostendunt, Christianae religioni detractum sit saepius. Ne in posterum detrahatur, praesenti decreto statuimus, ut antiquae reliquiae amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales ». Huic decreto congruit *can. 1287*, § *1. Reliquiae,* « antiquae » vel recentes, quaelibet, *cum exponuntur,* sive adorationi, sive ostensioni *in thecis* idest cuiuscumque metalli capsulis cum operculo vitreo *seu capsis clausae* undequaque *et obsignatae sint* sigillo authenticantis *oportet.*

D. Thomas ait [3]: « creaturae insensibili non debetur honor vel reverentia, nisi ratione rationalis naturae. Et hoc dupliciter. Uno

[1] 1 Sept. 1910, CO. II, 664. — [2] Cap. 2 tit. 45 De reliquiis et veneratione sanctorum, Lib. III. — [3] III P. q. XXV a. 4 c.

modo inquantum repraesentat rationalem naturam; alio modo inquantum ei quocumque modo coniungitur. Primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem; secundo modo eius vestimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur et regem. — Si ergo loquamur de ipsa cruce in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda. Uno scilicet modo inquantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae».

Quia cultus sanctorum reliquiis exhibendus non est idem, convenienter cum iure antiquo [1] statuit § *2. Reliquiae*, seu particulae, *Sanctissimae Crucis* in qua Dominus noster expiravit, *nunquam in eadem theca,* quamvis seiunctae sed *cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur,* hinc praevie separandae essent ab eo qui facultatem authenticandi habeat, si clausae in eadem theca inveniantur, sicut iubetur quoque per can. sic prosequentem: *sed propriam thecam separatam* illae *habeant.*

Die 27 Sept. 1659 [2] S. R. C. sub Alex. VII edidit Decretum «super cultu Beatis adhuc non Canonizatis praestando», atque die 17 Ap. 1660 [3] Declarationem praefati Decreti. Illius ergo praescriptum n. 11 et huius Declarationis responsum ad 4 retinet sequens § *3. Beatorum* «auctoritate Ecclesiae» (can. 1277 § 2) et adhuc non canonizatorum *reliquiae,* etiam insignes, *sine peculiari indulto* respectu alicuius eorum vel in casu, a) *in processionibus* per can. 1290, § 1 explicandis *ne circumferantur* manibus vel humeris, b) *neve in ecclesiis* sub quo nomine veniunt oratoria publica, *exponantur* etiam extra altaria, cum exceptione generali quoad hoc alterum: *nisi ubi eorum officium et Missa celebretur* nunc «ab omnibus sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus, ad ecclesiam confluentibus vel oratorium publicum» [4] *ex Sedis Apostolicae concessione*, quae «specifica et expressa super his praecedere debet» [5], et nunc vi huius canonis secumferens illius expositionis reliquiarum concessionem.

[1] S. Cong. Indulg. et SS. Reliq. 22 Febr. 1847, n. 342. — [2] Dec. auth. n. 1130. — [3] Dec. auth. n. 1156. — [4] Dec. auth. S. R. C. 9 Iul. 1895, n. 3862. — [5] Dec. cit. n. 1130.

157. **Reliquiae Ss. Crucis ab Episcopis possessae.** Ex litteris encycl[s]. Vicariatus Urbis [1] ad omnes Episcopos. « Cum reliquiae sanctissimae Crucis in dies rariores fiant, ac merito timendum sit ne paulatim non facile suppetant quae ipsis Episcopis, veluti proprium suae dignitatis gestamen, rite tradantur, ex iussu Leonis XIII Episcopis enixe commendatum voluit » Card. Vicarius, quod translatum est praeceptive in *can. 1288. Sanctissimae Crucis reliquiae*, idest: « ss. Ligni particulae », *quas* « thecis inclusas pectore prae se suspensas » nempe: *in cruce pectorali Episcopus* quilibet residentialis ex contextu, *forte defert,* quia illud praescriptum non est, a) *ecclesiae cathedrali, ipso* praedicto Episcopo *defuncto,* per obitum *cedunt,* vi huius canonis, *Episcopo* qua residentiali ac *successori transmittendae*, scilicet: « (studio et opera Capituli cathedralis, vel eius, qui vacante Sede, Episcopi vices gesserit) ad hunc « successorem » perveniant legitimo hereditatis iure » (Litt. cit[s].). Adiungitur nova, sed opportuna declaratio: *et si defunctus pluribus praefuerit* successive aut simul, quia ad invicem unitae vel rectae ab eodem Episcopo ex dispensatione, *dioecesibus,* non dioecesi ac simul Praelaturae nullius, tunc « cedunt » b) *ecclesiae cathedrali dioecesis* propriae *in cuius territorio* etsi extra episcopalem civitatem, *supremum diem obiit aut* c) *si extra dioecesim,* quam regit, *mortuus est,* supple: « ecclesiae cathedrali dioecesis » *ex qua* seu « eius territorio » *ultimo discessit.* « Quod de Crucis dumtaxat reliquiis intelligendum est. Nam de thecis ex pretioso metallo in Crucis formam affabre factis, statuent (Episcopi) quod opportunius videbitur: quae cum demptae fuerint ss. Ligni particulae, donari, legari quibus placebit, ac per privatos haeredes distrahi, vendi, remota quavis indecorae aut profanae negotiationis specie, libere poterunt; sunt enim pretio aestimabiles ».

158. **De venditione, transmissione dominii ac custodia reliquiarum.** Quod ultimo admonuit Card.[s] Urbis Vicarius in cit.[s] Litt.[s] dici oportet de ceteris reliquiis; nam ut praemittit *can. 1289. § 1. Sacras* propter cultum eorum ad quos pertinent aestimabiles *reliquias* qua tales *vendere,* pro eisdem pretium temporale dando vel recipiendo, *nefas est,* eo quod « est simonia iuris divini » (can. 727, § 1). Imo viget implicite quod Leo XIII « sacrorum canonum

[1] 25 Mart. 1889, Collect. de P. F. n. 1699.

statutis inhaerens districte praecepit, ne Christifideles sub quolibet praetextu, etiam redimendi, sacras Reliquias et Sanctorum exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, tam in Urbe, quam extra, emere aut mercari praesumant » [1]. Hoc particulare principium sub cit. can. comprehensum evolvitur a legislatore, qui eidem innixus decernit: *adeoque* a) *Ordinarii locorum* (can. 198, § 2) b) *vicarii foranei*, scilicet: « sacerdotes qui vicariatui foraneo, de quo in can. 217, ab Episcopo praeficiuntur » (can. 445), c) *parochi* (can. 451 § 1) et « qui parochorum nomine in iure veniunt » (§ 2), imo d) *aliive curam animarum habentes* extra sacramentale forum ex contextu, *sedulo caveant*, quantum in ipsis erit, *ne* a) *sacrae reliquiae* ut supra, b) *praesertim sanctissimae Crucis* particulae, ob specialem cultum latriae debitum ipsi, nominatim indigitatae, *occasione maxime*, quia tunc cavetur efficacius, a) *hereditatum* b) *aut* etiam extra haereditatis casum *alienationis acervi bonorum*, inter quae inveniantur fortassis thecae cum reliquiis, atque vitandum intendit canon a) « ne sacrae reliquiae » *veneant* cum thecis, saltem « adaucto pretio » contra can. 730, vel sine thecis, b) *neve in acatholicorum manus*, etiam sine venditione thecae, vel qualitercumque *transeant*.

Ut vitetur indigna sacrarum reliquiarum tractatio fuit conditus § 1ª, eodemque motivo completur per § *2*. *Rectores ecclesiarum* proprie, atque ampliore sensu quam in can. 479, qui expresse nominantur, cum in ecclesiis praecipue sint condendae sacrae reliquiae, *ceterique* quamvis laici *ad quos spectat* earum custodia immediata vel mediata, *sedulo invigilent*, seu cum diligentia vi canonis praescripta, a) *ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur*, nam solus earum usus tamquam rerum profanarum ad ornamentum habitationis dedecet ipsis, b) *neve hominum incuria pereant* conquassatione, in pulverem reductione, amissione, thecarum destructione, c) *vel minus decenter* quoad locum, vel ob huius aut thecarum immunditiam, *custodiantur*.

[1] S. Congr. Indulg. et Reliq., 21 Dec. 1878, n. 443.

TITULUS XVII.

De sacris processionibus.

CAN 1290. - § 1. Nomine sacrarum processionum significantur sollemnes supplicationes quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum.

§ 2. *Ordinariae* sunt quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetudinum ecclesiarum; *extraordinariae*, quae aliis publicis de causis in alios dies indicuntur.

CAN. 1291. - § 1. Nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi iudicio, aliud exigant, die festo Corporis Christi unica tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet ab ecclesia digniore, eique clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae, et laicorum confraternitates interesse debent, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent.

§ 2. Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt, intra octavam, proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere; sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere quibus suam quaeque processionem agant.

CAN. 1292. - Ordinarius loci, audito Capitulo cathedrali, potest ex publica causa extraordinarias processiones indicere; quibus, sicut et ordinariis ac consuetis, ii omnes interesse debent de quibus in can. 1291, § 1.

CAN. 1293. - Religiosi etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia, salvo praescripto can. 1291, § 2.

CAN. 1294. - § 1. Parochus vel quivis alius nequit processiones novas inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia.

§ 2. Processionibus alicuius ecclesiae propriis interesse debent omnes clerici eidem ecclesiae adscripti.

CAN. 1295. - Curent Ordinarii ut sacrae processiones, exstirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur, quae piis ac religiosis huiusmodi actibus maxime convenit.

159. **Inscriptio Tituli eiusque canones.** Sequitur *Titulus XVII. De sacris* propter scopum religionis colendae diversum a civilitatis motivo, *processionibus* sic dictis ob singularem horum religionis actuum naturam, nempe: qui procedendo, non stando, aut sedendo, vel genu flexo perficiuntur. Significatio verborum seu inscriptionis cum sacrarum processionum divisione nobis explicatur in can. 1290, de processione theophorica iure praescripta similibusque permissis tractat can. 1291, cui tres alii can. 1292-1294 subsequuntur de Ordinarii loci consensu vel licentia necessaria relate ad processiones sacras, quas in praxi moderandas praescribit can. 1295.

160. **Sacrarum processionum descriptio ac distinctio.** *Can. 1290. § 1. Nomine sacrarum processionum* in iure, nam in

usu appellativum « sacrarum » omitti solet, *significantur sollemnes* quoad apparatum cereorum, imaginum, emblematum, *supplicationes*, quod est in eis formale, ac eas facit sacras propter preces quae funduntur, *quae* tamquam ab earum subiecto *a populo fideli*, ex laicis, forsan e clericis ac religiosis, coadunato, sed *duce clero* per unum saltem Dei ministrum, *fiunt*, ac sequitur elementum materiale in eis qua talibus: *eundo ordinatim*, prout hic modus tumultui vel confusioni oppositus est, *de loco sacro ad locum sacrum* eundem vel diversum, sed proprie dictum ad normam can. 1154, atque triplex illarum finis subnectitur quorum quilibet sufficiens est: a) *ad excitandam fidelium pietatem*, b) *ad commemoranda Dei beneficia* spiritualia vel temporalia, *eique* « Deo » simul *gratias agendas*, eo quod ut inquit D. Thomas [1]: « Gratitudo virtus habet diversos gradus secundum ordinem eorum, quae ad gratitudinem requiruntur: in qua primum est quod homo acceptum beneficium recognoscat; secundum est quod laudet et gratias agat; tertium est quod retribuat pro loco et tempore secundum suam facultatem ». Tertius « processionum sacrarum » scopus est: c) *ad divinum auxilium implorandum* in quacumque publica necessitate forsan temporali, praesertim in peste, fame et bello.

Ex Rit. Rom. [2] verbotenus derivatur § 2. « Processiones autem quaedam » *Ordinariae sunt*, ut nomen indicat, *quae statis diebus per annum fiunt* « ut in festo Purificationis B. Mariae semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in festo Corporis Christi », uno verbo *ad normam* a) *librorum liturgicorum* v. gr. Missalis Romani, ut duae priores, vel Coeremonialis Episcoporum, sicut postrema ex dictis, sive in praeceptum adimplendum fiant, sive ob permissionem, b) *vel consuetudinem* seu praxim *ecclesiarum* etiam singularium. — « Quaedam vero sunt » *extraordinariae, quae* vi vocis quoque *aliis* variis, sed *publicis de causis*, quae tamen ipsi « Ecclesiae » non sunt alienae omnino, *in alios dies* non statutos ut prius, *indicuntur* ab habente hanc auctoritatem iuxta canones 1292-1294.

161. **Processiones theophoricae.** Cum de processionibus ordinariis satis provisum sit legibus liturgicis quoad tempus ac loca, specialem consequuta est mentionem in Codice illa, quam memorantur Conc. Trid. Patres [3] definientes: « Si quis dixerit, in sancto

[1] II-II, q. CVII, a. 2, c. — [2] Tit. IX, Cap. I, num. 8 et 9. — [3] Sess. XIII, can. 6 et cap. 5.

eucharistiae Sacramento Christum,... nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem, et universalem Ecclesiae Sanctae ritum, et consuetudinem, solemniter circumgestandum... anathema sit». Illam ergo consuetudinem in perpetuam legem traduxit hoc modo *can. 1291. § 1. Nisi aliter*, ac praescriptum statim est, a) *ferat immemorabilis consuetudo*, quae absolute excipit ab hoc servando canone, b) *vel locorum circumstantiae*, stabiles aut accidentales, sive naturales, sive voluntariae forsitan ex hominum malitia, *prudenti Episcopi iudicio*, non aliorum etiam cuiuscumque potestatis civilis, *aliud exigant* diversum a praescripto, *die festo Corporis Christi* «sub praecepto in universa Ecclesia» (can. 1247, § 1) nempe: feria V post Festum Ssm̃ae Trinitatis a) *unica tantum* congruens sacramento unitatis ecclesiasticae et charitatis Christi, b) *sollemnisque* propter apparatum locorum ac interessentium, prouti descriptus invenitur in Caeremoniali Episcoporum (lib. II, cap. XXXIII), c) *per publicas vias processio* d) *in uno eodemque loco*, tum civitate tum oppido, *fieri debet* e) *ab ecclesia digniore*, sive cathedralis sit, sive collegiata insignis, vel non insignis, sive parochialis. — Occasione huius sollemnitatis sic arguit Conc. Trid. [1]: «aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, (in festo isto eiusque octava), cum christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, et memores testentur animos erga communem Dominum, et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentatur». Eapropter merito prosequitur canon: *eique* processioni praefatae a) *clerici omnes* loci «ob primam saltem tonsuram» (can. 108, § 1), b) *religiosaeque virorum* (non mulierum ob earum modestiam) «qui vota nuncuparunt in aliqua religione» (can. 488, n. 7°) *familiae* in loco sitae qua tales, non illi omnes, sed *etiam exemptae*, sive regulares sive congregationis votorum simplicium, c) *et laicorum confraternitates* quaelibet loci propter naturam earum, nam «in incrementum quoque publici cultus erecta sunt» eadem sodalitia (can. 707, § 2), omnes igitur, sicut declaratum manet, *interesse debent* ex canonis praecepto, *regularibus*, nempe: «qui vota nuncuparunt in Ordine, idest: religione in qua vota sollemnia nuncupantur» (can. 488, 7°, 2°), *exceptis* a) *qui in strictiore clau-*

[1] Sess. XIII, cap. 5.

sura, e qua raro exeunt secundum constitutiones, proinde in eadem *perpetuo vivant* b) *aut* (sine illa) *a civitate* ubi processio est ducenda *ultra tria millia passuum distant*. Quae exceptiones in iure praecedenti vigebant, « atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandae » (can. 6, num.° 2°).

Leges liturgicae quamplures de huiusmodi processionibus tam in Caeremoniali Episcoporum (loc. cit.), quam in S. Rit. Congr.^s declarationibus inveniuntur in praxi servandae, quas hic referre non vacat.

§ 2. *Ceterae* a) *paroeciae* civitatum ac oppidorum, distinctae « ab ecclesia digniore in uno eodemque loco » (§ 1°), b) *et ecclesiae* quaelibet *etiam regulares* eo quod de ipsorum proprietate, *possunt*, nec obligantur ut illae praec.^s §^i, *intra octavam*, quae nunc est « privilegiata, ad instar Octavae Epiphaniae »[1], *proprias processiones* sollemnes cum Ssm̃o Sacramento *extra ecclesiae* ipsius *ambitum* « per publicas vias » ut supra, *agere; sed ubi plures sunt ecclesiae* in eodem loco, sive hic civitas nominetur, sive non, *Ordinarii loci est*, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant, a) *dies* singulos octavae, b) *horas*, quibus durent processiones, *ac* c) *vias* per quas illae agantur *praestituere quibus suam quaeque* dictarum parochiarum et ecclesiarum *processionem* illam *agant*. Huic ergo praestitutioni omnes ad quos pertinet parere debent; salvo privilegio quod fuit « Ordini Praedicatorum concessum a Santo Pio V et confirmatum a Summis Pontificibus Clemente VIII et Benedicto XIII, nempe processionem agendi qua defertur Ssm̃um Eucharistiae Sacramentum Dominica infra octavam Solemnis Commemorationis Ssm̃i Corporis D. N. I. C. ». Imo ubi Processio solemnis, quae in Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. 33 praescribitur, tali die peragenda erit, viget quod Pius PP. X « indulsit Fratribus memorati Ordinis, ut Dominica prima post Octavam Corporis Christi Processionem praedictam instituere valeant, eo prorsus modo quo a Romanis Pontificibus concessa fuerat » ut supra[2].

162. **Indictio extraordinariae processionis.** *Can. 1292. Ordinarius loci* (can. 189, § 2), sed iuxta declarationem S. R. C. in Hispalen. ad 1[3]: *audito Capitulo cathedrali* (can. 105, § 1), quod « de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligendum

[1] Urbis et Orbis, 24 Iul. 1911, CO. III, 351. — [2] S. Congr. Rit. 28 Febr. 1912, CO. IV, 177. — [3] 21 Ian. 1690, n. 1821.

est » (can. 427), *potest ex publica causa,* ut declaratum est in can. 1290, § 2, v. gr. « ad placandum iram Dei, vel ex causa letitiae, et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum » ut ait Caeremoniale Episcoporum [1], *extraordinarias* seu insolitas *processiones indicere* praescriptione ac invitatione; *quibus,* ad tenorem indictionis, *sicut et ordinariis* in can. 1290, § 2 definitis *ac consuetis* sed non propriis alicuius ecclesiae in loco, *ii omnes interesse debent de quibus in can. 1291, § 1* declaratio data est sub litteris a) b) c), sed « nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi iudicio, aliud exigant », sicut ibi hae clausulae fuerunt declaratae, et hic potiori de causa subintelligendae. In exequutionem autem huius praescripti modo praedicto recte intellecti gaudent Episcopi iure per Conc. Trid. expresso sub cap. XIII, sess. XXV de regularibus et monialibus: « Exempti autem omnes, tam clerici saeculares, quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt », et ex can. 1291, § 1 « aut a civitate ultra tria millia passuum distent », ac demum qui ad religionem pertinent, cui « a Sede Apostolica directe concessum fuerit » privilegium non accedendi, (can. 613, § 1) et « Sacro Tridentino Concilio posterius minime sublatum per Dec.^{m} generale S. R. Congr.^{s} [2], in quo praedictae in duobus praec.^{s} can.^{s} obligationes regularium eadem prorsus amplitudine statuuntur.

163. **Processiones a Religiosis actae.** In Dec.^{o} proxime citato legitur: « Regularibus autem et confraternitatibus in ecclesiis Regularium esse permissum intra eorum Ecclesias et claustra tantum Processiones facere et non extra »: omnino prouti expresse ac implicite quoad partem eius positivam edicit *can. 1293. Religiosi* sub can. 488, n.º 7° definiti, *etiam exempti,* fortassis « regulares » (can. 615), quos solos respiciebat Decretum, *nequeunt* licite *extra suas ecclesias* nempe: familiarum processiones ducentium *et* adnexa *claustra processiones* quaslibet etiam propriarum confraternitatum *ducere sine Ordinarii loci* intra quem illae sitae sunt, *licentia* positiva saltem factis, *salvo praescripto can. 1291, § 2,* quoad pro-

[1] Lib. II, cap. XXXII, num.^{is} VIII et IX. — [2] 28 Sept. 1658, n. 1096.

cessionem theophoricam « intra octavam » Corporis Christi, salvo iure « Ordinarii loci, ubi plures sunt ecclesiae ».

Cum hic « canon ius vetus ex integro referat, ex veteris iuris auctoritate est aestimandus » (can. 6, 2°). Videlicet: relatis Dec.[1] verbis subinfertur statim in eo: « Si vero Ecclesiae claustro careant, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eamdem ianuam: et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu Ordinarii, aut cum Cruce Parochi: privilegiis pariter, ut supra, Apostolicis contrarium disponentibus haud sublatis... ».

Demum abs re non erit in mentem revocare can. 619. « In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri ».

164. **Ceterae processiones ultra hucusque moderatas.** *Can. 1294. § 1. Parochus vel quivis alius* v. gr. « Capitulum cathedrale »[1], « Canonici Ecclesiae parochialis »[2], Confraternitas ad mentem S. R. C. in Urbis et Orbis[3], *nequit* licite a) *processiones novas* sive tamquam ordinarias, sive ut extraordinarias *inducere, aut consuetas,* nam « quae fiunt ad normam librorum liturgicorum » (can. 1290, § 2) nec Ordinarius posset suo iure, b) *transferre* in alium diem v. gr. ex causa pluviae, vel alia causa suo iudicio legitima, c) *vel abolere,* quod est amplius quam semel aut bis omittere, *sine Ordinarii loci licentia,* quae sufficiet, irrequisitis parochis, semper ac praescripta liturgica salva maneant.

Quoad interessendi obligationem pro canonum Tituli huius more, additur *§ 2. Processionibus* tam ordinariis quam extraordinariis *alicuius ecclesiae propriis,* non iam confraternitatum ibidem erectis, nec illis quae communiter cum aliis ecclesiis fiunt, *interesse debent* vi huius canonis *omnes* a) *clerici* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *eidem ecclesiae,* cuius est propria processio, *adscripti* qualitercumque ad sacrum ministerium stabiliter exercendum.

165. **Processionum disciplina.** Ex Rit. Rom.[4] praesertim est mutuatus *can. 1295. Curent Ordinarii* ad normam can. 198,

[1] S. C. Rit. in Hispalen. 21 Ian. 1690 ad 2, n. 1821. — [2] S. R. C. in Thelesina seu Cerretana 22 Nov. 1681 ad 8, n. 1684. — [3] 10 Dec. 1703, ad 22, n. 2123. — [4] Tit. IX, Cap. I, n. 1-4, 6.

§ 1. propria auctoritate per alios praecipue parochos exercenda, *ut sacrae processiones* iuxta earum significationem in can. 1290, § 1, *exstirpatis* velut radicitus, *si qui sint,* alicubi, *malis usibus,* qui discerni poterunt ex diversis S. R. C. decretis, memoratque Rit. Rom. (loc. cit.) ut frequentiorem « edendi ac bibendi abusum, secumve esculenda et poculenta deferendi », a) *ordinate procedant* sicut fuit declaratum in can. cit.° b) *eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur* idest: ut distinxit Rit. Rom. (loc. cit.) illae « tum ab ipsis in primis Sacerdotibus aliisque ecclesiastici ordinis, tum ab aliis adhibeantur », *quae piis ac religiosis huiusmodi actibus maxime convenit.* « Continent enim magna ac divina mysteria, et salutares christianae pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur: de quibus fideles praemonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est ». Ita Rit. Rom. quod urgendum implicite Ordinariis commendatur sub praescripta cura.

De illa disciplina loquitur accuratius Rit. Rom. « 3. Omnes decenti habitu, superpelliceis vel aliis sacris vestibus (clerici), sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vago populorum adspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent. — 4 Laici a clericis, feminae a viris separatae, orantes prosequantur ».

TITULUS XVIII.

De sacra supellectili.

Can. 1296. - § 1. Sacra supellex, praesertim quae, ad normam legum liturgicarum, benedicta aut consecrata esse debet quaeque publico in cultu adhibetur, caute custodiatur in ecclesiae sacrario aliove tuto ac decenti loco, nec ad usus profanos adhibeatur.

§ 2. Ad normam can. 1522, §§ 2, 3 universae sacrae supellectilis inventarium fiat et accurate servetur.

§ 3. Circa materiam et formam sacrae supellectilis, serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges.

Can. 1297. Nisi aliter sit provisum, qui officio tenentur reparandae ecclesiae ad normam can. 1186, debent quoque ei providere de sacra supellectili ad cultum necessaria.

Can. 1298. - § 1. Defuncti S. R. E. Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat quamvis Episcopus suburbicarius aut Abbas *nullius* esset, quaelibet sacra supellex, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, aliaeque res omnes stabiliter divino cultui destinatae, nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum quibus comparatae sint, cedunt ponti-

ficio sacrario, nisi Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae.

§ 2. Optandum ut Cardinalis, qui huiusmodi facultate uti velit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias, quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit.

Can. 1299. - Defuncti Episcopi residentialis, etiamsi cardinalitia dignitate fulserit, sacra supellex cedit ecclesiae cathedrali, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, salvo praescripto can. 1288, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis quae legitime probetur ab Episcopo defuncto comparata fuisse bonis ad ipsam ecclesiam non pertinentibus neque constet in ecclesiae proprietatem transiisse.

§ 2. Si quando Episcopus duas vel plures dioeceses successive rexerit aut simul praefuerit duabus vel pluribus dioecesibus unitis aut in perpetuam administrationem concessis, cathedralem ecclesiam habentibus propriam et distinctam, quae sacra utensilia constiterit reditibus unius tantum dioecesis fuisse comparata, ea eiusdem cathedrali ecclesiae cedunt; secus dividi debent, aequis partibus, inter singulas ecclesias cathedrales, dummodo dioecesium reditus ne sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi sint ac separati, divisio fiat inter singulas ecclesias cathedrales pro ratione fructuum quos in singulis dioecesibus Episcopus perceperit ac temporis quo eisdem praefuerit.

§ 3. Episcopus obligatione tenetur inventarii sacrorum utensilium authentica forma conficiendi, in quo pro rei veritate quando acquisita sint exprimat, distincteque describat si qua non ex ecclesiae reditibus ac proventibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit; secus omnia reditibus ecclesiae comparata praesumuntur.

Can. 1300. - Quae in can. 1299 praescripta sunt, applicentur quoque clerico qui in aliqua ecclesia beneficium saeculare vel religiosum obtinuerit.

Can. 1301. - § 1. S. R. E. Cardinalis, Episcopus residentialis aliique clerici beneficiarii obligatione tenentur curandi testamento vel alio instrumento in forma iuris civilis valido ut canonica praescripta, de quibus in can. 1298-1300, debitum effectum etiam in foro civili sortiantur.

§ 2. Quamobrem tempestive ac forma iure civili valida personam integrae famae designent ad normam can. 380, quae, adveniente ipsorum morte, non solum sacram suppellectilem, sed etiam libros, documenta aliaque quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur, occupet et cui debentur, remittat.

Can. 1302. - Rectores ecclesiarum aliique quibus credita sit cura sacrae supellectilis, sedulo debent eiusdem conservationi et decori prospicere.

Can. 1303. - § 1. Ecclesia cathedralis debet sacram supellectilem aliaque quae ad Missae sacrificium vel ad alias pontificales functiones necessaria sint, gratis Episcopo subministrare etiam privatim celebranti non solum in ecclesia cathedrali, sed in aliis quoque civitatis vel suburbii ecclesiis.

§ 2. Si qua ecclesia paupertate laboret, potest Ordinarius permittere ut a sacerdotibus qui in proprium commodum inibi celebrant, propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur.

§ 3. Episcopi, non autem Vicarii Capitularis aut Vicarii Generalis sine speciali mandato, est eandem stipem definire, et nemini, etiam religiosis etsi exemptis, licet ea maiorem exigere.

§ 4. Episcopus pro tota dioecesi eiusmodi stipem in dioecesana Synodo, si fieri possit, definiat, aut extra Synodum, audito Capitulo.

Can. 1304. - Benedictionem illius sacrae supellectilis quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt:

1° S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes;

2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;

3° Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae po-

sitis, et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis;

4° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;

5° Superiores religiosi et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum.

CAN. 1305. - § 1. Sacra supellex benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit:

1° Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam, et iam ad suos usus non habeatur idonea;

2° Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit.

§ 2. Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi.

CAN. 1306. - § 1. Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent.

§ 2. Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis, etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem.

Titulus XVIII. De sacra supellectili —
- — distincta, quo modo custodienda sit, et quae circa eam servanda — Can. 1296
- — providenda —
  - — quibuscumque ecclesiis — » 1297
  - — per obitum —
    - — S. R. E. Cardinalis pontificio sacrario — » 1298
    - — Episcopi residentialis ecclesiae cathedrali — » 1299
    - — Clerici beneficiarii ecclesiae beneficii — » 1300
  - — cum effectu per formam iure civili validam — » 1301
- — sedulo curanda — » 1302
- — gratis Episcopo ministranda, et quando sacerdotibus cum stipe moderata — » 1303
- — quoad eius benedictionem —
  - — quinam impertire possunt eam — » 1304
  - — quando amittit eam — » 1305
- — post usum, a quibus non tangenda, vel usquequo non lavanda — » 1306

166. **Inscriptio Tituli ac ordo canonum.** Deinde considerandus est *Titulus XVIII* inscriptus *De sacra* scilicet: in divinum cultum stabiliter destinata, sive ob consecrationem aut benedictionem, sive absque illis, *supellectili*, quae constat tum utensilibus in commodum ministrorum v. gr. vasis sacris, ac fidelium, v. gr. se-

diliis, tum indumentis sericis ac lineis ministrantium, tum ornamentis altarium pariter sericis ac lineis, tum denique omnibus quae ad ornatum ecclesiae eiusque accessoria sunt. Circa custodiam sacrae supellectilis, materiam, ac formam et reparationem eius duo sunt conditi can. 1296, 1297. de sacrae supellectilis acquisitione ex parte Ecclesiae propter obitum eam possidentium cavent can. 1298-1301, eiusdem cura et subministratio decernitur per can. 1302, 1303, denique benedictionem illius moderantur, et can. 1304 statuens de ministro, et can. 1305 de benedictionis amissione, atque praescriptum peculiare propter illam benedictionem continetur in ultimo can. 1306.

167. **Custodia, materia et forma supellectilis sacrae.** Sensum ampliorem verbo « sacra » inscriptionis attributum confirmat *can. 1296*, dum § *1* inquit: *Sacra supellex* quaelibet ad inscriptionem declarata, a) *praesertim* partialis, b) *quae*, *ad normam legum liturgicarum,* quas invenire licet diversas in Missali. Pontificali ac Rituali Rom. secundum titulos in adnotationibus ad hunc canonem citatos, *benedicta aut consecrata* pro eiusdem diversitate *esse debet*, c) *quaeque* (post illas benedictionem aut consecrationem, aut sine illis) *publico in cultu* exercendo *adhibetur* v. gr. thuribulum, a) *caute* ad vitandum quodcumque nocumentum *custodiatur in ecclesiae sacrario*, quod designatur expresse ad hoc destinatum, *aliove tuto* contra fures ac animalia, *ac decenti* pro rerum custodiendarum natura *loco,* b) *nec ad usus profanos* nempe: humanae conversationis, quamvis non discordantes, *adhibeatur*. Quae prohibitio circa omnem sacram supellectilem, admittens transgressionem levem, supponit eius destinationem supra dictam.

§ *2*. *Ad nórmam can. 1522*, §§ *2*. *3*, ac vi huius §[i] speciali a) *universae* (quamvis non benedictae) *sacrae supellectilis inventarium fiat* modo ibi descripto, b) *et accurate servetur*, ne detrimentum impune patiatur locus sacer.

§ *3*. *Circa materiam*, nempe: auream, argenteam, sericam, lineam, etc. *et formam* v. gr. indumentorum, calicis, etc. cuiuslibet *sacrae supellectilis, serventur* a) *praescripta liturgica*, si quae de qualibet re fortassis lata sint, b) *ecclesiastica traditio*, quae ex usu non contrario rubricis cognosci potest, aut ex tractatibus de re liturgica, c) *et*, *meliori quo fieri potest modo*, pro diversis circumstantiis peritiae artificum et facultatum, *etiam artis sacrae leges*.

168. **Provisio ac reparatio sacrae supellectilis.** *Can. 1297. Nisi aliter sit provisum*, v. gr. eleemosynis, largitionibus, *qui officio* aliunde orto, vel ex canonis citandi praescripto, *tenentur reparandae ecclesiae* cuiuslibet *ad normam can. 1186* etiam de ordine inter ipsos, *debent quoque ei*, determinatae ecclesiae *providere de sacra supellectili* forsitan non benedicenda necessario, sive nova sive reparanda, *ad cultum necessaria*, non de alia quamvis convenienti.

169. **De sacra supellectili defuncti S. R. E. Cardinalis in Urbe residentis.** Pius IX « ad praecidendas omnes hac super re (nempe: de sacra supellectili S. R. E. Cardinalium) dubitationis ac controversiae causas » edidit Breve [1] incipiens: « Quum illud plurimi referat ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationis locus, quae animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus ». — Ex illo ergo Brevi ac ex aliorum SS. Pontificum documentis conflatus est iuxta praecedens ius *can. 1298. § 1. Defuncti S. R. E. Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat* quando obiit, exclusis proinde ab huius canonis praescripto solis Cardinalibus praesbyteris, qui sint Episcopi residentiales, subditur enim: *quamvis Episcopus suburbicarius*, seu Card. ordinis Episcopalis, *aut Abbas nullius esset*, ut quandoque contingit, uniuscuiusque enim sic determinati « S. R. E. Cardinalis », iuxta const. « Aequum est » Urb. VIII [2], a) *quaelibet sacra supellex*, scilicet: « praeter ea, quae in dicta const.^e in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi voluit Pius IX, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pyxides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo; tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia [3], *exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis* » forsitan ibi inclusis, b) *aliaeque res omnes stabiliter divino cultui destinatae*, v. gr. in oratorio eius privato, ac de his et sacra supellectili est intelligendum: *nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum quibus comparatae sint*, non enim acquisitio eorum etsi per donationem interest huic praescripto, secus

[1] 1 Iun. 1847. — [2] 24 Iul. 1642. — [3] Br. « Quum illud plurimi », n. III.

ac refert in sequenti canone. — Omnia praedicta *cedunt romano pontificio sacrario* vi const.[s] « Aequum est » Urb. VIII, cum seq. exceptione ante Codicem obtenta a singulis S. R. E. Cardinalibus per indultum « in forma Brevis, cuius initium " Cum fel. rec. Urbanus VIII ", quo haec facultas concedebatur » nunc inserta canoni his verbis: *nisi Cardinalis* quilibet supra designatus *eas*, nempe: sacra utensilia et alias res, a) *donaverit* inter vivos, b) *aut testamento reliquerit*, prouti nunc ei plene licet, *alicui* a) *ecclesiae vel oratorio publico*, b) *vel loco pio*, sic dicto propter charitatem ibi exercitam ex destinatione, c) *vel alicui personae* physicae aut morali *ecclesiasticae*, nempe: ab Ecclesia erectae et dependenti v. gr. instituto in communi viventium sine votis, alicui sacerdoti, *seu religiosae*, scilicet: familiae religiosae vel cuidam, qui « vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 488, 7°).

Cum inter praedictos S. R. E. Cardinales recenseantur « Episcopi suburbicarii et Abbas nullius », id quod ante Codicem praefatum Breve « vehementer hortabatur, prout iam Bened. XIV in sua const.[e] incipiente " Inter arduas " [1] », inseritur § 2. *Optandum*, sicut decens, *ut Cardinalis*, *qui huiusmodi facultate* per postremam clausulam § 1[ae] elargita *uti velit*, « prae oculis habeat » *et saltem ex parte* illarum rerum *praeferat* inter alia loca vel personas, quibus benefaciat ut supra, *illas ecclesias, quas* a) *in titulum*, ut proprias regimine, b) *administrationem*, quin earum titulo decoraretur, c) *seu commendam*, etsi solum quoad temporalia, *obtinuerit* tempore donationis inter vivos vel conditi testamenti.

170. De sacra supellectili defuncti Episcopi residentialis non suburbicarii. *Can. 1299. § 1. Defuncti Episcopi residentialis* ratione ecclesiae quam in titulum obtinet, *etiamsi cardinalitia dignitate fulserit*, nam Pius IX in cit.[o] Brevi edixit: « I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in const. S. Pii V incipiente " Romani Pontificis „ [2], exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis... ». Atque ibidem sub n. III explicat canonis verba: *sacra supellex cedit ecclesiae cathedrali* illius residentiae, dicens: « Sacra utensilia, quae vigore const.[s] S. Pii V... ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, chirotecas, albas cum

[1] 22 Apr. 1749. — [2] 23 Aug. 1567.

cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, cui titulus canon missae; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: *exceptis* ut in canone *annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis* », prout haec clausula in praec. can. fuit declarata, sed canon quem commentamur opportunam inserit animadversionem: *salvo praescripto can. 1288,* circa « sanctissimae Crucis reliquias, quas in cruce pectorali Episcopus forte defert, et quae ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt » semper, quae clausula fuit omissa in can. praec.[1] utpote quia nonnisi cum obscuritate inserta esset, eo quod solis Episcopis suburbicariis aptanda est vi can. 1288 nullum Episcopum excipientis. — Prosequitur canon eisdem ac Breve Pianum verbis: *et* supple: « exceptis » *iis omnibus utensilibus* inter supra recensita *cuiusvis generis, quae legitime* ad normam § 3 *probetur* quod statim positum est: *ab Episcopo defuncto* a) *comparata fuisse bonis ad ipsam ecclesiam*, scilicet: diocesim ut Episcopi beneficium, *non pertinentibus*, seu ex mensa episcopali uti fructus beneficii ea « bona » non perceperit, b) *neque constet in Ecclesiae* cathedralis *proprietatem transiisse*, quia forsitan « fuissent donata » per Episcopum, vel per alteram personam, quae illa utensilia Episcopo dederit tantummodo in usum.

Numeros IV, V et VI citati Brevis mira congessit arte § 2. *Si quando Episcopus* « residentialis » ex contextu a) *duas vel plures dioeceses successive rexerit*, (n. IV) b) *aut simul praefuerit duabus vel pluribus dioecesibus* a) *unitis* ad invicem perpetuo b) *aut in perpetuam*, non solum ad tempus sed dum viveret ille, *administrationem concessis*, sed in utraque postrema hypotesi, c) *cathedralem ecclesiam* et consequenter « capitulum » *habentibus* propter unionem aeque principalem *propriam et distinctam*, et hucusque processit determinatio Episcopi ad hanc paragraphum canonis servandam obligati. — Veniunt praescripta: a) *quae sacra utensilia* sub

§ 1 declarata *constiterit* probatione certa *reditibus unius tantum dioecesis fuisse comparata*, « nulli divisioni locus erit, (n. VI) sed *ea* sacra utensilia » *eiusdem* dioeceseos *cathedrali ecclesiae cedunt* obitus causa et vi huius praescripti, b) *secus*, idest: « quae sacra utensilia non constiterit » ut declaratum est, *dividi debent, aequis partibus*, mediis vel pluribus pro numero dioecesium initialis hypothesis sub §°, *inter singulas* dioecesium *ecclesias cathedrales*, quod est omnino iustum ex sequenti conditione: *dummodo dioecesium reditus*, « quibus comparata fuisse probetur » ad normam § 1, et hinc monstratur recta interpretatio ibi data verbis: « ad ipsam ecclesiam », *ne sint divisi*, *sed unam episcopalem mensam*, seu indistinctum quoad bona beneficium, *perpetuo constituant*, c) *si vero reditus* « dioecesium », quae initio §[i] determinatae sunt, *divisi sint ac separati* ratione singularum, de sacris utensiliis « quae non constiterit reditibus unius tantum fuisse comparata », *divisio fiat inter singulas* dioecesium earum *ecclesias cathedrales*, servando hanc proportionem, nempe: *pro ratione* a) *fructuum quos in singulis dioecesibus Episcopus* de facto *perceperit*, determinandos quoque si « successive rexerit eas » sequenti mensura, b) *ac temporis quo eisdem praefuerit*, (num. V). Haec hypotesis regiminis successivi non datur in casibus immediate praecedentibus sub littera b) incipiente: « *secus* ».

Ut in praxi adimplendae §[i] praec. iustitia non laedatur, edicit § 3. *Episcopus* de quo in canone, unusquisque *obligatione* iisdem verbis ex Piano Brevi huc expressa *tenetur* a) *inventarii*, seu distinctae recensionis *sacrorum utensilium* in canonis sensu, prout ea declarata sunt, b) *authentica forma* saltem ob subscriptionem ac sigillum indubie *conficiendi*, c) *in quo pro rei veritate*, quantum fieri possit certo, *quando acquisita sint exprimat*, d) *distincteque describat* v. gr. « speciali nota » *si qua* « sacra utensilia » *non ex ecclesiae* (verbum ex Brevi cit.), seu « dioecesis » ut in § 2, *reditibus ac proventibus*, quae veluti beneficiales sibi obvenerunt, *sed ex propriis bonis* patrimonialibus aut quasi patrimonialibus, *vel ex donatione sibi* personaliter facta *comparaverit*: *secus* idest: ob solius distinctae huius descriptionis vel inventarii defectum, quae interpretatio est evidens in cit. Brevi, *omnia* « sacra utensilia » *reditibus ecclesiae comparata praesumuntur* praesumptione iuris simpliciter, « contra quam admittitur probatio tum directa tum indirecta » (can. 1826).

171. De sacra supellectili defuncti clerici beneficiarii. Quamvis litt. aplcae « Quum illud » Pii IX loquantur solummodo de Episcopis residentialibus, non expresse de Abbatibus vel Praelatis nullius, et in canone praec.[i] respectu Episcopi exprimatur ecclesia cathedralis, cuius nomine non constat venire in iure ecclesiam principem Abbatiae vel Prelaturae nullius, posset dubitari, num illos comprehenderet. Dubium evanescit, imo praec.[s] canonis momentum adauget *can. 1300. Quae in can. 1299* per totum *praescripta sunt, applicentur quoque* ut « praescripta » *clerico qui in aliqua ecclesia* constitutum *beneficium* proprie, in can. 1409 definitum, *saeculare vel religiosum,* quod sic dicitur « prout ad solos clericos saeculares vel solos clericos religiosos spectat », (can. 1141, 2°) *obtinuerit* cum eiusdem possessione.

172. Forma iuris civilis valida servanda. Propter separationem status civilis ab Ecclesia, vel inimicitiam erga eam, adimplemento praec.[m] praescriptorum efficaciter sic providet *can. 1307.* § 1. *S. R. E. Cardinalis* (can. 1298), *Episcopus residentialis* (can. 1299), *aliique clerici beneficiarii* (can. 1300), *obligatione tenentur* in canonum illorum observantiam atque vi huius praescripti, *curandi* a) *testamento,* b) *vel alio instrumento* pro legum civilium diversitate *in forma iuris civilis* pro loco ac personis vigentis *valido* alterutro, *ut canonica praescripta, de quibus in can. 1298-1300*, pro singulis casibus secundum explicationem ibidem datam, *debitum effectum* non solum de facto, sed *etiam in foro civili sortiantur* saltem indirecte. Huius exemplum habetur in Dec.° S. Congr. de Prop. Fide [1], pro foederatis Americae Septentrionalis Statibus, quod, utpote in canone implicitum, vi sua quam polleret immediate ante Codicem non amissit; pro ceteris vero nationibus consuli poterit uti norma directiva.

Modum curae praestitutae in §° 1° determinat § *2. Quamobrem* a) *tempestive* seu prudenter remota procrastinatione, b) *ac forma iure civili* ut supra *valida*, c) *personam integrae famae* ex gravi praecepto *designent ad normam can. 380*, nempe « sacerdotem », *quae, adveniente* tantum *ipsorum morte*, *non solum* a) *sacram supellectilem*, de qua in §° praec., *sed etiam*, b) *libros,* c) *documenta*, d) *aliaque que ad ecclesiam pertinent et* haec sub litteris b), c), d)

[1] 15 Dec. 1840, Collect. de Prop. F. n. 916.

in eorum domo reperiuntur, quia si apud alios, hi tenentur restituere, a) *occupet* proprio iure designationis, b) *et cui debentur* pro earum rerum diversitate, *remittat* modo ac tempore opportuno ob conscientiae obligationem ac huius canonis praecepto.

173. **Conservatio sacrae supellectilis.** Duo sunt tituli Iuris Decretalium, XXVI « De officio sacristae » et XXVII « De officio custodis » Lib. I, quorum praecipuam obligationem refert *can. 1302. Rectores ecclesiarum* proprie ac sensu ampliore quam in can. 479, *aliique*, etsi laici, ac nomine sacristae, thesaurarii, vel quocumque appellentur, *quibus* principaliter aut secundario *credita sit cura sacrae supellectilis* iuxta tituli inscriptionem, *sedulo debent eiusdem* a) *conservationi* quoad substantiam, b) *et decori* quoad munditiam et ornatum *prospicere*. Ita legitur in cap. 1 de officio custodis: « Custos ecclesiae, cui ea quae ecclesiae competunt, custodienda committuntur, oportet ut sui archidiaconi iussioni in cunctis obediat,... pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia ecclesiae indesinenter custodiat,... sed omnia cum discretione agantur, quae noscitur omnium virtutum esse mater. — Si vero is minus idoneus ad hoc peragendum extiterit ab archidiacono coerceatur, ut se emendet. Si autem indomitus permanserit, archidiaconus episcopo denunciando provideat, ut indecente eiecto, aptus domui Dei constituatur minister, ut omnia in laudem Dei fiant ». Quod etiam secundariis custodibus aptari debet, nec sua utilitate practica orbatur.

174. **De subministranda sacra supellectili ad sacras functiones exercendas.** Quia sacra supellex in usum ministrorum ecclesiae est destinata, et horum praecipuus in cathedrali ecclesia est Episcopus, qui propriae dignitatis sacra supellectili pro cultu divino peragendo indigere potest extra illam quoque secundum eius officium; iuste decernit *can. 1303. § 1. Ecclesia cathedralis* ac pro ea capitulum, et sacrae supellectilis custos, debet *sacram* ex benedictione *supellectilem aliaque* v. gr. faldistorium, libros, sedilia pro ministris, *quae* a) *ad Missae sacrificium* fortassis pontificaliter celebrandum, nam sequitur: b) *vel ad alias pontificales functiones* v. gr. vesperarum, administrandae confirmationis, collationis ordinum, *necessaria sint* propter illius supellectilis defectum ad hoc ut cum observantia rubricarum fiant, *gratis Episcopo subministrare etiam privatim,* seu non solemniter nec publice, *celebranti* eas vel

Missae sacrificium, *non solum* a) *in ecclesia cathedrali*, ut evidens est, *sed in aliis quoque* b) *civitatis* episcopalis, imo c) *vel* huius *suburbii ecclesiis.* Hinc sequitur non debere idipsum subministrare pro aliis, etsi non valde distantibus dioecesis ecclesiis. Huc pertinent declarationes S. R. C. in Vercellen. sequentes [1]: « 4. An quando Episcopus pontificaliter cantat in aliqua Ecclesia Civitatis, ad quam convenire debent et solent Canonici omnes, deferenda sint de Cathedrali S. Eusebii omnia indumenta pontificalia, et quae ipsis Canonicis quoque congruunt, et an idem servandum sit quando Episcopus pontificaliter cantat in dicta Cathedrali S. Mariae Maioris? — 5. An liceat Episcopo Pontificalia exercenti in Civitate, sed extra Cathedralem, invitis canonicis, pro se et suis assistentibus et inservientibus, paramenta a Cathedrali desumere? — Ad 4. Paramenta deferenda esse de Cathedrali S. Eusebii, etiam quando Pontificalia fiant in Cathedrali S. Mariae Maioris. Ad 5. Episcopo licere ».

§ 2. *Si qua ecclesia* ad providendum sibi sacram supellectilem *paupertate laboret, potest Ordinarius permittere*, unde sine hac permissione non licet, *ut a sacerdotibus qui* a) *in proprium commodum,* quia peregrini, vel hora sibi benevisa, non illi qui ad sustinenda ecclesiae onera, b) *inibi celebrant* Missam, *propter utensilia* nempe: calicem, patenam, missale, *ceteraque* v. gr. ornamenta, cereos, panem, vinum, *ad Missae sacrificium necessaria* usui, *moderata stipes exigatur,* ut expensis necessariis quod iustum sit contribuant.

§ 3. *Episcopi tantum*, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), atque « Vicarii et Praefecti Apostolici eodem iure in suo territorio gaudent » (can. 294, § 1), *non autem* a) *Vicarii Capitularis* absolute b) *aut Vicarii generalis* vi officii *sine speciali mandato,* quod eidem tribui posset, *est* ius *eandem stipem* moderatam *definire*, etiam pro regularium ecclesiis, nam subditur consequens praescriptum: *et nemini*, sive Superiori, sive subdito, *etiam religiosis exemptis,* iure ut « regulares » (can. 615) vel speciali concessione (can. 618, § 1), quamvis Superiori maiori, Abbati de regimine, *licet ea* definita stipe *maiorem exigere*, quin prohibitum sit sponte oblatam acceptare.

De modo definiendi hanc stipem, quoad eius quantitatem ac

[1] 14 Mart. 1643, n. 831.

ecclesias quae possint eam exigere, cavet § 4. *Episcopus pro tota dioecesi*, secus pro una vel altera ecclesia, *eiusmodi stipem* scilicet: occasione celebrationis missae exigendam a) *in dioecesana Synodo, si fieri possit* ob diversas circumstantias, *definiat*, « ceteris (synodalibus) votum tantum consultivum habentibus » (can. 362), b) *aut extra Synodum,* si « in ea fieri nequeat » forsitan serius celebranda, tunc *audito Capitulo,* quae clausula « de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda est » (can. 427) atque ad normam can. 105, 1°.

175. **Facultas benedicendi sacram supellectilem.** Ius praecedens circa hanc facultatem his documentis exponitur. In Dec.° generali circa usum pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a S. R. C. sub Alex. VII emanato [1], legitur: « 18. Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant. — 19. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta, vel pro servitio alienae ecclesiae,... etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant: puta campanarum benedictionem, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio... ». — Imo [2] « quaesitum fuit: an Abbates, aliique similes habentes facultatem benedicendi paramenta ecclesiastica pro usu propriarum ecclesiarum, possint vigore talis facultatis benedicere paramenta exterarum ecclesiarum, stante eorum allegata consuetudine? Et S. R. C. respondit: Non posse ».

Item in Tirasonen. propositum fuit Dubium [3]: « 4. An Episcopus, utendo ordinaria facultate, possit aliis in Dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi sacra indumenta, et alia in quibus iuxta Rit. Rom. sacrum Chrisma non adhibetur: necnon hanc delegationem idem Episcopus etiam ad Campanarum benedictionem ampliare valeat? Et S. R. C. rescribendum censuit: Ad 4 non posse ».

Demum in Cameracen. [4] « respondit: Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Iesu, et alios quoscunque habentes privilegium benedicendi vestes sacras, reconciliandi coemeteria et similia; dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus in quibus sacra unctio non adhibetur, et pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum ».

Huiusmodi praec.s iuris mutationes sunt: primo circa conse-

[1] 27 Sept. 1659, n. 1131. — [2] 18 Aug. 1629, n. 513. — [3] 16 Maii 1744, n. 2377. — [4] 13 Mar. 1632, n. 587.

crationes, eo quod « Vicarii et Praefecti Apostolici, qui charactere episcopali carent, possunt (sub limitationibus) calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare » (can. 294, § 2); quae munera tribuuntur (sub eisdem limitationibus) Abbati vel Praelato nullius, dummodo « benedictionem, si eam recipere debet, receperit » (can. 323, § 2). Secundo, illae continentur in *can. 1304.* Ordinis presbyteralis actum iuxta can. 1147, §§ 2, 3, videlicet: *Benedictionem* constitutivam *illius sacrae supellectilis*, nempe: sacerdotalium indumentorum in genere, mapparum sive linteaminum altaris, corporalium, tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda, *quae ad normam legum liturgicarum* ex diversis S. R. C. decretis *benedici debet antequam ad usum sibi* hoc est: unicuique *proprium* licite *adhibeatur,* atque « illi soli libri adhibendi et illae tantum benedictiones, quae Rituali Rom. sunt conformes » iuxta resp. ad 4 S. R. C. [1], *impertire possunt* licite: — *1° S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes*, seu Titulares quoque, et absque limitatione; — *2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes*, sed hi tantum *pro ecclesiis et oratoriis* quibuslibet *proprii territorii,* scilicet: dummodo sacra supellex sit pro illis destinata; cuius tamen benedictio valet pro eiusdem usu licito ubilibet, idemque censeatur in sequentibus numeris; — *3° Parochus pro ecclesiis et oratoriis* pariter quibuscumque *in territorio suae paroeciae positis* quamvis exemptis, eo quod non agatur de iurisdictionis exercitio, *et rectores ecclesiarum,* proprie seu ampliore sensu quam in can. 479, prout Codex solet illos designare, hi vero *pro suis* dumtaxat *ecclesiis*; — *4° Sacerdotes* (saeculares vel religiosi) pro validitate benedictionis ad normam can. 1147, §§ 3, 4, *a loci Ordinario delegati*, nam « sine hac necessaria licentia, illicita est » (can. 1147, § 3), *intra fines* a) *delegationis* seu commissionis de facto concessae, *et iurisdictionis delegantis,* nempe: « pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii » (n. 2°), etiamsi Episcopus sit ipse delegans. — Etenim cum sacrae supellectilis benedictiones sint Episcopo seu loci Ordinario reservatae in Rit. Rom., vi huius canonis haec reservatio non solummodo est valde imminuta iuxta diversos canonis numeros; sed vi praesentis numeri abrogatur Dec.m S. R. C. in Lemovicen. [2]: « Dub. I. An

[1] 7 Apr. 1832, n. 2689. — [2] 2 Apr. 1875, n. 3343.

Episcopi, sive ex iure ordinario sive ex consuetudine omnes benedictiones descriptas in Rit. Rom. et reservatas, in quibus non intervenit sacra unctio, Sacerdotibus minoribus delegare possint? — Dubium II. An Vicarii generales, sive ex facultatibus ordinariis sive ex delegatione speciali, nomine Episcopi istas benedictiones delegare possint? — S. R. C. rescribendum censuit: Ad I. Negative. — Ad II. Provisum in primo ».

Denique privilegium regularium est conversum in ius commune religiosorum, et adauctum facultate committendi, dum canon addit: *5° Superiores religiosi* etiam locales, *et* a) *sacerdotes* ad validitatem benedictionis, dum pro liceitate sint b) *eiusdem religionis* c) *ab ipsis delegati*, quamvis non sint subditi delegantis, atque hi singuli dant benedictionem sacrae supellectilis destinatae *pro propriis* uniuscuiusque superioris forsan delegantis *ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium*, non sororum can. 488, 7°), *sibi* de facto *subiectarum*, nempe: fruentium exemptionis privilegio ad normam can. 615.

Per benedictionem uniuscuiusque sacrae supellectilis « ad usum sibi proprium » licitum eam destinari planum est: hinc prodiit seq. responsum S. R. C. [1]: « Proposito dubio: An usus bursae, corporalibus includendis destinatae, permitti possit pro colligendis eleemosynis. S. R. C. respondendum censuit: Negative ».

176. De amissione benedictionis aut consecrationis sacrae supellectilis. Iuri praec. conformis est *can.*^s *1305* § 1. *Sacra supellex benedicta,* v. gr. alba, *aut consecrata* v. gr. calix *benedictionem aut consecrationem* respective *amittit:* (quae amissio in sacra supellectili consecrata dicitur execratio in Dec.^s S. R. C.):

1° Si tales laesiones v. gr. foramen in cuppae calicis fundo, *vel mutationes* v. gr. fractionem quae cuppam separet e calicis pede, *subierit ut pristinam amiserit formam* v. gr. albae scissio in duas partes, *et* praecipue *iam ad suos usos* sic laesa vel mutata *non habeatur idonea,* sicut in prioribus adductis exemplis.

2° Si ad usus sacrae supellectilis *indecoros*, b) *vel publicae venditioni exposita fuerit* v. gr. in armario venditoris antiquitatum, vel sub hasta publica, quamvis de facto empta non fuerit. Prioris casus exemplum invenitur in cap. 43 dist. 1 de cons. « Ad nuptia-

[1] 2 Maii 1919, CO. XI-246.

rum ornatum divina ministeria non praestentur: ne dum improborum contactu, pompaque saecularis luxuriae polluuntur, ad officia sacri mysterii videantur indigna ».

§ 2. *Calix* « qui debet esse aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam, intus et simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus » sicut legitur in Missali (Ritus I, 1), *et patena, non amittunt consecrationem* a) *ob consumptionem* b) *vel renovationem auraturae,* derogato Dec.° S. R. C. in Leodien. [1], quae interrogata « Num calix et patena suam amittent consecrationem per novam deaurationem et sic indigeant nova consecratione? — rescripsit: Affirmative; amittere nimirum, et indigere nova consecratione, iuxta exposita ». Subiungit canon: *salva tamen, priore in casu* nempe: « consumptionis » auraturae, *gravi obligatione,* quam supponit canon in Missali expressam, *rursum ea inaurandi* ad licitum tam calicis quam patenae usum.

177. **De calice cum patena et purificatoriis, pallis ac corporalibus post usum.** Sixtus Papa scripsit, ut legitur in Decreto [2]: « In sancta hac Apostolica Sede statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quam a sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quaecumque sint, humanis usibus serviant, aut ab aliis, quam a Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris: ne pro talibus praesumptionibus iratus Dominus plagas imponat populo suo... ». Nunc autem sic moderatum fuerat per Dec. S. R. C. [3]: « I. An clerici prima tantum tonsura initiati, ad mentem Decreti n. 4181 [4], tangere possint vasa sacra et lintea sacra, ac calicem praeparare in sacristia, absque speciali indulto? S. porro R. C. rescribendum censuit. Ad. I Affirmative ». Secundum hanc disciplinam interpretandus est *can. 1306.* § 1. *Curandum* ab illis ad quos spectet, v. gr. rectoribus ecclesiarum, superioribus, etc. *ne calix cum patena* semel ac sint vasa consecrata, a) *et ante lotionem* b) *purificatoria* calicis abstergendi, *pallae*, quibus calix cooperitur, *et corporalia* « ad consecrandum super illud corpus et sanguinem Dei et Domini nostri Iesu Christi » [5], c) *quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur* proprie, hoc est nuda manu, a) *nisi a clericis vel* ob praxim necessariam b) *ab iis qui eorum custodiam habent*, v. gr. laicis

[1] 14 Iun. 1845, n. 2889. — [2] Cap. 41 dist. I de cons. — [3] 23 Nov. 1906, n. 4194. — [4] 14 Martii 1906. — [5] Rit. Rom. tit. VIII, cap. 22.

sacristis; sed ab his etiam clericis nullo modo deferendo ad altare, infra actionem, vel post illam, sed quoad haec clerici servent Dec. S. R C. antea citatum cum num. 4181 (n. II, IV, VI, VII).

Iam a Clem. Papa in Decreto [1] discimus: « Palla vero et vela sanctuarii, si sordidata fuerint ministerio, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lavent, non eiicientes foras a sacrario: et velamina dominicae mensae abluant, ne forte pulvis dominici corporis male decidat... Sane pelvis nova comparetur, et praeter hoc nil aliud tangat. Sed nec ipsa pelvis velis apponatur lavandis, nisi quae ad dominici altaris cultum pertinent »... Ut ergo omnia iuxta Pauli Apostoli sententiam « honeste et secundum ordinem fiant », praescribit § 2. *Purificatoria, pallae et corporalia,* in § 1 haec omnia declarata, *in Missae sacrificio adhibita,* nam hinc consequitur prohibitio: *ne tradantur lavanda laicis,* viris vel mulieribus, *etiam religiosis,* pro qua hypothesi est interpretanda S. R. C. responsio in Molinen [2]: « XXVI. Utrum moniales seu piae feminae vitam communem sub regula degentes possint cum licentia Ordinarii abluere Corporalia, Pallas et Purificatoria? Et Emi. PP. S. R. C. rescribendum censuerunt: Ad XXVI. Negative ». Conditio igitur servanda est: *nisi prius* quam « tradantur » *abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto,* saltem in subdiaconatu, secundum Episcopi ordinantis instructionem in Pont. Rom.: « Subdiaconum oportet... pallas altaris et corporalia abluere... Pallae quae sunt in substratorio altaris (idest: mappae ipsius), in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallae. Ubi autem corporales pallae lotae fuerint, nullum aliud linteamen (praeterquam purificatoria) debet lavari, ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi ». Quod ita explicatur in canone: *aqua autem primae lotionis* « a clerico » saltem subdiacono perficiendae *mittatur in sacrarium,* nempe: sic dictum ob eius praedictam destinationem, *vel, si hoc desit, in ignem.* Scilicet: « ne pulvis dominici corporis » vel minima sanguinis reliquia « male decidat » etsi ob minimam negligentiam vel humanam fragilitatem.

[1] Cap. 40, dist. 1, de cons. — [2] 12 Sept. 1857, n. 3059.

TITULUS XIX.

De voto et iureiurando.

CAPUT I.

De voto.

CAN. 1307. - § 1. Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.

§ 2. Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.

§ 3. Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.

CAN. 1308. - § 1. Votum est *publicum,* si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur; secus *privatum.*

§ 2. *Sollemne,* si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus *simplex.*

§ 3. ***Reservatum,*** cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.

§ 4. ***Personale,*** quo actio voventis promittitur; ***reale,*** quo promittitur res aliqua; ***mixtum,*** quod personalis et realis naturam participat.

Titulus XIX. Caput I. De voto	— notio, eiusque obligatio			Can. 1307
	— duplici	— ex multiplici causa		» 1308
		— privato Sedi Apostolicae reservato		» 1309
	— circa eiusdem obligationis subiectum			» 1310
	— quoad cessationem	— in genere		» 1311
		— in specie	— irritatione	» 1312
			— dispensatione	» 1313
			— commutatione diversa	» 1314
			— per suspensionem obligationis	» 1315
Caput II. [1] De iureiurando	— in genere, notio et conditiones			» 1316
	— promissorio	— obligatio huiusque firmitas		» 1317
		— in ordine ad actum cui adiicitur		» 1318
		— quoad obligationis cessationem		» 1319
	— relaxando multipliciter			» 1320
	— interpretando diversimode			» 1321

[1] Vide canones in pag. 226.

Can. 1309. - Vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum.

Can. 1310. - § 1. Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.

§ 2. Voti realis obligatio transit ad heredes, item obligatio voti mixti pro parte qua reale est.

Can. 1311. - Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, irritatione, dispensatione, commutatione.

Can. 1312. - § 1. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.

§ 2. Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.

Can. 1313. - Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum:

1.° Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;

2.° Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae can. 514, § 1, enumerantur.

3.° Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

Can. 1314 - Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 1313.

Can. 1315. - Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit.

178. **Inscriptio Tituli ac Capitis et sub hoc canonum coordinatio.** Sequitur *Titulus XIX* postremus partis huius, qui inscribitur *De voto*, qua est cultus latriae, actus promittendi quidquam Deo, *et de iureiurando*, quo maximam Summae Dei scientiae ac veracitati reverentiam homines exhibent, eiusque providentiam de humanis rebus profitentur. Hinc duo capita titulus continet: *Caput I* inscriptum *De voto,* prout similis Decretalium titulus « de voto et voti redemptione » (III, 34), propter quam praecipue illud iure canonico consideratur in genere. Illius igitur notione ac divisionibus propositis per can. 1307-1309, subnectitur alius can. 1310 de ipsius enata obligatione diversa, ac de voti cessatione multiplici tractant ceteri canones, ast 1311 in genere, tres vero sequentes can. 1312-1314 de irritatione, dispensatione ac commutatione votorum, ac ultimus can. 1315 refert ipsorum suspensionem ipso iure.

179. **Voti naturam** illiusque motivum obligandi optime tradit *can. 1307.* § 1. *Votum, idest:* iuxta definitionem ab omnibus admissam: *promissio*, nam scriptum est [1]: « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta *promissio* ».

[1] Eccle. V, 3.

« Promissio autem procedit ex proposito faciendi. Propositum autem aliquam deliberationem praeexigit, cum sit actus voluntatis deliberatae. Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur: primo quidem deliberatio; secundo propositum voluntatis, tertio promissio, in qua perficitur ratio voti » [1]. Propter hoc recte canon ait: « promissio » *deliberata* quoad rationem, *ac libera* quoad voluntatem, *Deo facta* iuxta illud Isaiae (XIX, 21): « Colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent », imo est actus latriae, nam « votum est ordinatio eorum quae quis vovet in divinum cultum seu obsequium. Ipsa vero ordinatio actuum cuiuscumque virtutis in servitium Dei, est proprius actus latriae » [2], sed addi opus fuit: *de bono possibili et meliori*, quia, ut ait D. Thomas [3]: « Promissio est alicuius quod quis pro aliquo voluntarie facit. Non enim esset promissio, sed comminatio, si quis diceret se contra aliquem facturum. Similiter vana esset promissio, si quis alicui promitteret id quod ei non esset acceptum. Et ideo cum omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptum, nisi sit virtuosum; consequens est quod de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis. Sed quia votum promissionem voluntariam importat, necessitas autem voluntatem excludit, id quod est absolute necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit. Stultum enim esset, si quis voveret se esse moriturum, vel se non esse volaturum. — Illud vero quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto, inquantum voluntarie fit, non autem inquantum est necessitatis. Illud autem quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omnino est voluntarium, et ideo hoc proprissime cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse maius bonum in comparatione ad bonum quod communiter est de necessitate salutis. Ideo, proprie loquendo, (sicut « leges ecclesiasticae intelligendae sunt » ex can. 18) votum dicitur esse « de meliori bono ». — Denique « votum » sic definitum *ex virtute religionis*, quia « omne opus virtutis ad religionem seu latriam pertinet per modum imperii, secundum quod ad divinam reverentiam ordinatur: quod est proprius finis latriae. Ordinare autem alios actus in suum finem,

[1] D. Th. II-II, q. LXXXVIII, a. 1 c. — [2] D. Th. loc. cit. a. 5 c. — [3] Loc. cit. a. 2 c.

pertinet ad virtutem imperantem, non ad virtutes imperatas », ex virtute igitur religionis votum *impleri debet*, dicente Spiritu Sancto [1]: « Quodcumque voveris, redde, multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere ». Id explicat et propugnat sic D. Th. [2]: « ad fidelitatem hominis pertinet ut solvat id quod promisit. Unde secundum Augustinum [3], fides dicitur ex hoc quod fiunt dicta. Maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti; et ideo maxime obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo facta; hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quaedam infidelitatis species. Unde Salomon rationem assignat quare sint vota reddenda, quia *displicet Deo infidelis promissio* ».

Voti subiectum designat § 2. *Nisi iure* aliorum stricto, quibus circa sui vel propriarum rerum dispositionem subiiciantur, proindeque « iure » naturali, civili aut ecclesiastico *prohibeantur*, hoc enim in casu promissio fieret de re illicita, quae esset a voto aliena, *omnes* baptizati vel non baptizati *congruenti* ad deliberandum de voti materia *rationis usu pollentes, sunt voti capaces*, nullo modo obligati ad vovendum, quia super illud [4]: « Vovete et reddite » dicit Glossa: « Vovere voluntati consulitur ». — Optimam huius §[i] explicationem nobis offert Angelicus Doctor [5] dicens: « duplex est votum, scilicet simplex et solemne. Et quia solemnitas voti in quadam spirituali benedictione et consecratione consistit (iuxta eiusdem Doctoris sententiam), quae fit per ministerium Ecclesiae, ideo solemnizatio voti sub dispensatione Ecclesiae cadit. Votum autem simplex efficaciam habet ex deliberatione animi, qua quis se obligare intendit. Quod autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere: uno quidem modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis et in amentibus, qui se voto non possunt obligare ad aliquid, dum sunt in furia vel amentia: alio modo, quia ille qui vovet, est alterius potestati subiectus. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, quia et patiuntur rationis defectum ut in pluribus, et sunt naturaliter sub cura parentum, vel tutorum qui sunt eis loco parentum; et ideo eorum vota ex duplici causa robur non habent. Contingit tamen propter naturae dispositionem, quae legibus humanis non subditur, in aliquibus,

[1] Eccle. V, 3. — [2] Loc cit. a. 3 c. — [3] Lib. de mendacio cap. 20, circa med. — [4] Psal. LXXV, 12. — [5] Loc. cit. a. 9 c.

licet paucis, accelerari rationis usum, qui ob hoc dicuntur doli capaces; nec tamen propter hoc in aliquo eximuntur a cura parentum, quae subiacet legi humanae respicienti ad id quod frequentius accidit. — Est ergo dicendum, quod si puer vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem (quantum in ipso est) se obligare, sed votum eius potest irritari per parentes, quorum curae remanet adhuc subiectus. Quantumcumque autem sit doli capax ante annos pubertatis (nunc ad normam can. 573) non potest obligari voto solemni (nunc publico) religionis (scilicet: in religione), propter Ecclesiae statutum, quod respicit id quod in pluribus accidit (conveniens animarum sanctificationi). Post annos autem pubertatis (et aetatem canonicam quoad vota publica) possunt iam se voto religionis (et alio status accipiendi vel castitatis) vel simplici vel solemni, absque voluntate parentum ».

Probat enim alibi S. Doctor [1] quod « non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda ».

Cum ex voti natura in subiecto requiratur libertas, nec acceptabiles fiant promissiones coactae, recte statuit § *3. Votum* supra definitum *metu gravi* propter damnum quod minatur et probabilitatem exequutionis, *et iniusto*, quia tunc verae libertati repugnat, illaque de causa *emissum ipso iure* divino, si voluntas voventis renuat, « iure » autem canonico, etiamsi voluntarie votum sic emittatur, *nullum est* pro utroque foro, quia est sub Ecclesiae iurisdictione, nam de actu saltem in causa eius externo agitur habente spiritualem influxum in salutem animarum.

180. **Votorum distinctiones** in iure utiles refert can. *1308*. § *1. Votum est publicum,* idest: in Ecclesiae foro externo recognitum non praecise quia factum coram pluribus, aut quia in foro externo probari possit, nec uti cultus publici actus, quia fit nomine proprio non « Ecclesiae nomine » (can. 1256), sed *si* a) *nomine Ecclesiae* vi approbationis ecclesiasticae religioni datae, b) *a legitimo* « secundum constitutiones per se vel per alium » (can. 572, § 1° 6°), c) *Superiore ecclesiastico,* quatenus potestate per Ecclesiam recognita gaudeat, d) *acceptetur* aliquo signo, non solum

[1] II-II, q. CIV, a 5 c.

coram eodem emittatur; *secus* idest: deficiente quocumque ex illis requisitis, « votum est » *privatum* obligans solum in conscientia.

Relicta hic Doctorum disputatione de intrinseca sollemnitatis votorum natura, nobis huius distinctio innotescit iuridice ob § 2. *Sollemne* « votum est », *si ab Ecclesia uti tale* propter canonum de solemni professione observantiam *fuerit agnitum; secus* « votum publicum », cuius est propria haec distinctio, dicitur *simplex*, prout est quoque omne votum privatum.

Ratione dispensationis quam moderatur can. 1313 loquens de votis « non reservatis », alterum distinctionis membrum definit § 3. « Votum est » *reservatum, cuius dispensationem* vi can. 1309 *sola Sedes Apostolica* secundum ordinariam iurisdictionem per S. Poenitentiariam pro foro interno, per S. Congr. de religiosis pro utroque foro *concedere potest* valide ex vicaria Christi potestate, ob ius divinum hypotheticum illius implementum praescribens.

Denique ultima distinctio votorum ex promissionis obiecto traditur in § 4. « Votum est » *personale, quo actio voventis* futura *promittitur;* v. gr. votum ieiunandi; *reale, quo promittitur res aliqua* v. gr. eleemosyna futura; *mixtum*, *quod personalis et realis naturam participat* v. gr. votum pictoris perficiendi gratis proprio pennicillo imaginem pro altari novae ecclesiae.

181. Ius praecedens quoad votorum reservationem. Praeter votum solemne castitatis cum sacro ordine vel cum solemni professione connexum, quod simul cum aliis votis solemnis professionis, reservatur S. Sedi quoad dispensationem.

1°. Idem dicendum fuit, quoad commutationem et a fortiori quoad dispensationem, de quinque votis recensitis in Extrav. communi « Etsi dominici » [1] in qua Sixtus IV ordinat, « quod... nullus confessorum... emissa peregrinationis ultramarinae (idest: ad loca Terrae Sanctae), et visitationis liminum (nempe: Basilicarum) Apostolorum Petri et Pauli, in Compostella (idest: ad sepulchrum S. Iacobi): et castitatis ac religionis vota: Nisi ex speciali licentia S. Pont.[is]... commutare praesumant.

Et si aliqui confessorum praedictorum contra praesentem const.[m].... excepta vota praedicta commutare attentaverint...., commutatio huiusmodi nullius sit roboris vel momenti ».

[1] 3 de poenitentiis et remissionibus. Lib. V.

De his votis animadverterunt communiter DD. quod, ut essent reservata, debuerant esse perfecta: a) *ratione libertatis,* excluso metu etiam levi ab alio incusso, b) *ratione materiae,* quapropter votum peregrinationis fuerit praecise factum ex devotione illorum locorum, votum castitatis *esset perpetuum* cum intentione promittendi abstinentiam ab omni opposito actu, votum religionis non intendens tantum Institutum ubi vota simplicia emittuntur, c) *ratione formae,* facta nempe principaliter in honorem Dei, non poenalia; absoluta, non sub conditione vera seu de futuro contingenti; et determinata, non disiunctiva v. gr. religionis aut ieiunii; et denique d) *ratione obligationis*, non cum intentione se obligandi solum sub levi.

2°. De voto castitatis simul cum aliis emissis in Congregationibus votorum simplicium, cautum fuit in Const. « Conditae » Leonis XIII [1] sub distinctione, nam de Congregationibus iuris dioecesani, dicitur sub n. VIII. « Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis ».

De sodalitatibus vero iuris Pontificii, legitur inferius: « II. Condonare vota, sive ea temporaria sint, sive perpetua, unius est Rom. Pontificis ». Ius sub n° 2, sicut aliud simile de votis publicis, quae in Ordinibus praemittuntur solemni professioni, omittendum videtur, quia plures mutationes subiit expositas in Parte secunda « de religiosis » sub Libro II Codicis.

182. **Ius vigens de votorum privatorum reservatione.** In cap. un. « de voto et voti redemptione » in 6° (III, 15) inquit Bonif. VIII Biteren. Episcopo: « Quod votum debeat dici sollemne,... nos consulere voluisti:... praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici sollemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod sollemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis: Aut per professionem (nunc sollemnem et) expressam (non *tacitam*) factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis » (nempe: quae sit Ordo). Idipsum viget ad normam can. 1072 et 585, propertereaque horum votorum reservatio manet. Cetera vota publica erunt emissa in

[1] Id. Dec. 1900.

aliqua religione, de quorum solutione « ipso facto dimissionis » loquitur can. 648 si temporaria sint vota, eo quod « professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religionis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant » (can. 669, § 1). Propterea vota publica per solam Sedem Apostolicam dispensari queunt. Haec « serventur quoque, congrua congruis referendo, circa eorum dimissionem » (can. 681), qui sodales sunt societatum sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis religionis seu publicis.

His omnibus ergo salvis interpretandus est *can. 1309. Vota privata* in can. praec.[1] declarata *Sedi Apostolicae reservata*, nempe: S. Poenitentiariae, *sunt tantummodo*, idest: abrogata reservatione circa « emissa peregrinationis ultramarinae et visitationis liminum Apostolorum Petri et Pauli et in Compostela... vota » [1], I° *votum* a) *perfectae*, idest: abstinendi ab omni etiam interno actu contra seq. virtutem, b) *ac perpetuae*, non ad definitum tempus, c) *castitatis*, non solius virginitatis proprie dictae, nec votum non nubendi, II° *et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium*, non votum ingrediendi in congregationem vel in monasterium « monialium quarum vota ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia » (can. 488, 7°), *quae* duo vota *emissa fuerint* d) *absolute*, non sub vera conditione nec disiunctive, quemadmodum iam interpretabantur Doctores praecedens ius, ac sequitur: e) *et post completum decimum octavum aetatis annum* supputandum ad normam can. 34, § 3, 3°, nempe: « primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri ». Haec nova conditio voti pro eius reservatione, absdubio est addita propter perfectiorem deliberationem in re tam gravi adhibitam. E contra non requiritur vota esse perfecta ratione libertatis sensu Doctorum, quia hoc non fuit admissum in iure, sed ex natura rei subintenditur in canone perfectio voti ratione obligationis.

183. Natura obligationis ex voto. *Can. 1310.* § 1. *Votum* quodcumque *non obligat, ratione sui*, scilicet: ex virtute religionis, *nisi emittentem*. Nam « votum qua tale est promissio quaedam Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare

[1] Extrav. com. 3 de poenitentiis et remissionibus in Lib. V.

ad id quod est in potestate alterius, sed solum ad id quod est in sua potestate ». Ergo in alios non transit voti qua talis obligatio.

In voto reali duplex distingui potest obligatio. Una personalis ratione voti iuxta praec. §m nempe: faciendi quantum est in se, ut id quod promisit adimpleatur; sed hinc quando ille qualibet de causa non exequutus est votum personaliter, res ipsius per testamentum vel ab intestato manet obligata, ut transeat in eius ecclesiae vel personae utilitatem, cui per votum destinata fuit. Quapropter edicit § 2. *Voti realis*, non personalis voti, cuius obligatio extinguitur cum persona, sed illius *obligatio transit ad heredes* rei vel pecuniae in voti adimplementum necessariae, ac consequenter dicitur: *item obligatio voti mixti* « quod personalis et realis naturam participat » *qua reale* votum *est.*

Ex dictis patet quod S. R. C. censuit respondendum in una Concordiae [1] ad 1. « Festa ex voto personas tantum voventes teneri observare, iuxta declarationem S. R. C., die 18 Aprilis 1643, cum approbatione Sanctissimi ». Imo in Eporedien. « Exposuit Episcopus S. R. C. Civitatem... voto publico se obstrinxisse servare nonnulla Festa cum Vigilia et peragere Processiones; quod ab Episcopo praedecessore confirmatum fuit, eo adiecto, ut ad ea teneantur etiam successores, licet votum non emiserint...: an eorum successores votum obliget quoad Vigilias et Processiones, saltem ex vi praecepti? Et Emi PP. Negative responderunt » [2].

184. **Cessatio multiplex votorum**. « Obligatio voti ex propria voluntate et intentione causatur unde dicitur (Deuteron. XXIII, 3, 3): Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es » [3]. Hinc recte infertur *can. 1311. Cessat votum* transacto a) *lapsu temporis*, quod vovens determinavit, *ad finiendam obligationem appositi*, scilicet: ut ultra illud non teneretur voto. « Si autem in intentione et voluntate voventis est obligare se ad statim solvendum, tenetur statim solvere; si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur solvere, sed nec debet tardare, ultra quam intendit se obligare; dicitur enim ibidem: Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur

[1] 23 Iun. 1703, n. 2113. — [2] 19 Nov. 1650, n. 932. — [3] D. Th. II-II, q. LXXXVIII, a. 3, ad 3m.

tibi in peccatum ». Propter hoc tamen non erit a voti obligatione adimplenda excusatus, nisi primus modus cessandi voti accideret. — « Cessat votum » b) *mutatione substantiali*, eo quod voti obiectum sit moraliter diversum nunc ac intentum fuit a vovente, quacumque ex causa eveniat mutatio *materiae promissae*, v. gr. aedificatio ecclesiae ob amissionem facultatum, quas prius vovens dives possidebat, *deficiente* c) *conditione* suspensiva *a qua votum pendet* in eius obligatione, v. gr. Missam celebrandi si vivum adhuc inveniam patrem, d) *eiusve causa finali*, v. gr. votum ieiunandi singulis sextis feriis ad consequendam gratiam, quando haec obtenta fuerit, ac praec.[s] quatuor modi sunt impliciti sub voti natura. — In sequentibus « votum cessat » per voluntarium actum diversae auctoritatis, nempe: dominativae in personam voventis vel in voti materiam e) *irritatione*, ex potestate ecclesiastica f) *dispensatione*, ex eadem potestate, ast quandoque auctoritate propria voventis, scilicet: g) *commutatione*.

185. **Irritatio votorum.** Dictum est supra cum D. Thoma [1]: « Nullus potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate. Quicumque autem est subiectus alicui, quantum ad id in quo est subiectus, non est suae potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his in quibus alteri subiicitur, sine consensu sui superioris », qui sic datur ut revocari quandocumque possit ob eiusdem potestatis naturam. Inde patet rectitudo asserentis *can. 1312. § 1. Qui potestatem dominativam* v. gr. Superior religiosus in subditos professione, pater iure naturali in filios adhuc sibi subiectos, « quantum ad dispositionem domesticam », vir ex matrimoniali contractu in uxorem ut caput mulieris in domestica vita, unusquisque horum ergo, qui talem « potestatem » *in voluntatem voventis legitime* idest: iuxta leges, quibus in exercitio illius subditur, *exercet, potest eius vota* semper *valide* ob adductam rationem *et, ex iusta causa* ipsius iudicio ponderanda, (eo quod alias superior irrationabiliter impediret spiritualem profectum) *etiam licite irrita reddere*, seu nullius valoris ad obligandum. « Facere namque idem opus cum voto est melius et magis meritorium quam facere

[1] II-II q. LXXXVIII, a. 8 c.

sine voto », ut probat D. Th. triplici ratione [1]. Explicit §[us] sic: *ita ut nullo in casu,* etsi subiectio cesset, *obligatio postea* ex seipsa propter votum *reviviscat.*

Idem Angelicus Praeceptor docet [2]: « sub promissione Deo facta non cadit nisi quod est virtuosum, ut supra dictum est. Est autem contra virtutem, ut id quod est alterius, homo offerat Deo, ut ab eodem alibi probatum est. Et ideo non potest omnino salvari ratio voti, cum quis... vovet id quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille ad cuius potestatem pertinet, non contradicat ». Iuste igitur asserit § 2. *Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis* consideratam in §° 1ª, *sed in voti materiam habet,* v. gr. vir quoad potestatem corporis uxoris circa votum castitatis, tutor quoad dispensationem bonorum minoris circa huius vota realia, *potest voti obligationem tandiu suspendere* exequendam, *quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat*, uti ex ratione adducta infertur.

186. **Dispensatio votorum.** D. Thomas sic propugnat illam [3]. « Respondeo dicendum quod dispensatio voti intelligenda est ad modum dispensationis, qua fit in observantia alicuius legis; quia... lex ponitur respiciendo ad id quod est ut in pluribus bonum. Sed quia contingit huiusmodi in aliquo casu non esse bonum, oportuit per aliquem determinari, in illo particulari casu legem non esse servandam. Et hoc proprie est dispensare in lege: nam dispensatio videtur importare quamdam commensuratam distributionem, vel applicationem communis alicuius ad ea quae sub ipso continentur; per quem modum dicitur aliquis dispensare cibum familiae. — Similiter autem ille qui vovet, quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid quod est secundum se, et, ut in pluribus, bonum. Potest tamen contingere quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditivum; quod est contra rationem eius quod cadit sub voto, ut ex praedictis patet. Et ideo necesse est quod determinetur in tali casu votum non esse servandum. Et si quidem absolute determinetur aliquod votum non esse servandum, dicitur esse dispensatio voti; si autem pro hoc quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio

[1] Loc. cit. a. 6 c. — [2] Loc. cit. q. LXXXVIII, a. 8 ad 1m. — [3] Loc. cit. a. 10 c.

voti. Unde minus est votum commutare quam in voto dispensare; utrumque tamen in potestate Ecclesiae consistit ».

Quinam vero Praelati talem possint dispensationem tribuere determinantur *can. 1313. Vota* « privata » iuxta explicationem can.s 1309 *non reservata* « Sedi Apostolicae » *possunt iusta de causa*, quia dispensator debet esse fidelis in exercenda potestate intra limites suos et prudens in causa cognoscenda, *dispensare,* et cum « forum expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro », (can. 202, § 3) si casus ferat; *dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum* ex promissione vel subiectione voto confirmata, quam servandam ius naturale praecipit, nisi remittatur legitime ius.

Sic enumerantur praedicti Praelati: *1.° Loci Ordinarius* (canon 198, § 2) *quod attinet ad omnes* a) *suos subditos* ad normam can. 94, b) *atque etiam peregrinos* scilicet: « qui versantur extra domicilium vel quasi domicilium, quod adhuc retinent » (can. 91). Quae ampliatio iurisdictionis a Doctoribus in praecedenti iure admissa, in Codice generaliter legum dispensationibus v. gr. de ieiunio et abstinentia in can. 1245 applicatur; — *2.° Superior* etiam localis *religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae can. 514,* § 1, *enumerantur.* Hae sunt « professi, novitii, aliive in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis ». — Animadvertatur hic agi de iurisdictionis ecclesiasticae exercitio in foro quidem interno extra-sacramentali, quod declaratum fuit in Commentario Textus ad can. 196; ac proinde Superiores mensurentur oportet hanc potestatem ex personarum vel domuum subiectione hic statuta. Illa potestate gaudent quoque erga monasteria monialium, quae ipsis subiiciantur.

3.° *Ii quibus ab Apostolica Sede* per S. Poenitentiariam *delegata fuerit dispensandi* votorum *potestas.* Ii reminiscantur oportet praescriptum can. 203, § 1: « Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit ».

4.° Addendi sunt confessarii regulares (equidem pro foro interno) quorum religioni « a Sede Apostolica directe huiusmodi privilegium (erga personas saeculares) concessum fuit » (can. 613, § 1).

Votorum commutatio. *Can. 1314.* Cum tota voti obligatio ex intentione ac voluntate voventis enascatur, sponte profluit quod

Opus voto non reservato; unde sequitur reservationem attingere quoque eorum votorum commutationem in melius, *promissum potest in melius vel in aequale* moraliter iuxta prudentis aestimationem *commutari*, ita ut opus commutatum vi voti exsequi debeat; *in minus vero bonum* « commutari », cum partialem voti dispensationem importet, *ab illo* tantum « potest », *cui potestas est dispensandi ad normam can. 1313*. Videlicet: iidem recensiti sub tribus numeris « iusta de causa » minori quam pro dispensatione, ac « dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum », iisdem non consentientibus.

187. **Suspensio votorum ex professione religiosa.** Ait Doctor Angelicus: « religiosus subditus est praelato (nempe: Superiori suo) quantum ad suas operationes secundum professionem regulae. Et ideo etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur a praelato, quia tamen nullum tempus est exceptum in quo praelatus non possit eum circa aliquid occupare », sequitur nullam eius obligationem ex praecedenti voto firmam esse, ceteroquin commutatam in melius vi religiosae professionis. Ex hac insuper eiusdem bona non subduntur amplius liberae ipsius dispositioni, ac propter motivum supra dictum « voti realis obligationem tandiu suspendi » est dicendum, quandiu eadem professio perduret. Propterea generaliter declarat praescribitque confirmans *can. 1315*. *Vota* quaelibet « personalia, realia, mixta » (can. 1308, § 4) *ante professionem religiosam*, quamvis simplicem ac in Congregatione iuris dioecesani factam, *emissa suspenduntur* quoad eorum vim obligandi, *donec vovens*, sic dictus propter illa « vota emissa », *in religione* professus *permanserit*. Illa igitur reviviscunt, personalia quando a subiectione Superiorum eximatur, realia quando liberam bonorum dispensationem consequatur.

CAPUT II.

De iureiurando.

CAN. 1316. - § 1. Iusiurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia.

§ 2. Iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, per procuratorem praestari valide nequit.

CAN. 1317. - § 1. Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit.

§ 2. Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest.

§ 3. Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae.

Can. 1318. - § 1. Iusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur.

§ 2. Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem.

Can. 1319. - Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit:

1º Si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerat;

2º Si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adiunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat;

3º Deficiente causa finali aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit;

4º Irritatione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 1320.

Can. 1320. - Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium; sed si iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.

Can. 1321. - Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur

188. **Inscriptio Capitis eiusque canonum coordinatio.** *Sequitur Caput II.* inscriptum in genere: *De iureiurando,* ac exhibens notiones circa idem fundamentales in relatione ad alios Decretalium titulos Libri II, 24 « de iureiurando » et 7 « de iuramento calumniae ». Hoc iusiurandum cum aliis de veritate dicenda, decisorio litis, etc. inveniuntur sub Codicis Lib. IV « de Processibus », et hinc patet huius Capitis momentum. Iurisiurandi notio, et conditiones in genere docentur in can. 1316, de iurisiurandi promissorii obligatione tractant seq.ˢ can. 1317-1319, et quidem naturam et firmitatem obligationis considerat can. 1317, dependentiam eius ab actu cui adiicitur statuit can. 1318, ac eiusdem obligationis cessationem can. 1319. De modis relaxandi iusiurandum est can. 1320, ac ultimus can. 1321 de interpretatione ipsius diversimode facienda.

189. **Iurisiurandi notio ac conditiones.** *Can. 1316.* § 1. *Iusiurandum* definitur cum unanimi Doctorum sententia sequentibus verbis: *idest invocatio Nominis divini*; « assumitur autem divinum nomen ab homine tripliciter: uno modo per modum iuramenti ad propria verba confirmanda, alio modo per modum adiurationis ad alios inducendum, (quod in iure canonico tractatur ubi de exorcismis sub Tit. « de sacramentalibus » VIII Primae Partis Lib. III), tertio modo per modum invocationis ad orandum vel laudandum » (atque id comprehenditur sub tit. « de cultu divino »)[1].

[1] D. Th. II-II q. LXXXIX.

Igitur necesse fuit addere verbis: « invocatio nominis divini » finem illius, nempe: *in testem veritatis*, videlicet: « circa particularia facta contingentia hominum quae non possunt per rationem necessariam confirmari », et « quia Deus neque mentiri potest, neque eum aliquid latet. Assumere autem Deum in testem dicitur iurare, quia quasi pro iure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur ». — Tale « iusiurandum » *praestari nequit* licite, *nisi* a) *in veritate*, b) *in iudicio* c) *et in iustitia*, ut dicitur (Ierem. IV, 2): « Iurabis, Vivit Dominus, in veritate, in iudicio et in iustitia ». Hos comites iurisiurandi sic exponit D. Thomas [1]: « iuramentum non est bonum, nisi ei qui bene utitur. Ad bonum autem usum iuramenti duo requiruntur: primo quidem quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete iuret: et quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis ex parte iurantis; secundo quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum, et quantum ad hoc requiritur veritas per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est; et iustitia, per quam confirmat quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum, veritate autem iuramentum mendax; iustitia autem iuramentum iniquum sive illicitum ». Nunc igitur: « in iuramento est periculum magnum, tum propter Dei magnitudinem, cuius testimonium invocatur, tum etiam propter labilitatem linguae humanae, cuius verba iuramento confirmantur. Et ideo huiusmodi magis requiruntur ad iuramentum quam ad alios humanos actus ».

Quoad formulas vero iuramenti animadvertere iuvat cum D. Thoma [2]: « quod alicuius testimonium invocatur ad hoc quod testis invocatus veritatem manifestet circa ea quae dicuntur. Deus autem manifestat an verum sit quod dicitur, dupliciter: uno modo simpliciter revelando veritatem, vel per internam inspirationem, vel etiam per facti denudationem, dum scilicet producit in publicum ea quae erant occulta; alio modo per poenam mentientis, et tunc simul est iudex et testis, dum puniendo mendacem, manifestat mendacium. Et ideo duplex est modus iurandi; unus quidem per simplicem Dei contestationem, sicut cum aliquis dicit: *Est mihi Deus testis;* vel: *Coram Deo loquor;* vel: *Per Deum*, quod idem est ut

[1] II-II q. LXXXIX a. 3 c. et ad 3^m. — [2] Loc. cit. a. 1 ad 3^m.

dicit Augustinus. Alius modus iurandi est per execrationem, dum scilicet aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad poenam obligat nisi sit verum quod dicitur », sicut quando aliquis dicit: *Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia,* quae formula implicat contrariam execrationem defectus auxilii divini. Atque opportune hic notanda est sententia eiusdem Sancti Doctoris [1]: quod « si Deus testimonium adhibere noluerit in praesenti: adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quando « illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium », ut dicitur (I ad Corinth. IV, 5). Et illud testimonium nulli iuranti deficiet vel pro eo, vel contra eum ».

Propter comites iurisiurandi ac huius gravitatem recte statuit § 2. *Iusiurandum quod canones exigunt* praescripto, *vel admittunt* in casibus libere praestitum, *per procuratorem*, etsi ad hoc munitum speciali mandato, *praestari valide* ad effectos iuris *nequit*. Atque id constituit fallentiam valde notandam reg. iuris 68 in 6°. « Potest quis per alium facere, quod potest per seipsum ».

190. **Iurisiurandi promissorii obligatio ac firmitas.** « Divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum praesentia vel praeterita, et hoc dicitur iuramentum assertorium. Quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum, et hoc dicitur iuramentum promissorium » [2]. De hoc loquitur *can. 1317.* § 1. *Qui libere,* sine vi aut metu gravi, *iurat se aliquid facturum,* nam « obligatio refertur ad aliquid, quod est faciendum vel omittendum. Unde non videtur respicere iuramentum assertorium (quod est de praesenti vel de praeterito), neque etiam iuramentum de his quae sunt per alias causas fienda, sicut si quis iuramento assereret quod cras pluvia esset futura; sed solum in his quae sunt fienda per illum qui iurat » [3]. — « Sicut autem iuramentum assertorium, quod est de praeterito vel de praesenti, debet habere veritatem; ita etiam et iuramentum de his quae sunt fienda a nobis in futurum. Et ideo utrumque iuramentum habet aliquam obligationem; diversimode tamen; quia in iuramento quod est de praeterito vel de praesenti, obligatio est non respectu rei quae iam fuit vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, ut scilicet iuret id quod iam verum est vel fuit: sed in iuramento quod praestatur

[1] Loc. cit. a. 2 ad 3m. — [2] Loc. cit. a. 1 c. — [3] Loc. cit. a. 7 c.

de his quae sunt fienda a nobis, obligatio cadit e contra super rem quam aliquis iuramento firmavit: tenetur enim aliquis ut faciat verum esse id quod iuravit; alioquin deest veritas iuramento ». Idest, ut ait canon: *peculiari religionis obligatione,* scilicet: « propter reverentiam divini testimonii quod invocatur », *tenetur implendi quod iureiurando firmaverit,* seu « obligatur homo ut faciat esse verum id quod iuravit, secundum suam possibilitatem, nisi in deteriorem exitum vergat, nam iuramentum non est servandum in eo casu quo est peccatum, vel boni impeditivum, tunc enim iuramento deest iustitia » [1], « sive ab ipso principio id accidat, huiusmodi enim iuramentum a principio est illicitum, sive illud eveniat propter aliquid quod de novo emerserit, quod fuit impraemeditatum, sicut patet in iuramento Herodis, qui iuravit puellae saltanti se daturum quod petiisset, quo casu impletio iuramenti esset illicita » [2].

Hypotesis non comprehensa sub §° 1° aiente: « Qui libere iurat » consideratur in § 2. *Iusiurandum* verum seu cum intentione iurandi, alias esset irrisio divini nominis, a) *per vim* physicam b) *aut metum gravem* ex minis gravis mali probabiliter exequendis *extortum*, quia alterutra causa in hunc finem posita scopum consequuta est, *valet,* quia reverentia divini nominis urget quoque sub hac hypothesi, *sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest,* ut ratio boni publici expostulat in libertatis singulorum praesidium. Ita fuisse factum testatur Coelestinus III [3] aiens: « Verum in ea quaestione, quae quinto loco ponitur, an a sacramenti vinculo absolvantur, qui illud inviti pro vita et rebus servandis fecerunt; nihil aliud arbitramur, quam quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur: qui tales a iuramenti nexibus absolverunt »: Idipsum Alex. III explicat Senonen. Episcopo [4]: « Si vero aliquis quemquam gravissimo metu sub religione iuramenti, suum ius refutare coegerit... Tibi duximus respondendum, quod non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra iuramentum proprium: ne autores periurii videamur. Verum aliquando in Romana ecclesia a pluribus praedecessoribus nostris factum esse recolitur, quod clerici qui coacti

[1] Loc. cit. a. 7 ad 1m etc. — [2] Ib. ad 3m. — [3] Cap. 15, de iureiurando tit. 24, Lib. II. — [4] Loc. cit. cap. 8.

ministerium ecclesiae abiurarunt, de iuramento absolutionis beneficium meruerunt: et ad coercendam iniquitatem eorum, qui ecclesiasticos viros ad praestandum illud compulerant, permissi sunt in eadem ecclesia ministrare ».

Quia reg. 42 Iuris in 6° continet principium: « Accessorium naturam sequi congruit principalis », ponendus fuit § 3. *Iusiurandum* a) *nec vi nec dolo praestitum*, alioquin « a Superiore ecclesiastico relaxari potest » (§ 2), b) *quo quis privato* (non in communitatis utilitatem directe constituto) *bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso*, quod ei licet. Secus, quando propter bonum publicum favor personae concessus fuit, tunc enim saltem illicite hunc renuntiaret, ac subintrat reg. 69 Iuris in 6°: « In malis promissis fidem non expedit observari ». — Declaratum « iusiurandum » *servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae* propter peccatum, quod secumferat eiusdem observatio, iuxta reg. 58 Iuris in 6°: « Non est obligatorium, contra bonos mores praestitum iuramentum ».

191. Iusiurandum promissorium respectu actus cui adiicitur. *Can. 1318.* § 1. *Iusiurandum promissorium*, seu praestitum in actus sive contractus firmitatem quoad enatas inde obligationes, *sequitur*, eo quod accessorium sit, *naturam* seu substantiam *et* appositas *conditiones actus cui adiicitur*.

Huius §[1] applicationem continet § 2. *Si actui* v. gr. renunciationis *directe vergenti* ex natura sua vel secundum legis praescriptum cui opponatur, a) *in damnum aliorum*, etsi non sit contra iustitiam, b) *aut in praeiudicium boni publici* v. gr. immunitatis ecclesiasticae vigentis, c) *vel salutis aeternae* propter peccatum quod implicet, *nullam exinde*, scilicet: ex iureiurando *actus consequitur firmitatem*, « cum iuramentum iniquitatis vinculum non existat » [1].

192. Cessatio obligationis ex iuramento. *Can. 1319. Obligatio* « religionis » *iureiurando promissorio inducta* scilicet: « implendi quod quis iureiurando firmaverit » (can. 1317, § 1), *desinit* urgere:

1.° Si remittatur promissio *ab eo in cuius commodum* confirmans *iusiurandum emissum fuerat*: « intelligitur enim iam ei sol-

[1] Cap. 1 de consuetudine tit. 4, Lib. I, in 6°.

visse promissum quando facit de hoc secundum eius voluntatem ». Non abs re animadvertendum erit « quod homo potest alteri promittere aliquid sub iuramento dupliciter: uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta si sub iuramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum ei », et de hac promissione intelligendus est canon. « Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei vel utilitatem aliorum; puta si aliquis sub iuramento promittat alicui se intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum; et tunc ille cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est ei facta principaliter, sed Deo; nisi forte sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet si illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale »[1].

Ex can. 1318, § 1.ª consequuntur, quae canon praesens asserit *2.° Si* a) *res iurata substantialiter mutetur* v. gr. statutum quoddam capituli, *aut, mutatis adiunctis, fiat* b) *mala*, tunc enim iuramento deest iustitia, c) *sive omnino indifferens*, quo in casu deest obiectum iureiurando confirmatum, d) *aut denique maius bonum impediat*, quia sicut scriptum est[2]: « Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat ».

3.° Deficiente a) *causa finali*, quia sic corruit promissio in illam directa, b) *aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit*. Nec refert utrum conditio fuerit explicite apposita, de qua sic loquitur cap. cit.: « Nec tu ei, etiam si promissum tuum iuramento vel fidei obligatione, interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minime paruisse », vel an implicita subintrasset conditio, prout casus consideratur in cap. 29 cit. tit.: « Iuramentum autem quod I. se asserit praestitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat qui praestitit, dum ille cui praestitum fuerat, servare negligit quod promisit ».

Denique memorandum est cum D. Th.[3] « quod utraque obligatio, scilicet voti et iuramenti, causatur ex aliquo divino, aliter tamen et aliter: nam obligatio voti causatur ex fidelitate quam Deo debemus, ut scilicet ei promissum solvamus; obligatio autem iuramenti causatur ex reverentia quam debemus ei, ex qua tenemur quod verificemus id quod per nomen eius promittimus. Omnis au-

[1] D. Th. II-II q. LXXXIX a. 9 ad 2. — [2] Cap. 3 de iureiurando tit. 21 lib. II. — [3] II-II q. LXXXIX a. 8 c.

tem infidelitas irreverentiam continet, sed non convertitur: videtur enim infidelitas subiecti ad dominum esse maxima irreverentia. Et ideo votum ex ratione sua magis est obligatorium, quam iuramentum ». Quapropter merito adiungit canon. *4.° Irritatione, dispensatione, commutatione* iurisiurandi promissorii *ad normam* seq.[s] *can. 1320* « desinit eiusdem obligatio », illasque cognoscimus circa votum ex canonum 1312-1314 commentario.

193. **Potestas in iuramenta** sane intelligenda est. « Dispensatio quae fit in iuramento (idemque asserendum de qualibet illius relaxatione) non se extendit ad hoc quod aliquid contra iuramentum fiat; hoc enim est (iure) impossibile, cum observatio iuramenti cadat sub praecepto divino, quod est indispensabile. Sed ad hoc se extendit dispensatio iuramenti, ut id quod sub iuramento cadebat, sub iuramento non cadat, quasi non existens debita materia iuramenti. Materia autem iuramenti assertorii, quod est de praeterito vel praesenti, in quandam necessitatem iam transiit, et immutabilis facta est; et ideo dispensatio non referretur ad materiam, sed referretur ad ipsum actum iuramenti: unde talis dispensatio directe esset contra praeceptum divinum. Sed materia iuramenti promissorii est aliquid futurum quod variari potest, ita scilicet quod in aliquo eventu potest esse illicitum vel nocivum, et per consequens non esse debita materia iuramenti ». Id quandoque est manifestum, et tale iuramentum relaxatione proprie dicta non indiget, sed « obligatio per illud inducta desinit » (can. 1319, 2°). « Quandoque vero aliquid sub iuramento promittitur de quo dubium est, utrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum aut simpliciter aut in aliquo casu, et in hoc ab habente potestatem illud relaxare oportet »[1].

Can. 1320. Qui a) *irritare* « ob potestatem dominativam in voluntatem » illius, qui iusiurandum promissorium emisit, vel « in materiam (can. 1312) iurisiurandi illius », b) *dispensare* ad normam can. 1313, c) *commutare* iuxta can. 1314, *possunt votum*, nec additur « non reservatum », quapropter designantur solummodo personae, quae *eandem* respective irritandi, dispensandi, commutandi, *potestatem eademque ratione* seu motivo, atque amplitudine circa subiecta quorum iuramenta sunt relaxanda, *habent circa iusiuran-*

[1] D. Th. q. LXXXIX, a. 9 ad 1^m et 3^m.

dum promissorium. — Nec videtur facultas dispensandi iuramenta ita esse restringenda, ut non extendatur ad ea quorum materia constitueret « vota Sedi Apostolicae reservata » (can. 1309), tum quia regula iuris est 57 in 6°: « Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda », tum eo quod loquens legislator de iurisiurandi reservatione, expressit tantummodo cum particula *sed* adversativa: *si iurisiurandi* supple « promissorii » *dispensatio* a) *vergat in praeiudicium aliorum,* etsi non contra iustitiam, quod « praeiudicium » eveniet multoties, atque habetur in iureiurando « ingrediendi in religionem votorum sollemnium », b) *qui obligationem* iureiurando firmatam *remittere recusent,* prout in eorum potestate situm est, qua remissione « obligatio desineret » (can. 1319, 1°); illo in casu *una Apostolica Sedes* « ad quam pertinet absoluta relaxatio in omnibus generaliter, quae ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis », ut asserit Doctor Angelicus [1], *potest iusiurandum* praedictum *dispensare*, sed *propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae,* cui alterutri cedere debent privatarum personarum etiam moralium utilitates. Et idipsum iam vindicavit S. Doctor (loc. cit.) dicens: « Quandoque vero sub iuramento promittitur aliquid quod est manifeste licitum et utile; et in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, quod maxime videtur pertinere ad potestatem Papae, qui habet curam universalis Ecclesiae ».

194. **Interpretatio iuramenti promissorii.** *Can. 1321. Iusiurandum* scilicet: « promissorium », quod solum indiget practica interpretatione, a) *stricte est interpretandum,* seu « benignius » in iurantis favorem, attamen b) *secundum ius,* ita nempe ut hoc existens salvum maneat, c) *et secundum intentionem iurantis* ex qua illius orta est obligatio, de qua interpretatione nobis exemplum proponit Innoc. III sic rescribens Neapolitano Archiep. [2]: « Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod a te quasi per extorsionem tale fuit praestitum iuramentum, quod in omni causa deberes ordinem iudiciarium observare. Verum quoniam secundum traditiones canonicas manifesta accusatione non indigent: nec in eis est ordo iudi-

[1] Loc. cit. a. 9 ad 3m. — [2] Cap. 21, de iureiurando, tit. 24, lib. II.

ciarius observandus, qui debet in aliis observari: nec tu quando sub praemisso tenore iurasti, habebas in mente, ut propterea venires contra canonicas sanctiones: alioquin non iuramentum, sed periurium potius extitisset, nec esset aliqua ratione servandum. Nos iuramentum tuum benignius interpretari volentes, ita quod consonet canonicis institutis... et infra: Quanquam et secundum approbatum intellectum recte possit intelligi quod iurasti, ut in omnibus causis ordinem iudiciarium observares, in illis videlicet, in quibus est ordo iudiciarius observandus. Sic ergo faciens, et iuramenti tenorem servabis, et instituta canonica non omittes ». — Quia vero iuris principium est in reg. 85 in 6° expressum: « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur », canon traditae normae subiungit exceptionem: d) *aut, si hic,* nempe: iurans, *dolo agat* equidem malo ad circumveniendum alterum, « iusiurandum eius a) stricte est interpretandum b) secundum ius et c) *secundum intentionem* », non iurantis, ne commodum ex dolo consequatur, sed prout implicitus contractus expostulat: « secundum intentionem » *illius cui iuratur,* et qui conventionem bona conscientia iudicavit.

PARS QUARTA

De magisterio ecclesiastico

Can. 1322. - § 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.

§ 2. Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi: hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur.

Can. 1323. - § 1. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

§ 2. Sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis.

§ 3. Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit.

Can. 1324. - Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Can. 1325. - § 1. Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi.

§ 2. Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide christiana totaliter recedit, apostata; si denique subesse renuit summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est.

§ 3. Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii.

Can. 1326. - Episcopi quoque, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt.

195. **Inscriptio Partis ac praeliminares canones.** Sequitur **Pars quarta** inscripta *De magisterio ecclesiastico,* scilicet: de potestate quam Ecclesia divinitus instituta recepit a Iesu Christo ex eius mandato [1], quando dixit: « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis », vel ut scriptum

[1] Matth. XXVIII, 18-20.

est etiam [1]: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur ».

Plura iura seu facultates sub ea potestate inclusa sunt, quibus obligationes in hominibus respondent; exercitium vero illorum et harum implementum moderantur canones huius quartae partis. Praevie tamen fundamentales canones occurrunt: videlicet: can. 1322 totam potestatem cum eius relativis obligationibus continet, can. 1323, 1324 enuntiant amplitudinem illius magisterii, obligationes fidelium inde sequutas edocet can. 1325, ac Episcoporum magisterium determinatur can. 1326.

196. Magisterium divinum in Ecclesia ob illius originem simpliciter asserit can. 1322, § 1, iuxta catholicam in Conciliis Oecumenicis doctrinam. Ita enim post plures alios docet Conc. Vaticanum [2]: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda ». De hac vero infallibilitate in alia const.e de ecclesia Christi (cap. IV) sic testificatur idem Sacrum universale Conc.: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ».

His doctrinis innituntur sequentes canones. *Can. 1322. § 1. Christus Dominus fidei depositum* idest: « traditam per Apostolos revelationem » ut supra, *Ecclesiae concredidit*, de quo deposito dixit Iesus descipulis suis [3]: « Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Et infra [4]: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem

[1] Marc. XVI, 15, 16. — [2] Const. de fide catholica, cap. IV. — [3] Ioan. XV, 15. — [4] Ioan. XVI, 12, 13.

venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem », ac prius dixerat: « Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis ». — Pro natura ergo depositi revelationis in canone additur finis: *ut ipsa* « Ecclesia » per Apostolos eorumque successores, *Spiritu Sancto iugiter assistente* iuxta verba Salvatoris [1]: « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum », *doctrinam revelatam,* quae « revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, fuit cum Apostolis completa », secundum prop. 21 damnatam in Dec.° Lamentabili [2], *sancte custodiret* intactam ab omni errore, *et fideliter,* prout recepta fuit, *exponeret* « intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia » [3].

Ex verbis Evangelii citatis ad Partis huius inscriptionem patet § 2. *Ecclesiae* in Apostolis eorumque successoribus, *independenter a qualibet civili potestate,* utpote altius ac sine tali conditione repetendum *ius est* fundatum in divino praecepto, *et officium gentes omnes evangelicam doctrinam,* quae theoricas et practicas veritates supernaturales continet, *docendi: hanc vero* « evangelicam doctrinam » *rite ediscere*, prouti ab Ecclesia docetur ac secundum eius expositionem, *veramque Dei Ecclesiam* nempe: catholicam *amplecti,* « extra quam neminem salvari credimus » [4], *omnes divina lege tenentur,* iuxta illud: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur » [5]: « Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita » [6].

197. **Obiectum fidei catholicae** ipsis verbis Conc. Vaticani proponit *can. 1323.* § *1. Fide divina,* idest: assensu supernaturali, « quo, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab Eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest », *et catholica,* quia « Unus Dominus, una fides, unum baptisma », ut ait D. Paulus [7], a) *ea omnia*

[1] Ioan. XIV, 16. — [2] 3-4 Iul. 1917. S. C. Inq.s. — [3] Const. de fide catholica in Conc. Vaticano, cap. 4 in fine. — [4] Prof. fidei Waldensibus ab Innoc. III praescripta. — [5] Marc. XVI, 16. — [6] Const. de fide catholica, cap. III. — [7] Ephes. IV. 5.

saltem implicite in generaliori veritate supernaturali, nulloque excepto, *credenda sunt*, prout datur opportunitas, sed « credenda » obiecta sunt ex parte credentis per modum veritatis enuntiabilis, b) *quae verbo Dei scripto*, scilicet: « omnibus libris tam veteris, quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor », *vel tradito*, videlicet: « sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt » [1], *continentur*, nam « supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a Sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus » [2], c) *et ab Ecclesia* qua docente per successores Petri et Apostolorum, a) *sive sollemni iudicio* propter formulas extrinsecas et apparatum, b) *sive ordinario*, quia frequentior est modus docendi, *et universali* nempe concordi praedictorum *magisterio*, non solum veluti veritates catholicas, sed *tamquam divinitus revelata* in publicam fidelium instructionem, ac proinde ab omnibus *credenda proponuntur*. Etenim « ut officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci » [3].

§ 2. *Sollemne huiusmodi iudicium*, nempe: quo « ab Ecclesia tamquam divinitus revelata credenda proponuntur »: prout in §° 1ª declaratum est, *pronuntiare*, ut fideles edoceantur, *proprium est* cum exclusione quorumlibet Praelatorum etsi in Concilium coadunatorum, a) *tum Oecumenici Concilii* celebrandi ad normam can. 222-229, dummodo illud iudicium saltem « a Romano Pontifice confirmatum » fuerit, b) *tum Romani Pontificis*, quatenus « est beati Petri in primatu super universam Ecclesiam successor » [4], *ex cathedra loquentis*, « id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit » [5].

In re autem gravissima propter Theologorum sententias acumine mentis quandoque agitatas esse valde prudenter procedendum

[1] Conc. Trid. sess. IV. Dec. de canonicis Scripturis. — [2] Const. de Fide catholica, cap. II, Conc. Vat. — [3] Conc. Vat. loc. cit. — [4] Const. de Ecclesia Christi, cap. II, Conc. Vat. — [5] Loc. cit. cap. IV.

praescribit § *3. Declarata* velut in fidei deposito contenta, *seu definita* per enuntiatam et perpolitam undequaque propositionem, *dogmatice* idest: tanquam fidei dogma, quorum « sacrorum dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum » [1], *res nulla,* ut obiectum cognitionis assentientis fidei, *intelligitur, nisi id,* scilicet: praefata declaratione seu definitione rem illam exprimi aut illam declarationem seu definitionem reipsa latam fuisse, *manifeste,* ita ut quodlibet probabile dubium absit, *constiterit*, absoluta proinde certitudine.

198. **Obiectum magisterii ecclesiastici.** Quae in fine const.[s] « de fide catholica » per monitionem officii omnium edixerunt Patres Conc. Vat., translata fuerunt sub *can. 1324. Satis non est* coram Ecclesia, et praesertim pro fidelium conscientia coram Deo, *haereticam pravitatem*, idest: voluntarium errorem vel dubium circa veritates fide divina et catholica credendas *devitare*, ad quod tenentur sub gravi peccato, et in foro externo Ecclesiae sub gravissimis poenis, *sed oportet* conscientiae gravi officio, etiam externe coram Ecclesia, *illos quoque errores* sic dictos, quia contrarios alicui veritati per magisterium ecclesiasticum edoctae, *diligenter fugere*, quatenus sub voluntatis imperio est actus mentis, ac motivum est fidei periculum, quod vitandum esse cogit fidei retinendae obligatio, sequenti enim clausula errores illi determinantur: *qui ad illam* « haereticam pravitatem » *plus minusve accedunt; quare*, utpote ad illos confingendos se extendente magisterio ecclesiastico, conclusionem hanc eduxit Conc. Vaticanum (loc. cit.): « Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus », *omnes* ad fidem custodiendam *debent etiam constitutiones* Romanorum Pontificum *et decreta* eorumdem, vel S. Congregationis Supremae ut plurimum, *servare* mente ob conscientiae officium, ac externe ob debitam magisterio ecclesiastico observantiam, quae ex reverentia et obedientia erga auctoritatem constat, *quibus* « constitutionibus ac decretis » *pravae* propter haeresis cognationem *huiusmodi opiniones* ex decipiente ratione procedentes *a Sancta Sede* ad normam can. 7 *proscriptae* ab ecclesiastica societate, *et prohibitae sunt* singulis quibuslibet fidelibus. — Huc pertinent sententiae Pii X in Motu

[1] Conc. Vat. const. de Fide catholica, cap. IV.

proprio « Praestantia Scripturae Sacrae »[1]: « declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devitare, aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis ». Item Dec.^m « Lamentabili » S. Congr.^s Inquisitionis cit.^o Motu proprio fuit confirmatum, « addita excommunicationis poena adversus contradictores », quae adhuc viget contra « pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam » (can. 2317) ibidem damnatam. In eo inserta fuit prop. « 8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihil pendunt ».

199. **Obligationes fidelium circa fidem.** Apostolus dicit.[2]: « Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem ». Quod sic exponitur a D. Th.[3]: « ea quae sunt necessaria ad salutem, cadunt sub praeceptis divinae legis. Confessio autem fidei, cum sit quoddam affirmativum, non potest cadere nisi sub praecepto affirmativo. Unde eodem modo est de necessariis ad salutem, quo modo potest cadere sub praecepto affirmativo divinae legis. Praecepta autem affirmativa non obligant ad semper (exequenda ea), etsi semper obligent (seu praecepta sint): obligant autem (ad exequutionem) pro loco et tempore secundum alias circumstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc quod sit actus virtutis. Sic ergo confiteri fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et tempore; quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis (necessario) impendenda ». — Haec vero asseruntur ac determinantur in *can. 1325. § 1. Fideles Christi* eo quod interius in eumdem credunt, *fidem* « divinam et catholicam » (can. 1323, § 1) *aperte,* ita ut

[1] 18 Nov. 1907. — [2] Rom. X, 10. — [3] II-II q. III, a. 2 c.

indubia eorum fides appareat, et exterius *profiteri tenentur* iure divino, *quoties eorum* a) *silentium* solummodo, b) *tergiversatio*, eam, quin denegent, occultando, c) *aut ratio agendi*, vestitus, societas, etc. *secumferrent* disiunctive a) *implicitam* v. gr. factis *fidei negationem* saltem quoad aliquam eius veritatem, « puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem », b) *contemptum religionis* « vel quod fides non esset vera », c) *iniuriam Dei,* nam « finis fidei, sicut et aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, qui est amor Dei et proximi; et ideo quando honor Dei vel utilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo, ut per fidem suam ipsi veritati divinae coniungatur, sed debet fidem exterius confiteri » [1], d) *vel scandalum proximi,* puta « si alii per fidelis taciturnitatem averterentur a fide ».

Postquam praeceptum fidei positivum est enunciatum in §° 1ª, diversas verborum significationes causa transgressionis praecepti negativi tradit § *2. Post receptum* valide, ut praesumitur, *baptismum,* quod est fidei sacramentum (ac subintelligendum in qualibet ex tribus §¹ partibus), *si quis,* a) *nomen retinens christianum* veluti Christi discipulus, b) *pertinaciter,* quia sicut Augustinus dicit [2]: « si qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendant, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter haereticos deputandi », quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiae doctrinae. — Si vero scienter ac libenter *aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis* ad normam can. 1323, § 1, c) *denegat* per iudicium contradictorium, quod an sit affirmativum vel negativum parum refert, *aut de ea* positive *dubitat* suspendens iudicium non ex tentationis impulsu, sed veluti de doctrina non certa, *haereticus* est, interne, externe vel utroque modo, secundum quod alterutrum agat sola mente, solis verbis, aut exterius manifestando quod interne concipit; *si quis a fide christiana*, quam professus est baptismate suscepto, *totaliter recedit*, *apostata* « est » simpliciter et absolute, sine addito, seu a fide per oppositionem ad apostatam a religione, et apostatam ob ordine; *si denique* a) *subesse* absolute *renuit Summo Pontifici*, non quoad unum vel alterum praeceptum, b) *aut cum membris Ecclesiae ei* nempe: Summo Pon-

[1] D. Th. II-II q. 2 a. 2 ad 1m.— [2] Cap. « Dixit Apostolus » caus. XXIV, q. III.

tifici *subiectis* qua talibus *communicare recusat, schismaticus est.* Videlicet Ecclesiae unitatem scindens. — Etenim ut ait D. Th. [1] « proprie schismatici dicuntur qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant, quae est unitas principalis. Nam unitas aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesiae, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur; scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione; et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput, secundum illud [2] « Inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei ». Hoc autem caput est ipse Christus, cuius vices in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant ». Quae postrema verba sunt in canonem translata.

De disputatione cum haereticis memorari oportet ius praecedens ad rectam prudentemque canonis interpretationem. — Pro laicis praescriptum est [3]: « § Inhibemus quoque, ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur ». Poena nunc « abrogata » ob Codicis silentium (can. 6, 5°). — De clericis intelligatur quod Gelasius Papa ad Episcopos Dardaniae scripsit [4]: « Canonum magistris atque custodibus nobis nullum fas est inire certamen, cum hominibus communionis alienae ». Glossa: « Ergo cum haereticis non est disputandum, nec cum aliquo de fide est disputandum, sed ad hoc potest disputari cum eis, ut convincantur, non ut in dubium revocent fidem nostram ». — Demum S. Congr. de Prop. Fide [5] iussit: « publicas disputationes non fieri cum haereticis: quia plerumque ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente opprimitur, et si aliquando huiusmodi disputationes recusari non possunt, primum de illa certior fiat S. Congr., quae iuxta temporis et personarum qualitatem, quid agendum sit, praescribet ».

Nunc transeamus ad Codicis ius. § *3. Caveant*, utpote de re

[1] II-II q. XXXIX a. 1 c. — [2] Coloss. II, 18. — [3] Cap. 2, Tit. II, Lib. V in 6°. — [4] Cap. 36 in fine, caus. XXIV, q. 3. — [5] 8 Mart. 1625, Collect. S. C. de P. F. n. 294.

periculosa « ex parte praesertim audientium. Et quidem coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide; sed circa simplices est distinguendum [1]: quia aut sunt sollicitati sive pulsati ab infidelibus, puta Iudaeis vel haereticis, sive paganis, nitentibus corrumpere in eis fidem; aut omnino non sunt sollicitati super hoc, sicut in terris in quibus non sunt infideles. In primo casu necessarium est publice disputare de fide, dummodo inveniantur aliqui ad hoc sufficientes et idonei, qui errores confutare possint; per hoc enim simplices in fide firmabuntur, et tolletur infidelibus decipiendi facultas; et ipsa taciturnitas eorum qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio. Unde Gregorius [2]: « Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit ». In secundo vero casu periculosum est publice disputare de fide coram simplicibus; quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eo quod credunt. Et ideo non expedit eis, ut verba infidelium audiant disputantium contra fidem ».

« Caveant » igitur *catholici* ut maneant huiusmodi, eo quod « si disputet aliquis tanquam de fide dubitans, et veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat, tanquam dubius in fide et infidelis » (loc. cit.). Sed etiam « propter veritatem manifestandam et errores confutandos » (Ib. ad 3^m), *ne disputationes,* scilicet: cum contentione verborum, quae si sit inordinata, quando fit magis ea contentione quam firmitate sententiarum, prohibetur ab Apostolo dicente [3]: « Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium ». Illae proprie dicuntur, quae ex proposito ac forsitan ex praevio condicto ineuntur, non quae in privata conversatione incidunt. — Addit vero canon: *vel collationes,* tanquam amicabilia colloquia, de quibus idem repetere opus est ac de disputationibus. Attamen incidentes in conversatione iure divino moderandae relinquantur. « Oportet enim ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus disputare; quandoque quidem defendendo fidem secundum illud [4]: « Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae est in vobis spe et fide ». Quandoque autem ad convincendos errantes, secundum illud [5]: « Ut sit potens exhortari in doctrina sana,

[1] D. Th. II-II q. X a. 7 c. — [2] Pastoral. lib. II, cap. 4 in princ. — [3] II Timoth. II, 14. — [4] I Petri, III, 15. — [5] Tit. I, 9.

et eos qui contradicunt arguere »[1]. Verbis autem: *publicas praesertim,* nempe: quae coram convenientibus ad illas audiendas fiunt, verbumque « praesertim » admonet expresse alias quoque privatas iure canonico vetari, quamvis non his sed publicis aptari debeat plene hoc praescriptum. — Verba *cum acatholicis habeant* (quae haereticis, sive apostatis, sive schismaticis, sive non baptizatis aptantur) subintelligunt obiectum illarum disputationum ac collationum, videlicet: de doctrinis circa quas hi et catholici qua tales discordant, et sunt de fide ac religione catholica. Denique canone contineri vetitum declarat postrema clausula, de « publicis praesertim » intelligenda eo quod semper servanda: *sine venia Sanctae Sedis,* ut puto S. Congr.ª Concilii pro clericis et laicis, S. Congr. de religiosis pro iis, S. Congr. de Prop. Fide pro omnibus quoad regiones eidem subiectas, et S. Congr. pro Ecclesia Orientali, si quandoque apud orientales expediant, sed proprius S. Congr.ª S. Officii pro eius competentia quoad omnes, *aut, si casus urgeat,* scilicet: iuxta doctrinam D. Thomae traditam, disputatio vel collatio non sit procrastinanda saltem quoad acceptationem, non fiat id « sine venia » *Ordinarii loci* prudenter inspecturi omnes circumstantias, tum illius catholici qui eas sustinere debeat, tum alias recensitas in textu cit.° S. Congr.ª de P. F.

200. **Episcoporum magisterium** limitibus circumscriptum edicit *can. 1326. Episcopi quoque*, « qui sunt Apostolorum successores » (can. 329, § 1), « et residentiales » praesertim ob contextum, « quorum nomine in iure veniunt quoque Abbates vel Praelati nullius » (can. 215, § 2), ac « Vicarii et Praefecti Apostolici eodem iure in suo territorio gaudent », hi vero ac isti propter officium iure canonico institutum, illi vero ex officio iuris divini, *licet* a) *singuli* praedicti, qua tales in Ecclesia « Praelati » (can. 110), in Synodo quoque dioecesana ad normam can. 362, b) *vel etiam in Conciliis particularibus* plenariis et provincialibus *congregati infallibilitate docendi non polleant*, et consequenter nec novum edere symbolum fidei, nam « ad illius auctoritatem pertinent editio symboli ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Et huius ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud [2]:

[1] Loc. cit. ad 3m. — [2] I ad Corinth. I, 10.

« Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata »; quod servari non potest, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest: ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cuius auctoritate synodus (nempe: ipsum Oecumenicum Concilium) congregatur, et eius sententia confirmatur »[1]. — Hac non obstante doctrina per canonem confirmata, subiungitur in eo: *fidelium tamen suis curis commissorum,* seu ex potestate cum officio coniuncta et ob episcopalem consecrationem auxiliis divinis communita, *sub auctoritate Romani Pontificis,* sicut eius praerogativa infallibilitatis expostulat, a quo sunt confirmandi fratres ipsius secundum sententiam Domini Salvatoris, *veri doctores seu magistri sunt.* Omnibus etenim Apostolis Iesus dixit: « Euntes ergo docete omnes gentes ». Hoc autem sic intellexerunt Apostoli, quod testimonio Marci (XVI, 20): « Illi profecti (equidem singuli) praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis ».

TITULUS XX.

De verbi divini praedicatione.

CAN. 1327. - § 1. Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis pro suis dioecesibus.

§ 2. Episcopi tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento; et insuper, praeter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum.

CAN. 1328. - Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, facultate peculiariter data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat.

201. **Distributio Partis in titulos.** Uti vidimus magisterium ecclesiasticum circa fidei veritates versatur, sive illae speculativae sint, sive practicae, ac circa veritates cum eis connexas. De fidei veritatibus intelligenda illa monitio Apostoli ad Timotheum: (I, VI, 20) « Depositum custodi ». Cui monitioni deserviunt sacri canones circa SS. Scripturas divinitus inspiratas et circa divinae traditionis monumenta; qui opportunum locum nanciscuntur in Tit. XXIII « De praevia censura librorum eorumque prohibitione », ubi multa alia sunt

[1] D. Th. II-II q. I a. 10 c. et ad 2^m,

invenienda. — Postea « fides gignitur ex auditu. Quomodo autem audient sine praedicante ? » [1]. Hinc aliud Ecclesiae munus, sicut scriptum est: « Euntes ergo docete omnes gentes » [2], et « praedica verbum, insta opportune, importune » [3], atque « docentes omnem hominem, in omni sapientia » [4]. Sequentur ergo canones de praedicatione Verbi Dei, ac de scholis quatenus ibidem catholica edoceatur religio, vel saltem caveatur eiusdem detrimentum. — Ait praeterea Apostolus [5]: « quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere »; quod peragit S. Mater Ecclesia legibus de Seminariis, de Magistris ac de academicis quatuor facultatum gradibus. — Non oblita demum Ecclesia verborum Apostoli [6]: « devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt », et [7]: « Qui a veritate exciderunt,... subverterunt quorumdam fidem »; Sedes Apostolica leges tulit de prohibitione ac censura librorum, normas tradidit servandas in catholicis ephemeridibus, ac denique vetuit « sine disciplina quaestiones circa religionem », communicationemque operibus malignis, iuxta praescriptum Ioannis (II, 10): « si quis venit ad vos, et Christi doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis ».

Hoc ultimum prohibet Codex diversis in locis, quaestiones circa religionem vetuit can. 1325, § 3. Restat igitur sequens Titulorum distinctio: « Titulus XX. De divini Verbi praedicatione; Titulus XXI. De seminariis », quatenus praecipuae sunt scholae, atque ex earum natura peculiares Ecclesiae; « Titulus XXII. De scholis; Titulus XXIII. De praevia censura librorum eorumque prohibitione ». — Prudenter valde complet hanc partem « Titulus XXIV. De fidei professione », quam Ecclesia exigit ab his, qui magisterium eius participant, ut quantum fieri possit, moralem cautionem obtineat de filiorum suorum fidei ac morum securitate.

202. Inscriptio Tituli ac eius duo canones. *Titulus XX* inscriptionem sortitus est propriam: *De divini verbi*, nempe: in sacris libris ac sine scripto traditionibus contenti, « propterea quod Spiritu Sancto inspirante (illi) conscripti Deum habent auctorem.

[1] Rom. X, 14. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] II ad Tim. IV, 2. — [4] Coloss. I, 28. — [5] II, ad Timoth. II, 2. — [6] I ad Timoth. VI, 20. 21. — [7] II ad Timoth. II, 18.

atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt, hae vero ipsius Christi ore aut Spiritu Sancto dictante ab Apostolis acceptae fuerunt » [1]. Cum autem evangelium vel confirmet praecedentem revelationem Veteris Testamenti, vel posteriorem, tum divino Christi ministerio inceptam referat, eo quod formaliter, quae « Deus locutus est nobis in Filio » contineat, tum Spiritus Sancti missione complendam promittat, sequitur inscriptionem hoc sensu idem esse ac de evangelii *praedicatione.* — Verbum « praedicatio » hic intelligendum est non pro quacumque doctrina etiam publica veritatum salutarium ad religionem pertinentium, quae in scholis quoque tradi potest, sed stricto sensu de ministerio commisso a Iesu Christo D. N. ipsis Apostolis, quando ait: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » [2]: « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra » [3] « euntes ergo in mundum universum *praedicate Evangelium* omni creaturae » [4]. Huic enim soli modo tradendi veritates religionis aptantur leges ecclesiasticae nunc hoc in Titulo exponendae; non vero conditae sunt hae leges quoad modum easdem veritates docendi in scholis. Quomodo ergo poterimus hos docendi modos ab invicem discernere? — Attenta illorum perspectione patet verbi Dei praedicationem proprie sumptam significare: « exercitium adimplendi muneris Apostolis iniuncti, atque ordinatum directe ac immediate ad animarum salutem », quae sequi possit per acceptationem veritatum fidei, per amorem ipsius ceterarumque virtutum supernaturalium, earumque actuum exercitium. E contra doctrina in scholis Sacrae etiam Scripturae, S. Theologiae, aliarumque disciplinarum religionis non est proprie publicum illius ministerii exercitium, utpote directe ac immediate ad mentis tendens instructionem, non ad morum reformationem devotumque fidei amplexum. Quamvis admittimus ex illis quoque textibus probari: tale docendi officium subiici Apostolorum successoribus, idest: Episcopis ac Summo Pontifici.

De sacra praedicatione fuit editum iussu Leonis XIII documentum S. Congr.ª Episcoporum e Regularium [5] ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores transmissum, quod latine versum Pius X Motu proprio « Sacrorum

[1] Conc. Vat. const. de fide catholica, cap. II. — [2] Io. XX, 21. — [3] Matth. XXVIII, 18 et 19. — [4] Marci, XVI, 18. — [5] 31 Iulii 1894.

Antistitum »[1] evulgavit atque Ordinariis commendavit. Disciplina nunc vigens continetur quoad fundamentalem doctrinam in Litt.ᵃ Encycl.ˢ Bened. Papae XV « Humani generis redemptionem »[2], formaliter quoad legislationem in hoc Titulo, horumque omnium applicationem ac commentarium exhibet Dec. S. Cong.ⁿ Cons.ˢ seu « Normae pro sacra praedicatione[3] ».

Ministros legitimos praedicandi Evangeli designant duo priores canones, ita ut can. 1327 ius et officium praedicationis ex iure divino commissum recognoscat et declaret, alter vero can. 1328 necessitatem edicit missionis ad legitimum praedicationis ministerium.

203. **Munus ac obligatio praedicandi evangelium.** Quod Conc. Trid. monuit[4] « praedicationis munus Episcoporum praecipuum esse », iuxta Apostolorum verba: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei... Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus »[5], idipsum explicat *can. 1327.* § 1. *Munus* « in spiritualem finem legitime exercendum » (can. 145, § 1) *fidei catholicae* sumptae pro veritatibus eiusdem *praedicandae*, veluti dicendae aliis ex auctoritate qua praeficiuntur eis, *commissum praecipue est,* quia per missionem a Christo datam Petro ceterisque Apostolis, a) *Romano Pontifici* « beati Petri in primatu super universam Ecclesiam successori » iuxta definitionem Conc. Vat.[6], *pro universa Ecclesia* latina simul ac orientali per universum orbem diffusa, b) *Episcopis* etiam Ecclesiae orientalis, « qui sunt Apostolorum successores » (can. 329, § 1), residentialibus, nam « ipsi sunt ordinarii et immediati pastores » (can. 334, § 1) *pro suis dioecesibus.* Harum autem nomine « in iure (Codicis) veniunt quoque abbatia vel Praelatura nullius, et nomine Episcopi Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), atque « Vicarii et Praefecti Apostolici eadem facultate in suo territorio gaudent » (can. 294, § 1), quamvis hi et isti propter officium iure ecclesiastico institutum mandatum praedicationis divinum exsequi debeant.

Non aliter ac Conc. Trid. statuit ac decrevit[7], ac inde pro Ecclesia solummodo latina dicitur in § 2. *Episcopi,* ut in §º 1ª

[1] 1 Sept. 1910, CO. II, 672. — [2] 15 Iun. 1917, CO. IX, 305. — [3] 28 Iun. 1917, CO. IX, 328. — [4] Sess. XXIV de ref. cap. 4. — [5] Act. Ap. VI, 2. 4. — [6] Const. de Ecclesia Christi, cap. II. — [7] Cap. 2 sess. V et cap. 4 sess. XXIV de ref.

declarati sunt ac consequenter muneri commisso in fidelium utilitatem. *tenentur officio,* seu habituali obligatione *praedicandi per se ipsi,* utpote ad hoc electi tanquam idonei, *Evangelium* iuxta inscriptionis declarationem, *nisi legitimo* per leges canonicas saltem recognito *prohibeantur impedimento*, idest: impediantur; *et insuper,* sive ob peculiare impedimentum, sive quia in genere non possunt omnes sibiipsis commissas oves pabulo praedicationis verbi Dei pascere, *praeter parochos,* qui ex officio iuris ecclesiastici hoc exercere tenentur ministerium, *debent*, etiam canonis huius praescripto, *alios quoque viros idoneos* ad normam canonum huius tituli *in auxilium assumere,* quin propter hoc dispensentur a praedicationis obligatione personaliter implenda, *ad huiusmodi praedicationis* iam declaratae *munus salubriter* pro eiusdem scopo *exsequendum.*

204. **Necessitas missionis ad praedicationis ministerium.** Martinus V in Conc. Constant. per Bullam « Inter cunctas »[1] damnavit propositionem Ioannis Wicleff. « 14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae sive episcopi catholici », atque inter proponendas Wicleffitis et Hussitis interrogationes fuit « 38. Item, utrum credat, quod singulis sacerdotibus libere liceat praedicare verbum Dei, ubicumque, quandocumque et quibuscumque placuerit, etiam si non sint missi ». Enimvero praedicatoribus competunt Apostoli verba[2]: « Pro Christo legatione fungimur ». — Hinc recte proclamat *can. 1328. Nemini,* tum « laicis utriusque sexus, viris scilicet et mulieribus » iuxta interrogationem 37 inter praedictas, imo tum « diacono vel praesbytero » ut supra, divinum *ministerium praedicationis licet exercere*, quamvis ad illud sint destinati, ut patet ex diaconi ordinatione, *nisi a legitimo*, seu competente ad hoc iuxta ss. canones *Superiore missionem receperit,* idest: iniunctionem vel permissionem illius ministerii exercendi ad imitationem Christi Apostolos mittentis. — Haec missio dupliciter datur: a) *facultate* ad plures actus *peculiariter,* idest: alicui personae, *data,* immediate vel per alterum, oretenus vel scripto, b) *vel officio,* quod sit tale « lato vel stricto sensu » (can. 145, § 1), *collato, cui* tamen *ex sacris canonibus,* v. gr. officio parochi ex can. 1344, § 1, officio canonici theologi ex can. 400, § 1, etc. *praedicandi munus inhaereat.*

[1] 22 Febr. 1418. — [2] II ad Cor. V, 20.

Ex his patet revera privilegium esse contra hunc canonem illud concessum S. R. E. Cardinalibus (can. 239, § 1, 3°) « Verbum Dei ubique praedicandi », et extensum Episcopis sive residentialibus sive titularibus (can. 349, § 1, 1°) « cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci »; et hinc sequitur consensum huiusmodi non sufficere pro aliis.

CAPUT I.

De catechetica institutione.

CAN. 1329. - Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare.

CAN. 1330. - Debet parochus;

1° Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare:

2° Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent.

CAN. 1331. - Praeter puerorum institutionem de qua in can. 1330, parochus non omittat pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere.

CAN. 1332. - Diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet insuper parochus catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare.

CAN. 1333. - § 1. Parochus in religiosa puerorum institutione potest, imo, si legitime sit impeditus, debet operam adhibere clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium *doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint.

§ 2. Presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adiutores sunto, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis.

CAN. 1334. - Si, Ordinarii loci iudicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen regularis disciplinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis.

CAN. 1335. - Non solum parentes aliique qui parentum locum tenent, sed heri quoque ac patrini obligatione adstringuntur curandi ut omnes sibi subiecti vel commendati catechetica institutione erudiantur.

CAN. 1336. - Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent: et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur.

205. **Distributio Tituli in capita, et primi capitis inscriptio.** Ex diverso fine, quem intendit verbi divini praedicator, exurgit triplex ordo canonum. Quandoque institutionem fidelium circa credenda et agenda prosequitur praedicationis minister, et hinc *Caput I. De catechetica institutione.* Ut plurimum ad exhortationem fidelium, ut secundum fidem hi operentur, saltem implicite contendit sermo Dei « vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti »,

ac propter hoc inscribitur *Caput II. De sacris concionibus*. Denique invenimus *Caput III. De sacris missionibus*, quatenus per eas in plures dies protractas ac ex propositione veritatum aeternarum ut dicitur, uberior et firmior fructus quaeritur.

206. **Inscriptio Capitis et ordo canonum.** *Caput I* est *De catechetica*, seu in christiana doctrina *institutione*, scilicet: ad mentis eruditionem circa ea, quae ab omnibus christianis credenda explicite, agenda ex praeceptis Dei et Ecclesiae, suscipienda sacramenta, et speranda sunt, idest: per orationem expostulanda. — Ordo canonum sequens est. Postquam in can. 1329 edicitur, quibus hoc gravissimum incumbat officium, tres sequentes can. 1330-1332 parochi obligationes statuunt, cui adiutores dantur liberi seu obligati per can. 1333, obligationem quoque in casibus imponit religiosis can. 1334, dum can. 1335 curam parentum ac similium urgent et can. 1336 iura Episcoporum in hac re definit.

207. **Quorum est dare catecheticam instructionem?** Ex Litteris encycl. Pii X « Acerbo nimis » [1] desumemus commentarium *can.*[s] *1329*. « Dabo vobis, sic nempe Deus per Ieremiam promittebat, pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina » [2]. *Proprium ergo ac gravissimum officium*, seu habitualis obligatio, nam in cit.[s] Litt.[s] legimus: « Unde merito scripsit Bened. XIV decessor Noster: Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur ». Illud « officium » *pastorum praesertim animarum* est, nam sacerdotes quoslibet ad eam scientiam impertiendam destinat Deus: « Et legem requirent ex ore eius (nempe sacerdotis): quia angelus Domini exercituum est ». — Obiectum denique officii *est catecheticam populi christiani*, omnium enim christianorum *institutionem* per se vel per alios peragendam *curare* exemplo Iesu Christi, qui de se per Isaiam professus est: « Evangelizare pauperibus misit me ». — « Hoc scilicet catechistae munus est, veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus

[1] 15 Apr. 1915. — [2] Ier. III, 15.

agenda praecepit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis sacris, vel ex ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur ».

208. **Instructio puerorum ad sacramenta rite suscipienda.** Ex litteris cit.ª « Acerbo nimis » numeri II ac III translati fuerunt in *can. 1330. Debet* ratione officii *parochus,* seu quisquis animarum curam gerit ad normam can. 451 : — *1.° Statis* iure ac forsan consuetudine aut per dioecesana statuta *temporibus*, v. gr. occasione visitationis dioecesanae ad normam can. 785, vel ante « hebdomadam Pentecostes » (can. 790), *continenti per plures dies institutione,* quantum opus fuerit pro puerorum circumstantiis, *pueros* utriusque sexus, *a*) « postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis (illi) pervenerint » (can. 906) seu *b*) « ad septimum circiter aetatis annum » (can. 788), *ad sacramenta* a) *poenitentiae* etiam primo *et* b) *confirmationis rite*, nempe: valide et cum fructu *suscipienda singulis annis* ratione diversorum, qui praedictam aetatem attingunt, vel ea sacramenta suscipere fortassis neglexerunt, *praeparare; — 2.° Peculiari omnino studio,* quia influit valde in vitam christianorum singulorum prima communio, et propter ipsius Domini Iesu primum ad animam accessum, *praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore*, quia « omnis fidelis, postquam ad rationis usum pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere » (can. 859, § 1), « aptis praeceptionibus et hortationibus » (litt.ª cit.ª n. III) *pueros* utriusque sexus *sic instituere* quoad illud suscipiendum sacramentum, *ut sancte*, prout tractari debent, *Sancta primum de altari libent.*

209. **Perfectior puerorum instructio.** In Dec.° « Quam singulari » S. Congr.ª de disciplina Sacramentorum [1] legitur sub num. VI... « Meminerint praeterea quibus ea cura est, gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorumdem religiosae institutioni alio modo suppleant ». Huic monito circa officium adhuc vigens, utpote divini iuris, concordat *can. 1331. Praeter puerorum*

[1] 8 Aug. 1910, CO. II, 582.

institutionem catecheticam *de qua in can. 1330* praec.[1], *parochus* declaratus in can. 451 *non omittat,* prout tenetur in genere vi can. 1329, *pueros* in can. praec. declaratos, *qui primam communionem recenter receperint,* unde sequens instructio ad aliquod tantum tempus est protrahenda vi huius canonis, a) *uberius* propter ampliorem doctrinam b) *ac perfectius* circa ea quae iam didicerunt pueri, *catechismo* iuxta significationem in capitis inscriptione traditam *excolere* in mente ac corde.

210. **Adultorum instructio catechistica.** Id quod a Conc. Trid.[1] circa pueros erudiendos statutum est quoad temporis determinationem, per litt.ª cit.ª n. VI adultis aptatum est. Hoc praescriptum litt.ᵐ aplcᵘᵐ. « Acerbo nimis » refert *can. 1332.* « Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione »: *Diebus dominicis aliisque festis de praecepto,* prout hi recensentur can. 1247, § 1, *ea hora quae suo,* nempe: « parochi » ut infra, *iudicio magis apta sit ad populi,* ob cuius utilitatem id praescriptum est, *frequentiam* obtinendam, *debet insuper* scilicet: « praeter consuetam homiliam de Evangelio » (can. 1344, § 1), ac proprie ob contextum « praeter puerorum institutionem » praescriptam in canonibus antea positis, *parochus* (can. 451) *catechismum* videlicet: « totam materiam pertractet, quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae, qua in re Catechismo Tridentino (laudabiliter) utetur » instruendis *fidelibus adultis*, « facili quidem *sermone* et *ad eorum captum accomodato* iuxta « catechistae munus » ad can. 1329 propositum *explicare.*

211. **Adiutores parochorum in catechismo tradendo.** Instituto patrini patet catecheticam instructionem non esse in Ecclesia laicis alienam, quando christianae doctrinae elementa omnibus scitu necessaria traduntur pueris. Idipsum confirmat *can. 1333, § 1*, desumptus ex litt.ª saepius cit.ª « IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae Christianae ». Quod praescriptum viget moderatum ad normam can. 711 § 2. « Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates sanctissimi Sacramenti, ac doctrinae christianae ». — Prosequebatur Pius X s. m.

[1] Sess. XXIV, cap. 4.

« Ea (confraternitate) parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt ». Haec omnia sic moderata sunt in Codice: *Parochus* ad normam can. 451, *in religiosa puerorum institutione* ad excludendam adultorum instructionem catecheticam, quae saltem ob frequentiam et modum est proprie verbi Dei praedicatio, *potest*, quia licita laicis, *imo* consequenter, *si legitime* seu iuxta leges *sit impeditus*, v. gr. ob magnum puerorum numerum, tunc in can.^m praecedentium adimplementum *debet operam* equidem sub eius directione *adhibere clericorum,* utpote « sacris ministeriis addictorum per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *in paroeciae territorio degentium*, quo casu per canonem huic muneri addicuntur, *aut etiam* cum his vel in horum defectu, *si necesse sit, piorum laicorum*, eo quod agatur de pietatis munere, *potissimum,* quia iam in hoc magisterium voluntaria propensione praeditorum, nempe: *illorum qui in pium sodalitium doctrinae christianae,* quod est « ad modum organici corporis constituta associatio fidelium ad exercitium huius operis pietatis » (can. 707, § 1), *aliudve simile* propter finem *in paroecia* qua ecclesia *erectum, adscripti sint*, quia quodammodo sunt in hoc munus deputati per voluntariam adscriptionem in tali approbata per Ecclesiam associatione.

Obligationem vero sequentibus solummodo imponit § *2. Presbyteri*, propter sacram eorum ordinationem *aliique clerici* ratione clericatus, *nullo legitimo* seu iuxta ss. canones *impedimento detenti, proprio parocho,* quia eius ecclesiae addicti vel saltem ad normam can. 94, *in hoc sanctissimo opere*, eo quod gloriae Dei salutique animarum est summopere proficuum, *adiutores sunto*, videlicet: obligantur vi canonis ad praedictam « operam » forsan requisitam a parocho vel propter necessitatem, quae obligatio supponitur in clausula: *etiam sub poenis ab Ordinario infligendis,* si quocumque praetextu renuant.

212. **Adiutorium religiosorum.** Novus est *can. 1334. Si, Ordinarii loci* non solum parochi *iudicio*, cui proinde deferendum est, *religiosorum* « sive religionis clericalis, sive laicalis » (can. 488, 4°) *auxilium, ad catecheticam populi,* puerorum igitur et adultorum *institutionem sit necessarium,* nec sufficit utilitas etiam

populi vel parochi, clericorumve, a) *Superiores religiosi*, etsi locales, hi obligantur, *etiam exempti* iure ut « regulares » (can. 615), vel ob « privilegium specialiter eisdem concessum » (can. 618, § 1), b) *ab eodem Ordinario* (non solum a parocho) *requisiti*, *tenentur*, sed adimplent obligationem c) *per se vel per suos subditos* eorum nempe auctoritati, etiam non clericos, sed *religiosos* « qui vota nuncuparunt in religione » (can. 488, 7°), d) *sine tamen regularis disciplinae detrimento*, quod Superiorum iudicio ac per eorum curam vitandum relinquitur, e) *illam*, nempe: catecheticam instructionem *populo* ut supra declaratum est *tradere, praesertim,* eo quod difficultates quae possent alias proponi sic removentur, *in propriis ecclesiis*, quia facile « regularis disciplinae detrimento » vitando sic providetur.

213. **Obligatio parentum, herorum et patrinorum.** Causa instructionis catechismi impertiendae sunt obligati praedicti, sed huius obligationis fructus ab aliis quoque pendet. Propter hoc edicit *can. 1335. Non solum* iure divino a) *parentes* b) *aliique qui parentum locum tenent* ex illorum voluntate vel a lege quoad filiorum educationem, *sed* c) *heri quoque* iuxta sententiam Pii X in litt.ᵉ encycl.ᵉ « Editae saepe » [1]: « Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio Pastor ille sanctissimus (S. Carolus Borromaeus) eosdem constanter monuerit ut liberis, domesticis, famulis addiscendae christianae doctrinae, non solum copiam facerent, (nam pro heris « obligatio est iustitiae operariis ac domesticis concedere libertatem ad implenda religionis officia » ex Leonis XIII litt.ᵉ encycl.ᵉ « Rerum novarum ») [2] sed etiam onus imponerent ». — Addit canon: *ac* d) *patrini* ad normam, et vi can. 769 *obligatione adstinguntur curandi ut omnes sibi*, respective illis sub a) b) et c) *subiecti vel* his sub d) *commendati catechetica institutione* a parocho vel in scholis, vel privatim per se aut per alios idoneos *erudiantur* quantum indigeant.

214. **Ordinariorum ius** prono fluit alveo ex can. 1327, quod ampliatur ius in *can. 1336. Ordinarii loci* (can. 198, § 2) *est* ius ac officium *omnia in sua dioecesi,* « cuius nomine in iure venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215 § 2), *edicere* pro pastoris modo *quae ad populum* sibi « commissum praecipue »

[1] 26 Maii 1910, CO. II, 369. — [2] 15 Maii 1891.

(can. 1327, § 1) *in christiana doctrina instituendum* pro sacrorum canonum huius Capitis adimplemento *spectent;* indeque obligationem enasci prosequitur canon dicens: *et etiam*, quia ceteri clerici ac laici, religiosive subditi subintelliguntur, a) *religiosi exempti* declarati sub can. 1334, b) *quoties non exemptos docent*, subditos nempe Episcopi, ac est prudenter hoc dictum propter « christianae catechesis habendam instructionem pro conversis et familiaribus » (can. 509 § 2), quam « curent Superiores locales ». c) *eadem*, quae Ordinarius loci edixerit, ut supra, *servare tenentur* ob huius canonis praescriptum. Atque « in his religiosi possunt ab eodem etiam poenis coerceri » (can. 619), quamvis in casu locus esset tantum poenitentiis et remediis poenalibus.

CAPUT II.

De sacris concionibus.

Can. 1337. - Tum clericis e clero saeculari, tum religiosis non exemptis facultatem concionandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius.

Can. 1338. - § 1. Si concio habenda sit tantum ad religiosos exemptos aliosve de quibus in can. 514, § 1, facultatem concionandi in religione clericali dat eorum Superior secundum constitutiones; qui in casu potest eam concedere etiam iis qui de clero saeculari vel de alia religione sunt, dummodo a proprio Ordinario vel Superiore fuerint idonei iudicati.

§ 2. Si concio habenda sit ad alios, vel etiam ad moniales regularibus subiectas, facultatem religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo concio fiet; concionator autem, verba facturus monialibus exemptis, licentia Superioris regularis praeterea indiget.

§ 3. Facultatem vero concionandi apud sodales religionis laicalis, quamvis exemptae, dat loci Ordinarius; sed concionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi assensu.

Can. 1339. - § 1. Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi, sine gravi causa, ne denegent, concessamque ne revocent, praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus, firmo tamen praescripto can. 1340.

§ 2. Concionatoribus religiosis, ut facultate recepta uti liceat, opus est praeterea sui Superioris licentia.

Can. 1340. - § 1. Graviter onerata eorum conscientia, loci Ordinarius vel Superior religiosus facultatem vel licentiam concionandi cuiquam ne concedant, nisi prius constet de eius bonis moribus et de sufficienti doctrina per examen ad normam can. 877, § 1.

§ 2. Si, concessa facultate vel licentia, compererint necessarias dotes in concionatore desiderari, debent eam revocare; in dubio de doctrina, debent certis argumentis dubitationem excutere, novo etiam examine, si opus fuerit.

§ 3. Ob revocatam concionandi facultatem vel licentiam, datur recursus, sed non in suspensivo.

Can. 1341. - § 1. Sacerdotes extradioecesani sive saeculares sive religiosi ad concionandum ne invitentur, nisi prius licentia ab Ordinario loci in quo concio habenda sit, obtenta fuerit; hic autem, nisi eorum idoneitatem aliunde compertam habeat, licentiam ne concedat, nisi prius bonum testimonium super concionatoris doctrina, pietate, moribus a proprio eiusdem Ordinario habuerit; qui, graviter onerata conscien-

tia, secundum veritatem respondere tenetur.

§ 2. Licentiam tempestive petere debet parochus, si agatur de paroeciali ecclesia aliave eidem subiecta; rector ecclesiae, si de ecclesia parochi auctoritati non obnoxia: prima dignitas, de Capituli consensu, si de ecclesia capitulari; moderator seu cappellanus confraternitatis, si de ecclesia eiusdem confraternitatis propria.

§ 3. Si ecclesia paroecialis sit simul capitularis aut confraternitatis propria, ille licentiam petat, qui sacras functiones iure peragit.

Can. 1342. - § 1. Concionandi facultas solis sacerdotibus vel diaconis fiat, non vero ceteris clericis, nisi rationabili de causa, iudicio Ordinarii et in casibus singularibus.

§ 2. Concionari in ecclesia vetantur laici omnes, etsi religiosi.

Can. 1343. - § 1. Ordinarii locorum ius habent concionandi in qualibet sui territorii ecclesia, quamvis exempta.

§ 2. Nisi agatur de magnis civitatibus, potest quoque Episcopus prohibere ne in aliis eiusdem loci ecclesiis verba fiant ad fideles, quo tempore vel concionem ipse habet vel coram se, ex causa publica atque extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat.

Can. 1344. - § 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

§ 2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam.

§ 3. Potest Ordinarius permittere ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur.

Can. 1345. - Optandum ut in Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat: quod si loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis.

Caput II. De sacris concionibus —
- — quoad facultatem concedendam —
  - — a quo —
    - — ratione territorii » 1337
    - — pro diversitate auditorum » 1338
  - — normae servandae —
    - — si detur religiosis » 1339
    - — ante ac post concessionem » 1340
  - — petitio praevia per quem facienda » 1341
  - — quibus tantum personis » 1342
- — habendis —
  - — per Episcopum vel coram eo » 1343
  - — per parochos » 1344
  - — intra missas diebus festis de praecepto » 1345
  - — tempore Quadragesimae et Adventus » 1346
- — perficiendis quoad earum obiectum » 1347
- — frequentandis per fideles » 1348

Can. 1346. - § 1. Curent locorum Ordinarii ut tempore Quadragesimae, itemque, si id expedire visum fuerit, tempore Adventus, in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae conciones frequentius ad fideles habeantur.

§ 2. Canonici aliique de Capitulo huic concioni, si in propria ecclesia continuo post chorum habeatur, interesse tenentur, nisi iusto impedimento detineantur; et illos Ordinarius, poenis quoque adhibitis, ad id adigere potest.

Can. 1347. - § 1. In sacris concionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet.

§ 2. Divini verbi praecones abstineant profanis aut abstrusis argumentis communem audientium captum excedentibus; et evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant, non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes,

§ 3. Si, quod absit, concionator errores aut scandala disseminet, servetur praescriptum can. 2317; si haereses, in eum praeterea, ad normam iuris, agatur.

Can. 1348. - Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris concionibus frequenter intersint.

215. **Inscriptio Capitis et canonum coordinatio.** Sequitur considerandum *Caput II. De sacris* propter materiam et potestatem qua fiunt, *concionibus,* seu publicis propter circumstantem multitudinem discursibus. Quinam pro diversis dare possint facultatem concionandi designantur can. 1337, 1338, normas in hac concessione servandas praescribunt can. 1339, 1340, propter quas subnectitur can. 1341 de eo, qui pro casuum diversitate petat illam facultatem, et can. 1342 de illo pro quo peti queat. De concionibus habendis statuunt can. 1343-1346, prout hae habeantur ab Episcopo vel coram eo, a parochis, in Missis, vel tempore Quadragesimae et Adventus; de concionibus vero pro diversa earum materia est can. 1347 et ultimus can. 1348 de monitione ac adhortatione fidelium.

216. **Necessitas missionis ad legitimum praedicationis ministerium.** Conc. Trid. [1] definivit: « Si quis dixerit,... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit ». Item in Conc. Constantiensi iam fuerat damnata prop. 14 Io. Wicleff sequentis tenoris: « Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae sive Episcopi catholici ». — Consonat damnatio haec textui cap. 13, §. « Quia vero » De haereticis. (V. 7): « nonnulli sub specie pietatis, virtutem eius (iuxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant praedicandi: cum idem Apostolus

[1] Sess. XXIII, can. 7.

dicat: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? omnes, qui prohibiti vel non missi praeter auctoritatem ab Apostolica Sede vel catholico Episcopo loci susceptam, publice vel privatim, praedicationis officium usurpare praesumpserint »... etc.

Hoc tamen praedicationis ministerium ad ordinem ut est officium esse attribuendum videtur probari posse et inferri ex doctrina Angelici Doctoris [1]: « ... cum consecratio quae fit in ordinis sacramento, ordinetur ad sacramentum Eucharistiae,... ille est principalis actus uniuscuiusque ordinis, secundum quem magis proxime ordinatur ad Eucharistiae sacramentum. Et secundum hoc etiam unus ordo est alio eminentior, secundum quod unus actus magis de proximo ad praedictum *sacramentum* ordinatur. Sed quia ad Eucharistiae sacramentum, quasi dignissimum, multa ordinantur: ideo non est inconveniens ut praeter principalem actum, etiam multos actus unus ordo habeat, et tanto plures, quanto est eminentior, quia virtus quanto est superior, tanto ad plura se extendit ».

Porro « doctrina est remota praeparatio ad sacramentum suscipiendum, et ideo (praedicatio sacerdoti, sicut) pronunciatio doctrinae ministris committitur ».

Sacerdos et diaconus, « quantum ad secundarios actus dependent circa eorum potestates ab aliqua superiori potestate et humana. Omnis enim potestas quae non potest exire in actum, nisi praesuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quae illas ordinationes facit ». Et huiusmodi est ministerium praedicationis propter ipsius institutionem.

« Haec igitur prima lex sanciatur, ut munus praedicationis sua sponte suscipere liceat nemini; sed ad illud exequendum cuivis opus sit missione legitima, quae, nisi ab Episcopo, dari non potest: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? ». Quae confirmat Bened. Papa XV testimoniis S. Scripturae in const. « Humani generis Redemptionem » [2].

217. **Potestas dandi missionem ad praedicandum.** In normis S. Congr. Consist.^s praemittitur sub n.° 3. « Parochi, vi missionis habitae in eorum electione, sicut ad confessiones excipiendas habilitantur, ita etiam facultate concionandi gaudent, salva quidem lege residentiae salvisque conditionibus ceteris, quas Ordinarius ne-

[1] Suppl. q. XXXVII, a. 4 et q. XL art.^s 4 et 5. — [2] 15 Iun. 1917, CO. IX, 305.

cessario vel utiliter apponendas censuerit. Idem de Canonico Theologo dicendum quoad lectiones Scripturae Sacrae ».

Postea traditur summarie potestas praedicta: « 4. In reliquis casibus universis, ad praedicandum populo fidelium in publicis templis vel oratoriis, etiam regularium, et a sacerdotibus etiam regularibus, necesse est ut facultas obtineatur ab Ordinario dioecesis ». Praedicatores verbi Dei respicit *can. 1337. Tum* a) *clericis*, nam « concionari vetantur laici omnes » can. 1342, § 2, *e clero saeculari, tum* supple « clericis » b) *religiosis*, nempe: « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), quia praescriptum est (can. 565, § 3): « Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis », *non exemptis* ab Ordinarii iurisdictione, a) *facultatem concionandi,* qua « missionem » necessariam hi omnes recipiunt (can. 1328), b) *pro suo territorio*, sive dioecesis sit, sive Abbatia vel Praelatura nullius, sive Vicariatus, aut Praefectura Apostolica, *solus*, quibuscumque aliis exclusis Praelatis, *concedit loci Ordinarius*. Ita ex Conc. Trid. [1]: « Mandat (S. Synodus) ut in Ecclesia sua ipsi (Episcopi) per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis officium assument; in aliis autem Ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopis... deputandos, in civitate aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem dominicis et solemnioribus diebus festis... sacras Scripturas divinamque legem annuntient ».

218. **Facultas vel licentia concionandi pro diversitate auditorum concedenda.** Cum antiquo iure fere omnino concordat *can. 1338, § 1. Si concio habenda sit tantum*, exclusis ergo aliis auditoribus, sed non obstat si unus vel alter adfuerit, *ad religiosos exemptos*, sive « regulares » (can. 615) sive « religionis votorum simplicium cui specialiter fuerit concessum exemptionis privilegium » (can. 615, § 1), *aliosve de quibus in can. 514, § 1*, nempe: praeter « novitios », ceteros « in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis » (can. 514 § 1), a) *facultatem concionandi* etiam intra ecclesiam vel oratorium publicum, b) *in religione clericali* scilicet: in huius locis exemptis *dat eorum* auditorum domus *Superior* localis vel maior *secundum constitutiones* servandas quoque circa

[1] Cap. 4 sess. XXIV de Ref.

conditiones concessionis. Additur notabilis potestas, cui si « constitutio singularum religionum opponitur. abrogata est » (can. 489). Prosequitur enim canon: *qui* declaratus Superior *in casu* singulari *potest eam*, scilicet: praedictam facultatem *concedere etiam iis qui* a) *de clero saeculari* b) *vel de alia religione sunt*, cum hac conditione respectiva: *dummodo a proprio* propter subiectionem *Ordinario*, si de clero saeculari fuerit, *vel Superiore*, si de religioso concionatore agatur, *fuerint idonei* ad conciones habendas *iudicati*. Hoc iudicium efformare queunt ex aliorum testimonio.

§ *2. Si concio habenda sit ad alios*, praeter auditores in §° 1° designatos, aut simul cum ipsis, b) *vel etiam ad moniales* cum votis sollemnibus de facto, vel cum votis simplicibus, *regularibus subiectas*, proinde quoque exemptas, *facultatem* concionandi, non solam « benedictionem, antequam praedicare incipiant in ecclesiis suorum ordinum » [1], propter quod dicitur: *religiosis quoque exemptis*, ac fortiori ratione aliis *impertit Ordinarius loci in quo* idest: intra cuius limites sita est ecclesia vel oratorium ubi *concio fiet*. Tantummodo quidquam aliud necesse est aliquando, scilicet: *concionator autem, verba facturus monialibus exemptis*, praecise harum intuitu personarum, *licentia Superioris regularis* earum *praeterea indiget*.

Propter verba §[i] 1[ae] « in religione clericali » suum locum exquirit in canone § *3. Facultatem vero concionandi apud sodales religionis laicalis*, *quamvis exemptae*, qui remanserunt exclusi ab statuto §[i] 1[ae], et propter quos fuit positus hic paragraphus, a fortiori applicandus sodalibus religionis cuiuscumque non exemptae, *dat* facultatem *loci Ordinarius* ad normam can. 198 § 2; *sed concionator nequit facultate* obtenta propter quam « concionator » proprie dictus est, *uti sine Superioris religiosi assensu* ad cuius subditos praedicaturus est.

219. **Denegatio aut revocatio religiosis facta de facultate concionandi.** Quod statutum fuerat in praec. iure circa confessariorum regularium approbationem ad audiendas confessiones, atque ob rationis paritatem, extenditur et ad verbi Dei praedicationem et quoad omnes pariter religiosos. — *Can. 1339.* § *1. Ordinarii locorum* ob can. 1337 *religiosis* « qui vota nuncuparunt

[1] Cap. 2 sess. V de Ref.

in aliqua religione » (can. 488, 7°) *qui a proprio Superiore* quamvis locali *exhibeantur*, quod verbum proprie innuit verba Conc. Trid. [1]: « cum qua licentia (regulares cuiuscumque ordinis) personaliter se coram episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, (quod ultimum laudabiliter nunc servaretur), antequam praedicare incipiant ». Sic ergo exhibitis a) « religiosis » b) *facultatem concionandi,* c) *sine gravi causa,* eorumdem Ordinariorum ponderanda iudicio, a) *ne denegent*, b) *concessamque ne revocent* supple: « sine gravi causa ». Huic praescripto non contradicet loci Ordinarius, si normam servet citandam in sequenti canone; alias posset fieri recursus in devolutivo contra facultatis denegationem idque ad S. Congr.^m^ de religiosis. Duplex praescriptum canonis servandum dicitur *praesertim una simul* moraliter, etsi parvum temporis intercedat, *universis domus religiosae*, nempe: « alicuius religionis in genere » (can. 488, 5°), *sacerdotibus* ob can. 1342, §^m^ 1, *firmo tamen praescripto* etiam huic ultimae prohibitioni applicando *can.*^is^ *1340* statim commentando.

Monitionem continet § *2. Concionatoribus religiosis,* propter obedientiam, quam Superioribus professi sunt, *ut facultate recepta* fortassis motu proprio Episcopi, dum haec ab eis possidetur, *uti liceat*, idest: ne peccent tali usu, *opus est* eis *praeterea sui Superioris* saltem localis, sed ad constitutionum normam ac vi earum, *licentia*. Haec potest esse expressa, tacita, imo ex circumstantiis praesumpta sufficiet, quae perdurare oportet simul cum facultate ad huius ministerii licitum exercitium.

220. **Concessio aut revocatio in genere praefatae facultatis.** Ex Normis cit.^s^ n. « 13. Generatim loquendo sicut ad tribuendam sacerdoti cuivis facultatem pro ministerio excipiendi fidelium confessiones Ordinarii arctissime obligantur certitudinem acquirere de eius idoneitate et culpa se innexos reputarent si ad tantum munus admitterent qui moribus foret indignus, vel scientiae debitae defectu incapax; ita et non aliter iidem Ordinarii debent se gerere, antequam aliquem assumant et destinent ad ministerium verbi ». — Ita nempe statuit *can. 1340. § 1. Graviter onerata eorum*, qui statim nominantur, *conscientia*, hinc est grave vetitum respectu unius etiam concionatoris, a) *loci Ordinarius* can. 198,

[1] Cap. 2 sess. V de Ref.

§ 2) b) *vel Superior religiosus* respective, ille semper *facultatem,* nisi « concio habenda sit tantum ad religiosos exemptos aliosque de quibus in can. 514 § 1, in religione clericali », nam tunc solum « dat eorum Superior » secundum constitutiones « facultatem » concionandi, *vel* in aliis casibus « Superior religiosus » dat *licentiam concionandi,* scilicet: quando « concionator (quilibet) verba facturus est monialibus exemptis » (can. 1338 § 2), ac semper « concionatoribus religiosis (ipsius subditis), ut facultate recepta uti liceat » eis (can. 1339, § 2). Praedicti ergo, ut supra explicatum est, *cuiquam ne concedant, nisi prius constet* concedentibus morali certitudine *de eius* nempe: concionatoris a) *bonis moribus* b) *et de sufficienti doctrina* scilicet: « scientia et idoneitate », quoad has *per examen* proprie dictum *ad normam can. 877,* § *1,* idem praescribentis circa « iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum concedendam », seu ut aiunt Normae n. 10: « secundum praescriptiones quae sequenti capite tradentur: si vero agitur de sacerdotibus extradioecesanis vel de religiosis cuiuscumque Ordinis, nisi prius respectivum Ordinarium et Superiorem interpellaverint ac responsionem favorabilem habuerint ».

Nec omittendum hic n. « 12. Ordinarius qui, ob informationes ut supra acceptas aut aliam ob causam, censuerit in Domino concionandi facultatem alicui denegare, sufficit ut idipsum petenti facultatem significet quin aliud addat, *soli Deo rationem de sua sententia redditurus.*

Normae sequendae pro canonis observantia circa praefatam facultatis concessionem sunt sequentes: 14. 15. 16. 17. 18.

§ *2. Si, concessa facultate vel licentia* ad normam praec.[e] §[i] canonis, vel etiam illicite contra normas de sacra praedicatione, *compererint* « Ordinarii vel Superiores religiosi », qui alterutram concesserint, *necessarias* (non iam mediocres) *dotes,* « pietatem, scientiam atque idoneitatem » (Normae n. 11) *in concionatore,* qui facultatem vel licentiam obtinuit, *desiderari,* tunc *debent* qui concesserunt alterutram, *eam revocare,* idest: concionatorem « facultate vel licentia » privare, idque eidem intimare. Verbum tamen « compererint » certitudinem moralem requirit, quia subdit canon: *in dubio de doctrina, debent certis argumentis dubitationem excutere,* unde peccarent voluntarie « in dubio » perseverantes, *novo etiam examine,* idest: non obstante quod primum examen fortassis

subierit concionator ad normam § 1ae; sed hoc novum fiet tantummodo: *si opus fuerit* ad dubium excutiendum.

Normae huiusmodi revocationis quoad facultatem concionandi exhibentur capite IV illarum: « Cui et quomodo interdicenda praedicatio. 29. Concionatores, qui praescriptiones superiori capite editas (de servandis et vitandis in sacra praedicatione) negligant »,... usque ad 33.

Opportuna sunt verba Conc. Trid. [1]: « Curent autem episcopi, ne quis praedicator vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, iustamve de eis conquerendi occasionem habeat ». Propterea contra potestatis abusum in hac parte edicit § *3. Ob revocatam* absolute vel ad tempus, (non ob denegatam etiamsi omnino, nisi agatur de religiosis « qui a proprio Superiore exhibeantur » ad obtinendam) *concionandi* a) *facultatem* b) *vel licentiam*, quamvis a loci Ordinario concessam pro dioecesi sua sacerdoti extradioecesano vel religioso exempto, quandocumque revocatione supra declarata concionator se gravatum existimet, *datur recursus* Superiori maiori vel Sedi Apostolicae nempe: respective S. Congr. de religiosis, vel S. Congr. Concilii, *sed non in suspensivo*. Sic enim legitur in Conc. Trid. [2]: « Nullus autem saecularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente episcopo, praedicare praesumat ».

221. **Licentia Ordinarii loci ad concionandum petenda.** Congruenter canoni 1337, pro « facultate concionandi » forsitan alia in dioecesi obtenta vel in exempta religione, « licentiam » dicit necessariam *can. 1341. § 1. Sacerdotes extradioecesani* a) *sive saeculares*, quia alteri dioecesi adscripti, b) *sive religiosi* pertinentes ad familiam cuius domus extra dioecesim sita est, *ad concionandum ne invitentur*, haec invitatio prohibetur, *nisi prius licentia* concionandi *ab Ordinario loci in quo* « territorio » *concio* etiam unica *habenda sit*, non solum petita, *sed* iam de facto *obtenta fuerit*, quae in casu « scripto tribuenda erit, designato etiam loco et genere praedicationis, pro quibus concessa fuerit » (Normae n. 9). Huic vero licentiae sic aptatur can.s 1340 §s 1a: *hic autem*, scilicet: supradictus « Ordinarius loci », *nisi eorum* « extradioecesanorum » *idoneitatem* plenam supra declaratam ex Normis *aliunde*

[1] Cap. 2 sess. V de Ref. — [2] Cap. 4 sess. XXIV de Ref.

compertam certo *habeat, licentiam* de qua supra *ne concedat, nisi prius bonum testimonium super concionatoris doctrina, pietate, moribus* « et idoneitate » *a proprio eiusdem Ordinario habuerit*, nempe: dioecesis cui adscriptus sit, si agitur de clerico saeculari, vel in qua sita est domus, si sermo sit de religioso non exempto, a Superiore autem maiore, si concionator sit professus religionis clericalis exemptae, sed plenius loquuntur normae (n. 10): « nisi prius respectivum Ordinarium et Superiorem interpellaverint ac responsionem favorabilem habuerint ». — Demum gravem obligationem his etiam canon iniungit, dicens (Normis n. 11): « Ordinarius et Superior regularis (seu religiosus exemptus), *qui* ab alio Ordinario de informationibus interrogati fuerint circa pietatem, scientiam atque idoneitatem ad praedicandum cuiuspiam eorum subditi, tenentur sub gravi eas pro veritate tradere, secundum scientiam et conscientiam prout in canone praescribitur » his verbis: *graviter onerata conscientia, secundum veritatem respondere tenetur*. Quae clausula supponit quod interpellati fuerint, iuxta normam prius relatam.

§ *2*. (Normae n. 7). « Postulatio ad obtinendum concionatorem aliquem facienda est tempore utili et opportuno, ut Ordinarius commode queat informationes necessarias de eiusdem persona habere ». Hoc est: *Licentiam* de qua in §° 1ª *tempestive petere*, « hoc autem tempus, generatim loquendo, haud erit inferius duobus mensibus, uti iam statuit S. C. Concilii in Theanen [1]; salva tamen Episcopis facultate tempus aliud statuendi etiam brevius pro genere et qualitate praedicationis et pro qualitate concionatoris ». Praedictam « licentiam petere » *debet:* a) *parochus* ad normam can. 451, *si agatur de paroeciali ecclesia aliave eidem subiecta* ut plurimum intra paroeciae territorium; b) « et si agatur de parocho ecclesiae spectantis ad Capitulum vel ad Ordinem religiosum, idem parochus pro concionibus quae ab ipso pendent, secluso Capituli vel religionis interventu », (Normae, n. 5), c) *rector ecclesiae*, nempe: « qui sacras ibidem functiones de iure peragit », *si* agatur *de ecclesia parochi auctoritati non obnoxia*, « pro omnibus etiam ecclesiis corporationum moralium non clericalium, aut religionum laicalium, monialium, privatorum » (loc. cit.); d) « Superior re-

[1] 19 Aprilis 1728 et 30 Apr. 1729.

gularis (domusve religionis clericalis), servatis respectivi Ordinis vel Congregationis regulis, pro ecclesiis religionum clericalium »: e) *prima* Capituli *dignitas*, *de Capituli consensu*, non eodem tantum « audito » (can. 105, 1°), *si* sermo sit *de ecclesia capitulari*, tum cathedrali, tum collegiali, « pro praedicationibus, quae ex lege vel voluntate Capituli fiant in ecclesia propria » (loc. cit.); f) *moderator*, qui vocatur quoque « sacerdos primicerius », *seu capellanus confraternitatis* cuiuslibet ad normam can. 767 § 2, *si* « agatur » *de ecclesia* ipsius *confraternitatis propria*.

§ *3. Si ecclesia paroecialis sit simul* a) *capitularis* ob cathedrale vel collegiale capitulum in eadem existens, b) *aut confraternitatis propria*, et quamvis videantur excludi confraternitates « in ecclesiis non suis erectae », attamen comprehenduntur quoad « proprias functiones ecclesiasticas in sacello tantum vel altari, in quo sunt erectae, quia eas independenter a parocho peragere possunt » (can. 717, § 1). In praedicta ergo duplici hypothesi, sicut in alia posita sub litera b) praec.e §[1], *ille licentiam petat* iuxta cit. §[1] praescriptum, *qui sacras functiones* in quibus fit concio, *iure peragit*.

(Normae) « 6. Ad tramitem decisionum S. C. Concilii in Sutrina, 8 Maii 1688, et in Ripana, 21 Maii 1707, qui praedictam facultatem postulat, debet tantum concionatoris nomen proponere, idque subordinate ad beneplacitum Ordinarii, qui solus uti potest verbis *eligimus et deputamus ad postulationem* N. N. etc. — 8. Quicumque, obligatione petendi facultatem posthabita, sacerdotem quempiam ad concionandum invitaverit; itemque sacerdos quilibet, qui tali modo invitatus scienter acceptarit et concionatus fuerit, puniendi sunt ab Ordinario poenis eius arbitrio statuendis, non exclusa suspensione a divinis ».

222. **Quibus personis dari queat facultas concionandi.** Pont.e Rom.m statuit Pontificem sic alloquuturum esse ordinandis: « Sacerdotem oportet praedicare..., sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei ». Item: « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare ».

Ferraris scripsit [1]: « Regulariter vero facultas praedicandi non conceditur, nisi sacerdotibus, vel saltem constitutis in ordine

[1] Prompta Biblioth. verb. praedicare; n. 21.

diaconatus; unde S. Congr. in una Caputaquen. 14 Dec. 1696 cuidam clerico Andreae Sanson aetatis annorum 21, licentiato in Philosophia et Theologia praedicare volenti tempore Quadragesimae in uno ex locis dictae dioecesis, et contra Episcopum ei talem licentiam denegantem ad dictam S. Congr.m pro facultate recurrenti respondit: Relata. — Et quod talis facultas non sit concedenda, nisi saltem constitutis in ordine diaconatus fuit expresse ordinatum in Edicto de mandato Clem. XI publicato die 20 Ian. 1705, ibi: Quello poi dovrà sermoneggiare, sarà almeno costituito nell'Ordine diaconale ».

In Decretalibus [1] legitur: « Sicut in uno corpore: Cum igitur nonnulli laici praedicare praesumant,... Nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi praecipuus, mandamus, quatenus cum alios Dominus Apostolos dederit, alios prophetas, alios vero Doctores, interdicas laicis universis, cuiuscumque ordinis censeantur, usurpare officium praedicandi ». Et etiam in Decreto [2] inquit Leo Papa: « Adiicimus illud etiam... et hoc specialiter constituentes, ut praeter Domini Sacerdotes nullus audeat praedicare, sive Monachus, sive Laicus ille sit, qui cuiuslibet scientiae nomine glorietur ».

Demum invenimus [3]: « Nova quaedam sunt nostris auribus intimata, quod Abbatissae... legentes Evangelium praesumunt publice praedicare. Cum igitur id absonum sit pariter et absurdum: Mandamus, quatenus ne id de cetero fiat, curetis firmiter inhibere. Quia licet B. V. Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni coelorum commisit ». Haec disciplina refertur in *can. 1342.* § *1. Concionandi facultas* necessaria ex can. 1328 *solis sacerdotibus vel diaconis fiat,* quos « oportet praedicare » secundum ordinationis ritum (Pont. Rom.), *non vero ceteris clericis.* Attamen quia etiam ipsi « divinis ministeriis... mancipati sunt » (can. 108, § 1), additur: *nisi* a) *rationabili de causa,* b) *iudicio Ordinarii* aestimanda c) *et in casibus singularibus*, idest: pro unaquaque concione.

Absoluta sequitur prohibitio sub § *2. Concionari in ecclesia vetantur laici omnes, etsi religiosi*, « qui nempe vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), etsi Superiores vel Ab-

[1] Capp. 12 et 14 tit. de haereticis 8 Lib. V. — [2] Cap. 19 caus. XVI q. 1. — [3] Cap. 10 de poenitentiis et remissionibus tit. 38 Lib. V.

batissae sint. Hi tamen non sunt prohibiti familiares habere instructiones vel exhortationes ad subditos extra locum proprie sacrum, nam « oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur » (can. 1191, § 1), quamvis illud faciant in oratorio eorum semipublico saltem non benedicto ecclesiarum more.

223. Ordinarii loci ius quoad conciones sacras. Quia « munus praedicandi commissum est praecipue Episcopis pro suis dioecesibus » (can. 1327 § 1), prouti declaratum est supra, imo « facultatem concionandi religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo concio fiet » ad eius subditos, consequitur iure quod exprimit *can. 1343*, § *1. Ordinarii locorum*, singuli ad normam can. 198, § 2, *ius habent* proprie dictum *concionandi in qualibet sui territorii ecclesia* et oratorio publico ad normam can. 1191 § 1, *quamvis exempta*. Sic enim est enunciatum axioma in reg. 9 iuris in 6°: « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur ».

In Clementinis [1] scriptum est: « ordinamus, ut dictorum ordinum fratres in ecclesiis et locis eorum, ac in plateis communibus libere valeant clero et populo praedicare, ac proponere verbum Dei, hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum praelati praedicare voluerint, vel coram se facere solemniter praedicari, in qua praedicare cessabunt: praeterquam si aliud de praelatorum ipsorum voluntate processerit ac licentia speciali ». Huic disciplinae conformis est sed generalior § *2. Nisi agatur de magnis civitatibus,* tunc enim cessant rationes quae afferri possunt in praescripti fundamentum, *potest quoque Episcopus* ultra ius praec.[i] §[1], item « Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215 § 2), « Vicarius vel Praefectus Apostolicus » (can. 294 § 1), *prohibere ne in aliis eiusdem loci*, nempe: civitatis, pagi, *ecclesiis* ac publicis oratoriis ob can. 1191 § 1 *verba fiant ad fideles* per concionem, catechesim, etc. *quo tempore* brevi aut longiori *vel concionem* ad populum *ipse habet*, a) *vel coram se* b) *ex causa publica atque extraordinaria* v. gr. belli, pestilentiae, centenarii alicuius, c) *convocatis fidelibus* v. gr. per affixionem ad valvas ecclesiarum, per concionatores tempore Quadragesimae, *habendam curat* saltem ob eius consensum.

[1] Cap. 2 de sepulturis tit, 7 Lib. III.

224. **Obligatio parochorum circa praedicationem.** Conc. Trid. [1] « mandat, ut in ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab episcopo impensis eorum qui eas praestare, vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte dioecesis, censebunt expedire, saltem omnibus dominicis, et solemnibus diebus festis.... sacras Scripturas, divinamque legem annuntient ». — Hoc praescriptum sic exhibet moderatum *can. 1334. § 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto* ad normam can. 1247 ibi explicatam, *proprium* ex praecepto divino quoad substantiam ratione curae animarum ei commissae, *cuiusque parochi* ad normam can. 451 *officium est,* seu habitualis obligatio, *consueta homilia,* scilicet: brevis tractus S. Scripturae seu Evangelii explanatione, et quoad tempus dicitur: *praesertim* quasi praeferendum *intra Missam*, nempe: post Evangelii lectionem, *in qua*, etsi a parocho non celebrata, *maior soleat esse populi frequentia.* ratione maioris fructus, *verbum Dei populo nuntiare*, quod verbum congruentem dictionis simplicitatem indicat.

Congruit decreto conciliari § *2. Parochus* ut in §° praec. *huic obligationi nequit*, quamvis de facto se gerat contrarie, *per alium habitualiter*, id est: frequentius *satisfacere,* unde consequitur posse quandoque, *nisi ob iustam* seu proportionatam *causam* v. gr. sanitatis, aliarum occupationum muneris, non a parocho existimatam esse huiusmodi, sed *ab Ordinario* (loci ex contextu) *probatam.*

In hac re § *3. Potest* adhuc licite *Ordinarius permittere*, veluti hunc canonem moderans in praxi, *ut sollemnioribus quibusdam festis* v. gr. Paschatis, Natalis Domini, *aut etiam*, dispensans in canone iuxta can. 81, 84, a) *ex iusta causa*, suo quidem iudicio, *aliquibus diebus dominicis,* etiam successivis et quantum esset per se gravis omissio, *concio* in §° 1ª praescripta *omittatur.* Hinc sequitur non satisfacere suae obligationi parochum, qui praedictis diebus omitteret « consuetam homiliam » proprio arbitrio etiam cum iusta causa, quae tamen ipsum excusaret semel aut iterum.

225. **Brevis evangelii explanatio in Missis publice celebratis.** Iuxta quarumdam regionum consuetudinem hinc approbatam edicit *can. 1345. Optandum* propter maximam inde ori-

[1] Cap. 4 sess. XXIV de Ref.

turam utilitatem, quin tamen iubeatur a canone, *ut* a) *in Missis*, v. gr. post primum Evangelium, *quae*, b) *fidelibus adstantibus*, seu publice et cum aliquo concursu, c) *diebus* tantum *festis de praecepto*, scilicet: ad normam can. 1247 etiam dominicis, d) *in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis*, non in semipublicis quibuscumque ac domesticis (can. 1188) *celebrantur*, *brevis* per decem circiter minuta *Evangelii* in Missa perlecti *aut alicuius partis doctrinae christianae*, alterius utrius pro libitu *explanatio fiat* lingua utique vernacula. — Sequitur praeceptiva pars: *quod si loci Ordinarius* canoni innixus a) *id praeceperit*, sicut hinc ius habet, b) *opportunis datis instructionibus* quoad praxim, *hac lege* quoad instructiones quoque servandas *tenentur, non solum sacerdotes e clero saeculari,* in quibuscumque ecclesiis celebrantes, utpote « loci Ordinario » subiecti, et quoad hoc (ut videtur mihi) « peregrini » quoque (can. 14 § 1. 2°) eiusdem idiomatis, *sed etiam religiosi*, non solum Ordinarii iurisdictioni subiecti, sed *exempti quoque*, *in suis ipsorum ecclesiis*, ac fortiori ratione celebrantes in aliis.

226. **Conciones tempore Quadragesimae atque Adventus.** Congruenter decreto supra cit.° Conc.ⁱ Trid.ⁱ iubet *can. 1346. § 1. Curent locorum Ordinarii* adimplementum iussionis sequentis: *ut tempore Quadragesimae* absolute, *itemque*, ast sub conditione: *si id expedire visum fuerit*, cessavit enim quod aiebant Conc. Trid. Patres: « *tempore* autem ieiuniorum, quadragesimae, et *Adventus* Domini », *in ecclesiis* a) *cathedralibus*, nec collegiales aut conventuales nominantur, sicut omissae fuerant in praec. iure, b) *et paroecialibus sacrae conciones* ad normam Capitis huius *frequentius* quoad dies *ad fideles* quoslibet convenientes *habeantur*. Non solum ad aliquos eorum coetus, nec determinatio dierum ex Conc. Trid. fuit retenta, videlicet: « quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus », quamvis etiam nunc sit norma directiva, sicut antea, subdente Concilio: « si ita oportere duxerint » Episcopi.

Declarationes ante Codicem confirmat § *2. Canonici*, qui « in qualibet ecclesia capitulari sint » (can. 393, § 1) *aliique de Capitulo*, tum dignitates, etsi « Capitulum his non constet, nisi aliud ex constitutionibus eruatur » (loc. cit. § 2), tum inferiores beneficiarii seu mansionarii, prout in praec. iure cautum erat, a) *huic concioni* de qua in §° 1° ratione temporis, b) *si in propria ecclesia*, vel ob eius defectum in alia « subrogata de consensu etiam ca-

pituli » iuxta Decl. S. R. C. in Callien [1]: « Canonicos teneri assistere cum habitu canonicali », c) *continuo post chorum habeatur* concio, singuli praefati *interesse tenentur, nisi iusto* seu proportionato *impedimento* physico vel morali *detineantur* ab exequendo praescripto; *et illos* singulos ac omnes *Ordinarius*, cui subiiciuntur, *poenis quoque adhibitis, ad id* praescriptum exequendum *adigere potest.* Non aliter « S. R. C. mandavit » in Castellaneten [2]: « Ut in futurum canonici et Praebendati reliqui Cathedralis Ecclesiae vel Collegiatae, si inibi conciones habeantur, interfuturi assistant, ordine sedentes, in proprio ac decenti scamno cum habitu chorali sub poenis Episcopo benevisis ».

227. **Quid in sacra praedicatione servandum sit vel vitandum.** Sub. § 1° n. 20, 21, sub. 2° num[i] distributi 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28. Praedicatores « possunt ac debent de se idem, quod Paulus, affirmare: *Pro Christo legatione fungimur.* Si autem legati sunt Christi, illud ipsum velle debent in legatione peragenda quod Christus voluit in danda; immo, quod ipse, dum vixit in terris, sibi proposuit. Neque enim Apostoli, et praedicatores post Apostolos, alio missi sunt, atque Christus. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Scimus autem cuius rei gratia Christus de coelo descenderit: aperte enim declaravit. *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, Ego veni, ut vitam habeant* ». Haec Bened. PP. XV in const. « Humani generis Redemptionem » [3]. Secundum illud ait *can. 1347.* § *1. In sacris concionibus* declaratis ad Capitis inscriptionem *exponenda in primis sunt* utpote ministerii essentialia obiecta, *quae fideles* a) *credere* b) *et facere ad salutem* animarum *oportet*, ut eam « quaerendo, Dei promoveant gloriam », secus agentem « declamatorem vaniloquum appellari licet, praedicatorem evangelicum non licet ». (Const. cit.).

Huic praescripto concinunt Normae S. Congr.[e] Consist., quando sub. n.° 20 dicitur: « Argumenta concionum sint essentialiter sacra ». Sed particula « in primis » adhibita in canone sic intelligatur. « Quod si concionator alia argumenta tractare voluerit non stricte sacra, semper tamen domui Dei convenientia, facultatem a loci Ordinario petere et obtinere debebit; qui quidem Ordinarius eam numquam concedet, nisi re mature considerata

[1] 22 Martii 1653. — [2] 1 Oct. 1661, n. 1217. — [3] 15 Iun. 1917, CO. IX, 310.

eiusque necessitate perspecta. Concionatoribus tamen omnibus de re politica in ecclesiis agere omnino et absolute sit vetitum.

21. Elogia funebria nemini recitare fas esto nisi praevio et explicito consensu Ordinarii, qui quidem, antequam consensum praebeat, poterit etiam exigere ut sibi manuscriptum exhibeatur ».

Enunciata concionum sacrarum materia, in canone proponitur complete perfectus praedicandi modus. § 2. *Divini verbi,* seu evangelii *praecones abstineant*, sicut ex ministerii natura profluit, a) *profanis* ad rem supernaturalem non pertinentibus b) *aut abstrusis* forsan theologicis *argumentis* sed *communem audientium* in singulis casibus *captum excedentibus;* « quamobrem concionator tam in ratiocinatione quam in linguae usu sese communi auditorum captui accomodet »; quae dos in omni concionum genere non est parvi momenti, adduntque Normae (n. 27): « quoad vero actionem ac recitationem, eam observet modestiam et gravitatem, quae illi convenit qui pro Christo legatione fungitur ». Reprobatur « hinc ille gestus non sedatus et gravis, sed qualis in scaena aut in concione populari solet agi,... illae vocis vel remissiones molliores, vel contentiones tragicae; illud orationis genus proprium ephemeridum,... denique illa et, quae ab eorum plerisque usurpatur volubilitas tanta verborum, qua obtundant quidem aures et admirationem moveant audientibus, sed nihil his boni afferant quod domum reportent ». Ita Bened. PP. XV in const. cit.

His cohaeret canon sic prosequens *et evangelicum ministerium*, uti Apostolus Praedicator veritatis de seipso testimonium perhibebat: a) *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, seu sicut exponit positive S. Congr. Consist.[8] (n. 22): « Concionator prae oculis semper habeat et in praxim deducat quae S. Hieronymus Nepotiano commendabat: « Divinas Scripturas saepius lege: imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Studio autem Scripturarum sacrarum iungatur studium Patrum ac Doctorum Ecclesiae ». Et prosequitur n.º 23. « Citationes ac testimonia scriptorum aut auctorum profanorum sobrietate summa adhibeantur, multoque magis dicta haereticorum, apostatarum et infidelium: numquam vero personarum viventium auctoritates proferantur. Fides et christiana morum honestas non his egent adsertoribus ac defensoribus ». Haec verba explicant alia canonis: b) *non in profano inanis et*

ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, propter quod in Normis scriptum est: « 24. Concionator ne plausus auditorum aucupetur, sed quaerat unice animarum salutem et commendationem a Deo atque Ecclesia. « Docente te in ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrimae auditorum laudes tuae sint ». (Hieron. ad Nepotianum). Hoc idem profert canon verbis D. Pauli: c) *sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant* sacri « praecones evangelicum ministerium ».

Memoratur in Normis (n. 25) « Usus, qui alicubi invaluit, ephemerides vel plagulas typis impressas adhibendi tum ad auditores aucupandos ante praedicationem, tum post praedicationem ad concionatoris meritum extollendum, reprobandus omnino et damnandus, quovis id praetextu boni fiat. Curent Ordinarii, quantum poterint, ut ne id usuveniat ». Ac merito iuxta canonem, qui usurpans Apostoli verba vult praedicatores *non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes:* verbo quidem et opere. Ad quod se refert ex Normis num. 28. « Caveat item semper ac diligentissime ne sacram praedicationem in quaestum vertat, quaerendo quae sua sunt, non quae Iesu Christi; ne sit igitur *turpis lucri cupidus*, nec vanae gloriolae lenocinio se capi sinat. — Numquam vero ex animo permittat excidere quod, secundum Evangelii et Apostolorum doctrinam et Sanctorum exempla, idem Hieronymus Nepotianum suggerebat: « Non confundant opera tua sermonem tuum; ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo haec quae dicis, ipse non facis? — Delicatus magister est, qui, pleno ventre, de ieiuniis loquitur... Sacerdotis os, mens manusque concordent ».

Transferre placet in missionariorum gratiam S. Congr.^{s} de Prop. Fide [1] verba sub n. « VIII.... Quod vero attinet ad directam Evangelii praedicationem optime animadverterunt Patres Cansinenses hanc praecipuam apostolatus partem impleri non solum publice et in ecclesiis, sed praesertim in domibus familiisque privatis. Idem Praesules recte docuerunt in praedicando non subtilitate sermonis sed simplicitate evangelica esse utendum, ad refellendas superstitiones optimam esse methodum libros apologeticos evulgandi, honorifice pro suo quemque gradu, et benigne omnes gentiles excipiendos esse, eorum infirmitatibus esse parcendum, eorumque dubia amice et clare et absque ostentatione esse solvenda. Haec profecto consilia aliis quoque Vicariis App. pro suis Missionibus opportunissima videbuntur, iidemque ea ad praxim deducere procurabunt ». Et infra: « abhorrendum esse ab omni immixtione in rebus politicis negotiisque Status; dum po-

[1] Instr. 18 Oct. 1883. Collectanea S. C. de P. F. n. 1606.

pulis praedicatur lex Dei et iustitia eius, docendum esse obedientiam praestandam erga principes etiam discolos; in praedicatione verbi Dei et administratione sacramentorum nullam tumultus et rebellionis suspicionem esse creandam ex concionis et coetuum frequentia». Haec ibi.

Propter doctrinam praedicatoris ex Conc. Trid. [1] translatus est § *3. Si, quod absit, concionator errores,* quoad veritates religiosas theoricas, *aut scandala* ob falsas vel laxas propositiones morales *disseminet* loco verbi Dei, quod semen bonum est, « etiamsi in monasterio sui, vel alterius Ordinis praedicet », *servetur praescriptum can. 2317* [2] ab Ordinario, qui vel « facultatem concionandi impertivit » ad normam can. 1338, vel « licentiam » in casibus can. 1341, scilicet: inter alia « ei praedicationem interdicat », *si haereses* « praedicaverit », *in eum praeterea*, scilicet: non solum poenae cit. canonis applicentur, sed *ad normam iuris* constituti in Lib. IV quoad tribunal competens et modum procedendi, et in Lib. V circa poenas infligendas, *agatur,* « etiamsi praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet » [3], etenim « Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant » (can. 501 § 2).

CAPUT. III.

De sacris missionibus.

Can. 1349. - § 1. Ordinarii advigilent ut, saltem decimo quoque anno, sacram, quam vocant, missionem, ad gregem sibi commissum habendam parochi curent.

§ 2. Parochus, etiam religiosus, in his missionibus instituendis mandatis Ordinarii loci stare debet.

Can. 1350. - § 1. Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant.

§ 2. In aliis territoriis universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur.

Can. 1351. - Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur.

228. **Inscriptio Capitis eiusque canones.** Ultimum huius Tituli *Caput III* est *De sacris*, tum ob materiam, tum propter

[1] Sess. V cap. 2.

[2] « Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit ».

[3] Conc. Trid. loc. cit.

auctoritatem ex qua ministri Christi *missionibus* incumbunt, quae nomen illud commune vindicant sibi, ut magis proprium, propter earum scopum similem Apostolorum missioni, convertendi nempe homines ab eorum viis pravis, ut poenitentes vel peccata confiteantur et sic redeant ad Dominum Deum suum, vel baptizetur unusquisque baptismate Iesu. Ut baptizati peccatores profunda novissimorum recordatione poeniteant vere, missiones fieri iubet can. 1349, de missionibus, ut audientes credant et salvi fiant, et can. 1350, cui subnectitur can. 1351 de libertate ad fidem amplectendam debita.

229. **Missiones apud catholicos.** Novum est in iure communi praescriptum *can. 1349. § 1. Ordinarii* locorum ex contextu atque simul Superior maior, quando parochus fuerit religiosus exemptus, *advigilent,* qua pastorale officium, *ut, saltem decimo quoque anno,* videlicet: tempore determinato, quo « in singulis dioecesibus celebranda est dioecesana Synodus » (can. 356, § 1), in qua proinde hanc vigilantiam adhibendi commode eisdem datur opportunitas, *sacram, quam vocant, missionem,* scilicet: in aliquot dies v. gr. octiduum successivum habendas conciones, praesertim de novissimis, instructiones circa fidem ac obligationes christianorum, et pia exercitia, *ad gregem sibi* nempe: « Ordinariis » pro paroeciarum diversitate *commissum habendam* « missionem » *parochi curent.* His namque obligatio immediate ac directe est iniuncta.

Quarum missionum plena dependentia ab Ordinarii auctoritate congruenter praedictis hucusque in hoc Titulo statuitur in §° *2. Parochus*, de quo in §° 1ª equidem ad normam can. 451, *etiam religiosus* quilibet quamvis exemptae religionis, ut constat ex rescripto S. C. EE. et RR. in *Senen.* [1] ad Ordinarium: « ch'Ella può mandare li detti Missionari (a predicare) nelle predette Chiese (dei Regolari), anche coll'autorità di questa S. Congregazione », canon vero religiosos subiicit hoc tenore: *in his missionibus,* « habendis » ex praescripto § 1ªᵉ, *instituendis*, v. gr. ut in singulis Vicariatibus per turnum paroeciarum fiant, et sic frequentius gaudeant viciniores paroeciae hoc beneficio, ac maiori numero queant sacerdotes convenire ad iuvandos missionarios, *mandatis Ordinarii loci*, si huiusmodi iure utens illa det, *stare debet*, eadem exequens parochus.

[1] 23 Luglio 1694, Collect. Bizzarri pag. 284.

230. **Missiones pro acatholicis.** Missio data per Iesum Apostolis eorumque successoribus, ut ex libro Actuum Apostolorum patet atque ex Divi Pauli epistolis, tum ad gentium, iudaeorumque conversionem, tum ad Ecclesiarum conservationem ac fomentum in bonis operibus, fuit ordinata. — Ecclesia igitur horum memor, et quoad alios animarum pastores idipsum amplians, edicit *can. 1350. § 1. Ordinarii locorum* (can. 198 § 2) *et parochi* (can. 451) *acatholicos*, sive baptizatos protestantes, sive non baptizatos quoslibet homines, eosque qui a fide semel recepta defecerunt per haeresim, apostasiam vel schisma, *in suis* respective *dioecesibus* quarum « nomine in iure veniunt Abbatiae vel Praelaturae nullius » can. 215, § 2) non vero Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, *et paroeciis* proprie, quae « sunt partes dioecesis de quibus in § 1 » can.[s] 216, (unde « parochorum nomine in hoc canonis §[o] non veniunt quasi-parochi, qui quasi paroecias regunt »), *degentes* qualitercumque praefatos acatholicos, *commendatos sibi* specialiter *in Domino* idest: ex divina charitate propter receptam « missionem ad ministerium praedicationis » (can. 1328), *habeant.* Quod implicite monitos vult eos, per missiones instituendas, si oporteat, aliisve modis opportunis eorum conversionem promovendam esse.

Hic paragraphus intelligatur quoque de dioecesibus S. Congr.[e] de Prop. Fide subiectis, sed in eis leges particulares eiusdem Congregationis de hac re vigent. Videlicet prout legitur in quadam Instructione [1]: « I.... uniusquisque Episcopus curet ut missionarii singuli linguam propriam cuiusque regionis apprime addiscant, et duos saltem ex eis deputet exclusive ad evangelizationem paganorum... Hanc quorumdam missionariorum designationem ad ethnicos convertendos faciendam in unaquaque diocesi S. C. praecipit, etiamsi id minus commodum accidere videatur iam constitutis fidelium communitatibus, ad boni Pastoris exemplum, qui nonaginta novem oves relinquere in deserto non dubitat ut deviam quaerat et reducat ». Sequuntur qualitates praecellentes horum missionariorum. Hic adnotare iuvat normas S. Congr. de Prop. Fide circa praedicationem in Vicariatibus ac Praefecturis Aplcis. vigentes ante Codicem, adhuc post huius publicationem servandas esse. Etenim sunt leges particulares, ac proinde dum ss. canonibus non oppo-

[1] 19 Martii 1893. Collectanea S. C. de P. F. n. 1828.

sitae, salvae manent, ut declaratum est in Commentario Textus ad can. 6, 6°. Eo magis quod dici potest illa « implicite contineri » in sequenti praescripto.

§ *2. In aliis territoriis*, ubi dioeceses proprie dictae ac paroeciae non sunt constitutae, ac consequenter certo manent semper sub Congr. de Prop. Fide, *universa missionum cura*, quoad designandos missionarios, normas ab ipsis servandas, etc. *apud acatholicos* declaratos in § 1ª, *Sedi Apostolicae* seu Congr. de Prop. Fide *unice reservatur*. Ab ea igitur est repetendus quarumdam religionum vel institutorum interventus, atque per ipsam moderandum, si quod sibi ius adiudicatum probare possunt.

231. **An acatholici compellendi sint ad fidem.** D. Thomas huic quaesito respondet « dicendum [1] quod infidelium quidam sunt qui numquam susceperunt fidem, sicut gentiles et Iudaei; et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi ut ipsi credant, quia credere voluntatis est; sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia etiam si eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne fidem Christi impediant. Alii vero sunt infideles qui quandoque fidem susceperunt, et eam profitentur, sicut haeretici, et quicumque apostatae; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt ». — Hanc doctrinam confirmat *can. 1351. Ad amplexandam*, quam hucusque non susceperunt, vel quia non baptizati, veram a) *fidem*, vel si baptizati apud sectas, b) *catholicam nemo*, etiam iudaeus, nam legitur in Decreto [2]: « De Iudaeis praecipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri », *invitus*. nam volens esset iuvandus ad illam plene consequendam, *cogatur* minis, violentia, vel incommodis ad hoc ipsum directis, quamvis « evangelicam doctrinam rite ediscere veramque Dei ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur », et S. Mater Ecclesia sit vigilans eiusdem observantiae custos.

[1] II-II q. X a. 8 c. — [2] Cap. 5 dist. XLV.

TITULUS XXI.

De Seminariis.

Can. 1352. – Ecclesiae est ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt.

Can. 1353. – Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant.

Can. 1354. – § 1. Unaquaeque dioecesis in loco convenienti ab Episcopo electo Seminarium seu collegium habeat in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur.

§ 2. Curandum ut in maioribus praesertim dioecesibus bina constituantur Seminaria: minus, scilicet, pro pueris litterarum scientia imbuendis, maius pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus.

§ 3. Si constitui Seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium mittat, nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum fuerit.

Can. 1355. – Pro constitutione Seminarii et alumnorum sustentatione, si proprii reditus deficiant, Episcopus potest:

1° Parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores iubere ut statis temporibus in ecclesia ad hunc finem stipem exquirant;

2° Tributum seu *taxam* in sua dioecesi imperare;

3° Si haec non sufficiant, attribuere Seminario aliqua beneficia simplicia.

Can. 1356. – § 1. Tributo pro Seminario obnoxia sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio, mensa episcopalis, omnia beneficia etiam regularia aut iurispatronatus, paroeciae aut quasi-paroeciae, quamvis alios reditus, praeter fidelium oblationes, non habeant, domus hospitalis auctoritate ecclesiastica erecta, sodalitates canonice erectae et fabricae ecclesiarum, si suos reditus habeant, quaelibet religiosa domus, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur.

§ 2. Hoc tributum debet esse generale eiusdemque proportionis pro omnibus, maius vel minus secundum Seminarii necessitatem, sed quinas quotannis centesimas partes (5 %) reditus vectigalis non excedens, minuendum prout reditus Seminarii augentur.

§ 3. Reditus tributo obnoxius is est qui, deductis oneribus et necessariis expensis, supersit in anno; nec in eo reditu computari debent distributiones quotidianae, vel, si omnes beneficii fructus distributionibus constent, tertia earundem pars; nec fidelium oblationes, nec, si omnes paroeciae reditus coalescant fidelium oblationibus, tertia earundem pars.

Can. 1357. – § 1. Episcopi est omnia et singula quae ad rectam Seminarii dioecesani administrationem, regimen, profectum necessaria et opportuna videantur, decernere, eaque ut fideliter observentur, curare, salvis praescriptionibus a Sancta Sede pro casibus peculiaribus latis.

§ 2. Potissimum studeat Episcopus frequenter Seminarium ipse per se visitare, in institutionem quae alumnis traditur sive litterariam et scientificam sive ecclesiasticam sedulo vigilare, et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum.

§ 3. Unumquodque Seminarium suas leges habeat ab Episcopo approbatas, in quibus quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt.

§ 4. Seminarii interdioecesani vel regionalis regimen universum et administratio regitur normis a Sancta Sede statutis.

CAN. 1358. - Curandum ut in quolibet Seminario adsint rector pro disciplina, magistri pro instructione, oeconomus pro curanda re familiari, a rectore distinctus, duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus.

CAN. 1359. - § 1. Dioecesanis Seminariis bini constituantur coetus deputatorum, alter pro disciplina, alter pro administratione bonorum temporalium.

§ 2. Utrumque deputatorum coetum constituunt bini sacerdotes, ab Episcopo, audito Capitulo, electi; sed excluduntur Vicarius Generalis, familiares Episcopi, rector Seminarii, oeconomus et confessarii ordinarii.

§ 3. Munus deputatorum per sexennium durat, nec electi sine gravi causa amoveantur; sed rursus eligi poterunt.

§ 4. Episcopus debet consilium deputatorum in negotiis maioris momenti petere.

CAN. 1360. - § 1. Firmo praescripto can. 891, ad munus rectoris, directoris spiritus, confessariorum et magistrorum Seminarii eligantur sacerdotes non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint.

§ 2. Rectori Seminarii in propriis muneribus implendis obtemperare omnes debent.

CAN. 1361. - § 1. Praeter confessarios ordinarios, alii confessarii designentur ad quos libere alumni accedere possint.

§ 2. Si ii confessarii extra Seminarium degant et alumnus aliquem eorum acciri postulet, illum rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans; si in Seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina.

§ 3. Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, nunquam confessariorum votum exquiratur.

CAN. 1362. - Reditus legati pro clericis instituendis tribui possunt alumnis in Seminarium sive maius sive minus rite receptis, licet nondum clericali tonsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur.

CAN. 1363. - § 1. In Seminarium ab Ordinario ne admittantur, nisi filii legitimi quorum indoles et voluntas spem afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.

§ 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus.

§ 3. Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua religione ne admittantur, nisi prius Episcopus, etiam secreto, a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias, veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent.

CAN. 1364. - In inferioribus Seminarii scholis:

1° Praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur;

2° Linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant;

3° Ea in ceteris disciplinis institutio tradatur quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione ubi alumni sacrum ministerium exercere debent.

CAN. 1365. - § 1. In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis alumni per integrum saltem biennium incumbant.

§ 2. Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici.

§ 3. Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione

tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis.

Can. 1366. - § 1. Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ii, ceteris paribus, iudicio Episcopi et deputatorum Seminarii, praeferantur, qui laurea doctorali potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognitis, aut, si agatur de religiosis, qui simile testimonium a suis Superioribus maioribus habeant.

§ 2. Philosophiae rationalis ac theo-

Titulus XXI. De Seminariis.

- — ius Ecclesiae — Can. 1352
- — praevia Sacerdotum opera — » 1353
- — in se-ipsis —
  - — constituendis —
    - — ad singulas dioeceses quod attinet — » 1354
    - — Episcopi potestas — » 1355
    - — per tributum, quantum et a quibus solvendum — » 1356
  - — administrandis et regendis —
    - — per normas diversas — » 1357
    - — per determinata officia — » 1358
    - — consilio duplici coetus deputatorum — » 1359
    - — per sacerdotes praestantes — » 1360
    - — adiutorio conscientiae per confessarios extraordinarios — » 1361
- — quoad alumnos —
  - — admittendos —
    - — ex reditibus legatis — » 1362
    - — cum qualitatibus ac testimoniis — » 1363
  - — instruendos —
    - — in inferioribus scholis — » 1364
    - — in philosophicis ac theologicis disciplinis — » 1365
    - — per magistros praeelectos et Angel. Doct. obsequentes — » 1366
  - — efformandos —
    - — in spiritualibus — » 1367
    - — sub parochiali cura rectoris — » 1368
    - — in disciplina, urbanitate et quoad hygienem — » 1369
  - — morantes extra illa — » 1370
  - — dimittendos — » 1371

logiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.

§ 3. Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti magistri.

CAN. 1367. - Curent Episcopi ut alumni Seminarii:

1º Singulis diebus communiter matutinas et serotinas preces recitent, per aliquod tempus mentali orationi vacent, sacrificio Missae intersint;

2º Semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedant et frequenter, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficiant;

3º Dominicis et festis diebus, sacris Missarum et Vesperarum sollemnibus adsint, altari inserviant sacrasque caeremonias exerceant, praesertim in ecclesia cathedrali si id. iudicio Episcopi, sine disciplinae et studiorum detrimento fieri possit;

4º Singulis annis per aliquot dies continuos exercitiis spiritualibus vacent;

5º Semel saltem in hebdomada adsint instructioni de rebus spiritualibus quae pia exhortatione claudatur.

CAN. 1368. - Exemptum a iurisdictione paroeciali Seminarium esto; et pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto can. 891, obeat Seminarii rector eiusve delegatus, nisi in quibusdam Seminariis fuerit aliter a Sede Apostolica constitutum.

CAN. 1369. - § 1. Seminarii rector et alii omnes moderatores sub eius auctoritate curent ut alumni statuta ab Episcopo probata studiorumque rationem adamussim servent ac spiritu vere ecclesiastico imbuantur.

§. 2. Saepius eis verae et christianae urbanitatis leges tradant, eosque exemplo suo ad illas colendas excitent; hortentur praeterea ut praecepta hygienica, vestium et corporis munditiam et quandam in conversando comitatem cum modestia et gravitate coniunctam, iugiter servent.

§ 3. Sedulo vigilent ut magistri suo munere rite fungantur.

CAN. 1370. - Quoties alumni ob quamlibet causam extra Seminarium morentur, servetur praescriptum can. 972, § 2.

CAN. 1371. - E Seminario dimittantur dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur; itemque, qui in studiis adeo parum proficiant ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos; praesertim vero statim dimittantur qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerint.

232. **Inscriptio Tituli.** Nunc considerandus est *Titulus XXI* inscriptus *de Seminariis*. Verbum hoc cum vigenti canonum significatione adhibetur in Conc.º Trid.º [1], quando dicitur: « ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit ». Prout patet, methaphorice accipitur ex agricultura in qua sic vocatur quaedam tenerorum vegetalium plantatio, quae assiduis curis servantur ad hoc ut postea in diversa loca translata uberes fructus afferant. Similiter in seminariis iuvenes magnis curis educantur, et sic crescunt ut virtutum flores ac spirituales fructus proferant Ecclesiae in ministerio sacro.

Seminaria sunt: « collegia in quibus pueri et adolescentes tamquam clerici saeculares, aluntur ac religiose educantur et disci-

[1] Cap. 18 sess. XXIII.

plinis ecclesiasticis instituuntur, secundum normas sacrorum canonum ». Dicuntur « collegia », nam collegium est coadunatio hominum educationis atque instructionis causa; — verba « pueri et adolescentes aluntur ac religiose educantur... » sunt mutuata eodemque sensu ex Conc. Trid. (loc. cit.); — additur « tanquam clerici saeculares », quia si haec verba deessent, domibus novitiatus apud religiosos videretur definitio convenire; — demum « secundum normas sacrorum canonum » innuunt quo iure collegia huiusmodi praecipue disponantur.

Seminarium accipi potest *a*) complete pro ente iuridico quod constat bonis temporalibus ad communitatem clericorum instituendorum destinatis, et quibus iura et obligationes sunt tributa ecclesiastico iure; *b*) incomplete ac materialiter pro ipso aedificio in quo sedem habet illa communitas; *c*) formaliter pro eadem communitate quae capite ac membris constans, sit vera persona moralis iure constituta.

233. **Canonum coordinatio.** In hoc Titulo, praemissis duobus can. 1352, 1353, qui et ius Ecclesiae circa seminaria et praeviam Sacerdotum operam erga pueros statuunt, sequuntur can. 1354-1361 de seminariis constituendis materialiter et quoad bona temporalia rite ministrandis ac formaliter regendis. Alii canones ab 1362 usque ad ultimum can. 1371 alumnos seminariorum respiciunt, admittendos iuxta can. 1362, 1363, instruendos ad normam can. 1364-1366, tum efformandos servatis can. 1367-1369, ac duo ultimi can. 1370, 1371 dati sunt circa morantes alumnos extra seminarium atque ab illo dimittendos.

234. **Ecclesiae ius quoad seminaria.** Cum Ecclesia sit societas perfecta, eidem est attribuendum ius, quod cuilibet alteri recognoscitur efformandi apta institutione illas personas, quae munera diversa societati necessaria debent adimplere. Idque eo magis, quod ecclesiastica ministeria dotes mentis ac cordis et peculiarem exigunt earum culturam. Eapropter Ecclesia de praevia suorum ministrorum institutione semper fuit sollicita, et hoc perfecit [1] Conc. Trid. cuius decretum, ac subsequentes declarationes in praesentem Titulum aliquantum mutatae translatae sunt. *Can. 1352. Ecclesiae*, ut societati perfectae atque attento eius specifico fine, *est ius* stricte

[1] Cap. 18 sess. XXIII de Ref.

dictum ac legi fundatum divinae suae conditionis, a) *proprium*, non aliunde ab humana voluntate vel auctoritate proveniens, b) *et exclusivum*, sive vigilantiae, sive intromissionis cuiuscumque civilis potestatis, *eos instituendi* complete ac praesertim circa intellectualem culturam, *qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt*, ad hoc ut sibiipsi ac fidelibus eos idoneos obtineat. Huc se refert prop. damnata in Syllabo Pii IX « XLVI. Imo, in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur ». Hoc tamen non impedit quominus in disciplinis inferioribus tradendis, ex convenientia praxis adhibeatur eadem methodus ac in civilibus collegiis.

De hac re sic loquitur Pius PP. XI fel. regnans: [1] « Officiorum omnium sanctissimorum, quaecumque Apostolici muneris amplitudo complectitur, nullum sane nec maius est nec patet latius, quam curare et efficere ut Ecclesiae ad divina sua munia obeunda bonorum ministrorum satis magna copia suppetat. Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum hominibus, nisi per « ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » communicantur ».

235. **Puerorum cura in hunc finem.** Zelus sacerdotalis honoris usque in finem mundi perseveraturi excitatur *can. 1353. Dent operam sacerdotes,* sicut proprii status decor et conservatio suadent, *praesertim parochi,* et quia facilius occasiones nanciscuntur, et quia eis ex officio animarum cura incumbit, inter quas pueri non minorem exigunt, *ut pueros*, non indistincte, sed *qui indicia praebeant* ob pietatem ceterasque animae et corporis qualitates, *ecclesiasticae vocationis, peculiaribus* inter ceteros *curis a saeculi contagiis arceant* periculorum remotione directa vel indirecta, b) *ad pietatem informent* consiliis et moderata praxi, c) *primis litterarum studiis imbuant* per seipsos in defectu idoneorum et fidelium magistrorum, d) *divinaeque in eis vocationis,* quia « nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron », *germen foveant* prudenter ac assidue.

[1] Epistola directa ad Emum Card. Bisleti, Praefectum S. Congr. de Seminariis et Universitatibus studiorum. 1 Aug. 1922. CO. XIV, 450.

[1] « Qui quidem (sacerdotes), ubi maturum tempus esse iudicaverint, suos alumnos studebunt sacro alicui seminario tradere in disciplinam, ut in eis quod ipsi inchoaverint, rite perficiatur. Quod si huic rei tenuitas adolescentulorum fuerit impedimento, nec sacerdotes sumptus suppeditare ipsi possint, bonorum animos excitent ad succurrendum, proposita rei tum sanctitate, tum etiam incredibili utilitate. Quo loco facere non possumus quin rogemus omnes, quicumque Ecclesiam diligunt, ut illud « Opus vocationum ecclesiasticarum » quod, pueris spei bonae et domi et apud Parochos et intra Seminariorum saepta sedulo adiuvandis, salubriter institutum est, omni foveant studio atque promoveant ».

236. **Erectio seminariorum.** Imprimis S. Synodus (loc. cit.) rationem seu finem pandit quo mota fuit ad legem de seminariorum erectione ferendam. Illaque ratio ad canonem praec.^m quadantenus extenditur. Nempe: « Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica perseveret ». Haec ratio in ipsa praesenti humana conditione fundata, circumstanti saeculi corruptione ab extrinseco fulcitur, quam a tempore Conc.[1] Trid.[1] potiusquam decrevisse, adauctam fuisse credi potest. Qua de causa Summi Pontifices etiam nostro tempore utilitatem ac necessitatem Seminariorum inculcarunt v. gr. Pius X in sua prima Encyclica. Sic pariter *can. 1354. § 1. Unaquaeque dioecesis*, cuius « nomine venit quoque abbatia vel praelatura *nullius* » (can. 215, § 2), *in loco convenienti*, quin necesse sit « prope ipsas ecclesias cathedrales », *ab Episcopo* solummodo, cuius « nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), *electo*, « *Seminarium* Dei ministrorum perpetuum », sicut ait Conc. Trid. *seu collegium,* sic vocatum praecipue propter eiusdem scopum, *habeat* ex canonis praecepto, *in quo* a) *pro modo facultatum* de quibus disponere queat etiam ad normam can. 1355. 1356, b) *et dioecesis amplitudine,* non secus ac exprimitur Conc. Trid., *certus adolescentium numerus*, ac subintelligitur, etsi non necessario, « ipsius civitatis, et dioecesis, vel eius provinciae, si ibi

[1] Cit. Ep. Pii PP. XI CO. XIV, 451.

non reperiantur », *ad statum clericalem instituatur,* quod implicat eos « alere, ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis » erudire, ut ex seq.[s] canonibus patebit.

Distinctio seminariorum post Conc. Trid. et ad eius mentem inducta commendatur. In Decreto illius legitur: « Hos pueros Episcopus in classes, quot ei videbitur, divisos iuxta eorum numerum, aetatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim, cum ei opportunum videbitur ecclesiarum ministerio addicet: partim in collegio erudiendos retinebit, aliosque in locum eductorum sufficiet ». Similiter § *2. Curandum ut in maioribus praesertim dioecesibus,* nam « in his » decreverat Synodus Tridentina: « possit Episcopus unum vel plura in dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria: quae tamen ab illo uno, quod in civitate erectum vel constitutum fuerit, in omnibus dependeant ». Omissa hac dependentia in canone, sic decernitur: *bina* solum *constituantur Seminaria*: quae ita determinantur nomine ac re: a) *minus, scilicet, pro pueris litterarum scientia imbuendis* ad normam can. 1364, b) *maius, pro alumnis philosophiae ac theologiae* seu alterutrius studio *vacantibus*, equidem ad normam can. 1365, quin necesse sit quod alumni per unum alterumque seminarium transeant.

Conc. Trid. consideravit hypothesim: « Si in aliqua provincia, ecclesiae tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non possit ». Amplior fuit haec canonis consideratio, et omisso decreto Sanctae Synodi, sic praescripsit § *3. Si constitui Seminarium* a) *dioecesanum,* nempe « unicuique dioecesi » proprium de quo in §° 1ª, *nequeat,* non sola paupertate, sed qualibet ex causa, *aut,* b) *in constituto Seminario* sive maiori, sive unico, quandocumque *conveniens institutio* intellectualis, additur enim *praesertim*, quia magis necessaria et cuius defectus facilius accidere potest, *in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur,* ita ut satisfieri nequeat, interim *Episcopus* « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), *alumnos* proprios *in alienum Seminarium* scilicet: alterius dioecesis seu abbatiae vel praelaturae nullius *mittat* instituendos equidem expensis propriae dioecesis, *nisi Seminarium* b) *interdioecesanum* idest: pluribus dioecesibus commune, sive hae dioeceses ad unam provinciam ecclesiasticam pertineant, « ex fructibus earum erectum, in quibus singulis collegium commode institui non potest, ubi pueri illarum ecclesiarum edu-

centur » (Conc. Trid. loc. cit.), quo casu esset seminarium provinciale, sive quin illae dioeceses unius sint provinciae ecclesiasticae, *vel* c) *regionale* pro quadam regione plurium ecclesiasticarum provinciarum, *auctoritate apostolica*, proinde implicite revocata Synodi provincialis, vel conferentiae Episcoporum potestate Conciliari, *constitutum fuerit*. Hoc tamen intelligatur pro futuro, manente constitutione seminariorum provincialium ubi existat ad normam Conc.[1] Trid.[1] vel aliam legitimam.

« At vero par est et consentaneum, sacrorum quoque Antistites, qui eius sint regionis, cuius gratia Seminarium huiusmodi sit excitatum, debere omnes eidem pro virili parte prospicere. Quos quidem rogamus, ne inviti id faciant, quod non solum communis ab eis, sed propriae etiam ipsorum utilitatis ratio postulat. Etenim si reputaverint — quod res est — suam cuiusque causam hic agi, et Seminarium interdioecesanum vel regionale suarum cuique dioecesium Seminarii maioris instar esse, in quo ipsi eadem iura eademque officia singuli habeant, nihil sane, quod intelligant a se in eius bonum conferri posse, unquam recusabunt [1] ».

237. **Rerum temporalium providentia pro Seminariis.** Conc. Trid. edixit (loc.° cit.°): « Et quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii; ultra ea, quae ad instituendos vel alendos sunt in aliquibus ecclesiis et locis destinata, quae eo ipso huic seminario sub eadem episcopi cura applicata censeantur » : alias dispositiones in canone retentas dedit. Quamvis applicatio praedicta etiam nunc fieri queat iuxta destinationem benefactorum, supponendum tamen illam Trid.[1] Dec.[1] peractam fuisse, hinc generaliter sic incipit *can. 1355. Pro* a) *constitutione* tum materiali *Seminarii* sive novi saltem quoad locum, sive conservandi ampliandique, tum formali quoad diversos eiusdem officiales retribuendos, b) *et alumnorum substentatione* quotidiana perpetua, sub conditione: *si proprii reditus* ex bonis Seminarii, quorum possidendorum capax id supponitur, *Episcopus* « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), *potest*, (secus deficiente conditione):

1° Parochos etiam eos qui « parochorum nomine in iure ve-

[1] Cit. Ep. Pii PP. XI. CO. XIV, 457.

niunt » (can. 451, § 2), *aliosve ecclesiarum* sine ulla exceptione quia subiungitur *etiam exemptarum* « ab Ordinarii loci iurisdictione », sicut iure « exempti sunt regulares cum eorum ecclesiis » (can. 615), *rectores* nempe : illi qui disciplinae curam in eis principalem habent, *iubere,* unde exurget istorum obligatio, *ut statis,* ab Episcopo vel consuetudine, statutoque dioecesano, *temporibus in ecclesia* singulorum *ad hunc finem* initio canonis declaratum *stipem exquirant* servato consueto modo petentes, nec solummodo acceptantes.

2° *Tributum seu taxam,* quam in canone 1356 invenimus undequaque determinatam, *in sua dioecesi* « cuius nomine venit quoque in iure abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2) *imperare* in Seminarii subsidium:

Imo *3°*. *Si haec* sub num.[s] 1° et 2° collecta *non sufficiant* in finem canonis praedictum, « Episcopus potest » *attribuere Seminario* seu « huic collegio applicare et incorporare » *aliqua* (non omnia) *beneficia simplicia* « seu non residentialia » (can. 1411, 3°), « cuiuscumque qualitatis et dignitatis fuerint » ut ait Conc. Trid. (loc. cit.) atque potiori motivo « etiam praestimonia, vel praestimoniales portiones, (si quae alicubi inveniatur), sine cultus divini, et illa (beneficia actu) obtinentium praeiudicio ».

238. **Conditiones huius tributi ac personae huic obnoxiae.** Postquam Conc. Trid. fuse designavit quoslibet taxae pro Seminario subiectos, cum una alterave exceptione, sicuti brevius recenset eosdem can. seq.[s], hanc salvatoriam clausulam subnexuit: « quibusvis quoad omnia et singula supradicta, privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili, et quavis appellatione, et allegatione, quae exequutionem impediat, non obstantibus ». Hanc renovat eodem sensu et corroborat sic incipiens *can. 1356. § 1. Tributo pro Seminario,* cuius meminit praec. canon num. 2°, *obnoxia sunt* vi canonis, si imperetur illud, a) *quavis appellatione remota* extraiudiciali quoque quoad tributi solutionem, aliter dicendum quoad eius taxationem, quam non respicit §[us] ista, b) *reprobata qualibet*, proinde « etiam immemorabili » *contraria* huic §° *consuetudine,* igitur « vigens in praesens, tanquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5), « quae (ceteroquin) non est rationabilis » (can. 27, § 2), c) *et abro-*

gato quolibet, etiam quod « a Sede Apostolica directe religioni concessum fuerit » ante Codicem (can. 613, § 1), iuxta reg. 34 iuris in 6° « Generi per speciem derogatur », *contrario privilegio*, cui propterea non suffragatur can. 4, cum « expresse revocetur ». — Sequitur recensio personarum moralium, quae illam taxam subire debent, ac notetur congruere iuri Tridentino, quod « ex integro refert » (can. 6. 1°) canon sic prosequens : a) *mensa episcopalis* b) *omnia beneficia* sensu stricto ad normam can. 1409, et « in Capitulis numeratis, quot sint praebendae ; in non numeratis ex proventibus » (can. 394, § 1) « integris capituli » (Conc. Trid. loc. cit.), *etiam regularia*, quae nempe « ad solos clericos regulares spectant » (can. 1411, 2°), seu non obstante quod « regulares ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt » (can. 615), *aut iurispatronatus*, « cuiuscumque fuerint » (loc. cit.), quod sit « ecclesiasticum, laicale, vel mixtum » nihil refert, nam lex non distinguit, exprimit tamen ea sicuti Conc. Trid. ad vitandas exceptiones, c) *paroeciae aut quasi paroeciae*, quatenus sint « partes dioecesis aut partes vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae » (can. 216, § 3), etsi beneficia proprie non essent, et *quamvis alios reditus* parocho tribuendos, *praeter fidelium oblationes* « certas et voluntarias, sive iura, ut dicitur, stolae » (can. 1410), *non habeant*, d) *domus hospitalis* sive ad peregrinos sive ad infirmos recipiendos, « quae datur in titulum vel administrationem » (Conc. Trid. loc. cit.), adiungitur enim : *auctoritate ecclesiastica erecta*, quae proinde sit locus pius ab Ecclesia dependens, e) *sodalitates* nempe : « associationes ad modum organici corporis constitutae » (can. 707, § 1), atque *canonice erectae* idest : « per formale erectionis decretum ex qua concessione moralis personae rationem sortiuntur » (can. 100, § 1), f) *et fabricae ecclesiarum* quarumlibet, seu « bona quae destinata sunt » eis ad normam can. 1182, quapropter dicitur : *si suos reditus habeant*, g) *quaelibet religiosa domus* idest : « alicuius in genere » (can. 488, 5°), *etsi exempta* tum regularium ex can. 615, tum « religionis votorum simplicium » ad normam can. 618, § 1, cum duplici exceptione Conc. Trid.[1] (loc. cit) « non tamen mendicantium » ampliori sensu expressa : *nisi* a) *solis eleemosynis vivat*, b) *aut in ea* ad quam contrahitur exceptio Tridentina iisdem verbis sic expressa : *collegium* « ex tribus saltem personis physicis » (can. 100, § 2) *discentium vel docentium* ibidem commorantium,

ad commune Ecclesiae bonum per doctrinam ipsam qualitercumque v. gr. per Commentarium mensile, per missiones, etc. *promovendum actu* seu re in praesenti, non tantum nomine, *habeatur.*

Praescriptis huius §[i] et can.[s] praec. connectitur authentica can. 1441 interpretatio tunc inserenda.

Quandocumque hoc « tributum seu taxa imperetur » vi can. 1355, § 2°, servandus est sequens § *2. Hoc tributum debet esse* a) *generale* quoad recensitos in praec. §°, b) *eiusdemque proportionis pro omnibus*, sic exigente iustitia distributiva congruenter disciplinae praecedenti, c) *maius vel minus secundum Seminarii necessitatem*, cui per huiusmodi tributum subvenitur, cum seq.[i] superiore limite: d) *sed quinas quotannis centesimas partes* (5 %) *reditus vectigalis* seu « huic tributo obnoxii » prout in §° seq.[i] ille determinabitur, *non excedens*, et semel ac fuerit impositum *minuendum prout reditus Seminarii* ex propriis bonis *augentur.* Ita etiam decreverat Synodus Trid.: « Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur; tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra detracta, et incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur ».

Ratio personarum moralium expostulat aequitatem § *3. Reditus tributo obnoxius*, qui appellatus est in §° 2° « vectigalis », *is est qui*, *deductis oneribus*, quae bona illarum personarum qualibet ex causa gravent, *et necessariis expensis* etiam in sustentationem beneficiati, parochi, infirmorum, ac pro cultu divino ecclesiarum, etc., *supersit in anno* iuxta prudentem calculum; *nec in eo reditu* vectigali *computari debent* a) *distributiones quotidianae,* (quas exponit can. 395) secundum earum naturam et praec.[s] iuris declarationes, *vel, si omnes beneficii fructus distributionibus constent*, prouti accidit « in non numeratis capitulis » (can. 394, § 1), *tertia earumdem pars* iuxta « partem fructuum, etc. in distributiones quotidianas convertendam » (can 395, § 1); b) *nec fidelium oblationes* ultra reditus alios paroeciae aut quasi paroeciae, *nec*, *si omnes paroeciae reditus coalescant* in totum vel fere totum solis *fidelium oblationibus, tertia earumdem pars;* in quam igitur ac distributiones ut supra, non sunt extendenda onera et necessariae expensae quae deduci debent.

239. **Regimen et administratio seminarii.** Postquam Conc.

Trid. decrevit plura in seminarii bonum, postea subdit: « Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna, et necessaria episcopi singuli, cum consilio duorum canonicorum seniorum, et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur, saepius visitando operam dabunt ». Accuratius loquitur *can. 1357. § 1. Episcopi est*, respective Abbatis vel Praelati nullius, *omnia et singula quae ad rectam Seminarii dioecesani* declarati ad can. 1354 a) *administrationem* quoad temporalia bona, b) *regimen* constituentium Seminarium, c) *profectum* multiplicem alumnorum *necessaria et opportuna videantur*, a) *decernere*, ac ut decreta uberes fructus producant, additur: b) *eaque ut fideliter observentur, curare*, c) *salvis* ut par est *praescriptionibus a Sancta Sede pro casibus peculiaribus* huius vel aliorum Seminariorum *latis*.

Indigitat peculiaria § *2. Potissimum studeat Episcopus* ut supra in §° 1ª, a) *frequenter Seminarium ipse per se visitare* ad informationem, b) *in institutionem quae alumnis traditur sive litterariam et scientificam sive ecclesiasticam* quoad mores *sedulo vigilare*, ut illa non deflectat, c) *et de alumnorum* singulorum *indole* quoad naturalia, *pietate* erga spiritualia, *vocatione* quoad ministerium desideratum *ac profectu* intellectuali ac morali et sociali, *pleniorem sibi comparare notitiam, maxime* « ut merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros » (can. 973, § 1 *occasione sacrarum ordinationum*.

Ut omnia ibidem ordinate procedant, statuit § *3. Unumquodque Seminarium* « dioecesanum » (§ 1) ex contextu sive minus, sive maius *suas* ut peculiares *leges habeat ab Episcopo* tantum, respective Abbate vel Praelato nullius *approbatas*, quarum uti exemplum consuli possunt « Norme per l'ordinamento educativo e disciplinare dei Seminari d'Italia » approbatum a Pio X Kalendis Ian. 1908. — Illarum obiectum sic dispertitur canon: *in quibus* a) *quid agere*, seu communitatis actus vel scholasticos, b) *quid observare debeant* circa disciplinam, *doceantur* a) *tum qui in eodem Seminario in spem* sacerdotalis Ordinis *Ecclesiae instituuntur*, b) *tum qui in horum* multiplicem *institutionem*, sicut eos enumerat can. 1358, *operam suam* diversimode *impendunt*.

Praecedentes §§ⁱ de Seminario dioecesano intelligendi sunt, eo quod ait § *4. Seminarii interdioecesani vel regionalis*, utriusque

cogniti ex can. 1354, § 3, a) *regimen universum,* quoad praecedentia et quae in seq.[s] canonibus praescribuntur, pariter *et administratio* temporalium bonorum *regitur normis a Sancta Sede* sive in genere sive pro singulis occasione constitutionis Seminarii *statutis.*

240. **Officia in Seminariis** recensentur in *can. 1358. Curandum* equidem ab Episcopo vel auctoritate Apostolica *ut in quolibet Seminario,* dioecesano sive minori sive maiori, interdioecesano et regionali, *adsint* a) *rector pro disciplina,* qui « est Superior immediatus Seminarii, omnium primus, uti exprimitur S. Carolus Borromaeus » [1], b) *magistri pro instructione*, quorum « singulorum officium est dirigere competenter ac ex conscientia discipulos in cognitione disciplinae ecclesiasticae, quam unusquisque docere debet, memor illius axiomatis : primus discendi ardor, nobilitas est magistri » [2], c) *oeconomus pro curanda re familiari* et « materiali statu Seminarii » [3] *a Rectore distinctus*, d) *duo saltem confessarii ordinarii,* eo quod singulis hebdomadibus vel alternis accedere debeant ex officio ad confessiones alumnorum audiendas, distincti proinde a Superiore Seminarii, cui vetitum est (can. 891) : « confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant », e) *et director spiritus*, « cui concredita est cura profectus spiritualis alumnorum ad praeparandos eos vitae sacerdotali perfectae » [4].

« Cura precipua del Direttore di spirito sia d'infondere e coltivare negli alunni con la maggiore sodezza quella pietà la quale è per tutti feconda, ma specialmente pel Clero, di utilità inestimabili. Quanto più la pietà avrà messo radici profonde nei chierici, tanto meglio saranno temprati a quel forte spirito di sacrificio, che è al tutto necessario per zelare la gloria divina e la salvezza delle anime » [5].

241. **Duplex coetus deputatorum pro Seminario** [6]. « Duplex S. Synodus iubet adesse consilium in Seminariis constituendis et regendis, alterum pro re disciplinari, alterum pro temporali ad-

[1] Norme cit. Art. 25. — [2] Norme cit. Art. 66. — [3] Norme cit. Art. 71. — [4] Norme cit. Art. 50. — [5] Leone XIII, Lettera ai Vescovi d'Italia, 8 Dic. 1902. — [6] Ex Instr. S. C. C. ad Episc. Amer. Merid. 15 Maii 1897.

ministratione ». Hanc disciplinam refert *can 1359*. § 1. *Dioecesanis Seminariis* singulis, sive maiora sint, sive minora, *bini constituantur coetus deputatorum*, *alter pro disciplina*, de quo coetu loquitur sequens rescriptum: « I. An duo Canonici electi ab Archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum Seminarii possint pro libito Archiepiscopi mutari? II. An eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis Seminarii, quam in electione singulorum puerorum introducendorum, electione Magistrorum, librorum legendorum, Confessoris, punitione dyscolorum, expulsione, visitatione et similibus? — S. C. C. mense Iun. 1589 respondit: Ad I non posse amoveri, nisi ex legitima causa (de qua § 3). Ad II in omnibus esse adhibendos ». Quam secundam responsionem reminiscatur Episcopus pro exequendo praescripto §^{i} 4^{ae}. — Item in Ariminensi [1] quod adhuc de coetu hoc viget, respondit; « duos canonicos ab Episcopo electos ad regimen Seminarii constituendum, neque... quidquam curae habere, aut sibi vindicare posse absque Episcopo, vel eius Vicario; sed tantum debere Episcopum, vel eius Vicarium in eiusmodi rebus ipsorum consilium requirere, licet illud sequi non teneatur » quemadmodum statuit § 4. Explicit § 1: « coetus » *alter pro administratione bonorum temporalium*. De hoc intelliguntur sequentes declarationes. In Salernitana IV. « An hi quatuor deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles, servata tamen ratione Concilii in eorum electione... Ad IV esse perpetuos ». (Quod nunc est derogatum per § 3). Nec possunt amoveri, nisi ex iusta, et legitima causa, ut etiam declaravit eadem S. Congr. Conc. in Papiensi [2]. — « Sacra etc. censuit, uniones factas Seminario absque consilio eorum quatuor, quos iubet Concilium adhiberi, minime valere » [3].

Denique unum alterumve coetum respicit S. C. C. in Fundana [4]: « An Episcopus potuerit, et possit deputare Rectorem, aliosque officiales Seminarii absque consilio deputatorum e Capitulo — respondit — Negative. — An Episcopus in revisione, et solidatione computorum dicti Rectoris (nunc oeconomi) debuerit sequi consilium Deputatorum — respondit — teneri adhibere consilium, sed non sequi » [5].

Conc. Trid. [6] post verba relata initio commentarii can. 1357,

[1] 16 Feb. 1609. — [2] 7 Iul. 1591. — [3] Giennen. 14 Feb. 1544. — [4] 26 Martii 1689. — [5] Citationes S. Congr. Concilii ex Giraldi Tom. III, pag. 983, 984. — [6] Cap. 18 sess. XXIII de Ref.

addidit quae ad can. 1355 inserta fuerunt, ac postea decrevit: « iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat » illis necessitatibus temporalibus providere debuerunt. — « Rationes autem redituum huius Seminarii episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis ». Harum commissionum constitutio subiit magnam mutationem vi § 2. *Utrumque deputatorum coetum*, hinc etiam illum « pro administratione bonorum temporalium », non quatuor, sicut ex Dec.° Conc.[1] Trid.[1], sed *constituunt bini* pro unoquoque coetu a) *sacerdotes*, non vero « canonici seniores et graviores », aut « de capitulo ac de clero civitatis », sed b) *ab Episcopo* tantum, exclusis capitulo et clero civitatis, ac illius « nomine in iure venit Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 1), atque nunc omnes tales « sacerdotes », c) *audito Capitulo* « cathedrali, quod Episcopum... adiuvat... in dioecesis regimine » (can. 391, § 1), et cuius « vices qua Episcopi senatus, supplet coetus consultorum dioecesanorum » (can. 427, § 1), *electi*, ad normam igitur can. 105, 1°.

In can. 435, § 1 legitur: « Sicut ad Capitulum ante deputationem Vicarii Capitularis, ita deinde ad Vicarium Capitularem transit ordinaria Episcopi iurisdictio in spiritualibus et temporalibus »... hinc adhuc viget declaratio in Oscensi, mense Octobri 1585: « Dubitatur modo, mortuo Episcopo, et in Sede vacante, ad quem pertineat erectio et administratio dicti Seminarii, et videtur, quod pertinet ad Capitulum, quia Sede vacante, Capitulum fungitur vice Episcopi, tam in spiritualibus quam in temporalibus. S. Congr. censuit pertinere ad Capitulum ». Et propter adductam rationem ad Vicarium Capitularem. — Sede autem plena id tribuendum est (can. 368, § 1) « Vicario generali, cui vi officii, ea competit in universa dioecesi iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet », nisi illud « Episcopus sibi reservaverit », cum idipsum « ex iure non requirat speciale Episcopi mandatum ».

Forsitan propter hoc sic prosequitur paragraphus: *sed excluduntur* ab electione passiva in deputatos pro Seminario a) *Vicarius generalis* ratione officii, b) *familiares Episcopi*, cum essent minus

liberi in consilio adversus Episcopum promendo, c) *rector Seminarii,* convenienter ob naturam officii deputatorum. d) *oeconomus,* qui alteri coetui subditur, e) *et confessarii ordinarii* ob eandem rationem, aut propter utriusque fori seiunctionem.

§ 3. *Munus deputatorum* in unoquoque coetu *per sexennium durat,* seu non est ut antea perpetuum, *nec electi* ad tale munus *sine gravi causa amoveantur* a perdurante munere, quamvis « excluduntur » iure ab eo, si fiant « Vicarius Generalis », aut ceteri supradicti, et novum officium acceptent. Post sexennium ad idem munus in alterutro coetu *rursus eligi poterunt.*

[1] In Oscen. anni 1585. « Alias S. Congr. censuit, Epum. Oscen. cum consilio (alterutro) Deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores Clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere; sufficere tamen quod Epus. huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse Epum. statuere et deliberare quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit; exactionem vero, quae fit pro Seminario ad solum Epum. pertinere ». Similiter statuit § 4. *Episcopus* « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2) *debet consilium deputatorum* alterutrius coetus *in negotiis* pro quibus alteruter constitutus est, *maioris momenti*, quod erui potest directive ex declarationibus supra citatis, *petere.* — Addi potest ex Bened. XIV (loc. cit. VII): « Instante Capitulo Salernitano... lib. 6 Decret.m pag. 22 et seq. mense Iunii 1589, praeter alia duo dubia: « Tertio, an alii quatuor sint deputandi (nunc duo) in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione Beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur, an etiam in exactione et temporalium administratione tam dicti Seminarii, ut puta deputatione, vel expulsione ministrorum, et famulorum temporalium, expensis quotidianis provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcumque, et redituum ipsius Seminarii, etiam ex Beneficiis unitis, utputa locationibus, aliisque contractibus, litibus. Ad tertium; teneri Episcopum adhibere Deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem ».

Inserimus privilegium a Bened. PP. XV f. r. contra hunc ca-

[1] Bened. XIV. De Syn. dioecesana Lib. V, c. 11, n. V.

nonem his verbis concessum [1]. « Nimirum, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum concedimus, ut Societas Presbyterorum a Sancto Sulpitio, quin Sanctam hanc Sedem ad impetrandam in singulis casibus veniam adeat, sacrorum Seminariorum regimen sibi ab Ordinariis locorum concreditum accipere, eademque Seminaria sine Deputatorum interventu a sacris canonibus requisito, tam in spiritualibus quam in temporalibus, administrare libere ac licite possit et valeat. Hanc autem legem adamussim edicimus servari, ut, cum Superior generalis tum Sodales a respectivo Ordinario loci in omnibus dependeant, eidemque Ordinario, adstantibus duobus ex ordine canonicorum ecclesiae cathedralis ipsius dioecesis, quotannis redituum rationem sub anni exitum reddere teneantur ».

242. **Dotes officialium Seminarii.** *Can. 1360.* § 1. *Firmo praescripto can. 891,* scilicet: « Superior Seminarii... sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiat, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant », quod admonetur propter sequentes, *ad munus* a) *rectoris,* qui est « Superior Seminarii », b) *directoris spiritus*, qui etiam confessiones alumnorum audire potest, c) *confessariorum* « duo saltem ordinariorum » (can. 1358), de quibus fuit data declaratio, atque aliorum de quibus in seq. canone, d) *et magistrorum* pro scholis *Seminarii eligantur* a) *sacerdotes non* b) *doctrina tantum* ecclesiastica praesertim pro muneris qualitate, *sed etiam* b) *virtutibus* c) *ac prudentia* seu recta ratione agibilium *praestantes* inter plures, *qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint.*

Ex textu S. Caroli Borromei [2] desumptus est § 2. *Rectori Seminarii* immediate *in propriis muneribus implendis* « ac in omnibus prorsus quae ad Seminarii referuntur utilitatem » *obtemperare omnes* « ceteri cuiuscumque ordinis » *debent.*

243. **De confessariis extraordinariis.** *Can. 1361.* § 1. *Praeter confessarios* « duos saltem » (can. 1358) *ordinarios*, *alii confessarii designentur* stabiles *ad quos libere* degentes in Seminario *alumni accedere possint.* Hinc duo hypotheses considerantur in seqq.^{s} §§^{is}.

[1] Breve « Antiquius nihil » 23 Dec. 1921. CO. XIV, 37. — [2] Inst. p. 2, c. 2.

§ 2. *Si ii confessarii* « extraordinarii » (§ 1) *extra Seminarium degant* diu noctuque *et alumnus aliquem eorum acciri* seu vocari obligatorie *postulet*, a) *illum rector arcessat*, c) *nullo modo* directo vel indirecto *petitionis rationem inquirens* b) *neque se aegre id ferre demonstrans*, ut nec minime difficultas huius petitionis augeatur; e contra: *si* supple: « ii confessarii » *in Seminario habitent*, *ipsos* (qua tales ut supponitur) *alumnus libere adire potest*, *salva Seminarii disciplina* de communitatis actibus frequentandis vel de horario derelinquendo cum licentia. — Hinc sequitur quod eodem modo « adire potest » ipsos advenientes in Seminarium forsitan ex alumni vocatione.

Propter « sacramentale sigillum inviolabile » (can. 889), et quia « omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae » (can. 890), sponte fluit § 3. *Quando agitur de alumno ad ordines admittendo,* quia uti laudatur in Epist. Secret. Status[1]: « conditio, quae ex parte ordinandi debet attendi, quaeque vocatio sacerdotalis appellatur, nequaquam consistit, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subiecti, seu invitamentis Spiritus Sancti, ad sacerdotium ineundum », *vel* « alumno » *e Seminario expellendo*, in alterutro casu eveniente *nunquam confessariorum* ordinariorum vel extraordinariorum *votum exquiratur*. Contrarium enim nihil aliud esset quam tentatio minime utilis ac reprobanda.

244. Conditio recipiendorum gratuito in Seminarium. Conc. Trid. (loc. cit.) ait: « Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali semper utentur ». Id conceditur per modum exceptionis ad vetitum in can. 683, illius tamen occasione utiliter positus est hic *can. 1362*. *Reditus legati* hac sub finali conditione *pro clericis instituendis*, proprie dictis « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (can. 108, § 1), *tribui possunt*, « pauperum praecipue filiis » (Conc. Trid. loc. cit.) tanquam *alumnis in Seminarium sive maius sive minus*, non obstante quod hoc sit « pro pueris litterarum scientia imbuendis » (can. 1354, § 2), sed a) *rite* ad normam seq.[s] canonis *receptis*, proinde gratuito vel media pensione alendis, *licet nondum clericali tonsura initiatis*, et hoc modo ex

[1] 2 Iul. 1912, CO. IV. 485.

iure interpretatio legatorum facta, *nisi aliud* quoad illam vel alios ordines praevie obtentos *in tabulis* idest: documentis peragendae *fundationis* illorum legatorum *expresse* (saltem implicite) *caveatur*.

245. **Qualitates quorumlibet recipiendorum in Seminarium.** Conc. Trid. decrevit (loc. cit.): « In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint; et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros ». Et paulo post: « nec ditiorum filios excludit, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi ». Aetatis determinatione praetermissa, sic ius Trid. refert *can. 1363.* § 1. *In Seminarium* quodcumque minus vel maius *ab Ordinario* loci ex contextu, sub quo « nomine intelliguntur, pro suo quisque territorio eorum Vicarius generalis » et Vicarius capitularis (can. 198, § 2), *ne admittantur* et hoc vetitum illius conscientiam tenet, *nisi* a) *filii legitimi* scilicet: non solum « ex legitimo matrimonio nati », sed ad normam can. 1114 et etiam (can. 1196) « per subsequens parentum matrimonium legitima effecta proles », cum iuxta can. 1117 « aliud expresse cautum non fuerit », b) *quorum indoles et voluntas* ut fundamentum *spem afferant eos* non qualitercumque sed *cum fructu* Ecclesiae ipsorumque *ecclesiasticis ministeriis* ad quae adspirare per huius modi ingressum protestantur *perpetuo* seu perseveranter *inservituros*. Haec sunt verba cum Dec.° Trid.° plene conformia, eo quod verba « cum fructu » mentem Patrum declarant.

[1] « Illud enimvero maximae Nobis est curae, modisque omnibus efficiendum est, quod decessores Nostri Leo XIII et Pius X saepius praeceperunt, ut sacra Seminaria, nisi ad eam rem, cuius causa condita sunt, ne adhibeantur, id est ad sacrorum administros, ut oportet, instituendos. Quare non modo in eis locus esse non debet pueris vel adolescentulis, qui nullam ad sacerdotium praeferant propensionem voluntatis, — horum enim consuetudo clericis mirum quantum obest — sed etiam cum pietatis exercitationes, tum ratio studiorum, tum ipsum gubernationis genus huc omnino spectent oportet, ut ad perfunctionem divini muneris accommodate alumnorum animi praeparentur. Haec esto Seminariorum omnium,

[1] Cit. Ep. Pii PP. XI. CO. XIV, 451.

nullo excepto, sanctissima lex; cui quidem si religiosius usque adhuc obtemperatum esset, tanta fere ubique non esset paucitas sacerdotum ».

Documenta exhibenda in similitudinem « adspirantium in quavis religione » (can. 544), recenset § 2. *Antequam recipiantur*, quod gravat deputatum in Seminario huic muneri, *documenta* quae fidem faciant *exhibere debent* per se vel per alium v. gr. parentes, a) *de legitimitate natalium* fortassis sufficienter manifesta ex sequenti documento *de susceptis* b) *baptismate* c) *et confirmatione*, quod novum est in iure scripto, d) *ac de vita et moribus*, v. gr. parochi simile testimonium.

Praeter qualitates sub §° 1ª et « documenta » ex §° 2ª, opus est non excludi ab ingressu Seminarii prouti prohibitum est quibusdam primo per Dec. « Vetuit S. Synodus » S. Cong.ª Conc. [1]. Motiva Dec.ⁱ in eo inserta sunt: quia generalis lex Conc. Trid. in cap. 1 sess. XIV de Ref. Seminariorum quoque alumnos comprehendit. Si quis proinde eorum « e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus », non ergo aliis de causis ad clericatum non pertinentibus, « ille certe deberet, iuxta grave S. C. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere ».

« At contra saepe contingebat, ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicio parvipendentes, proprioque innixi ad Sacerdotium nihilominus ascendere studerent ». Hinc experientia teste, Ecclesiae utilitati minime proderant et Episcopos in angustias coniiciebant.

Quapropter plures « Episcopi inter se convenerant statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus. — Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur ».

Omissis num.ᵐ 2ⁱ ac 3ⁱ praescriptionibus, quae propterea « omnem vim amisisse dicenda sunt » (can. 6, 6°), numerum 1ᵐ ac ei consonum 4ᵐ refert coniunctim § 3. *Dimissi* quolibet motivo, non iam sponte recedentes, a) *ex aliis* proprie dictis *Seminariis* singulis.

[1] 22 Dec. 1905, CO. II, 106.

minoribus vel maioribus, dioecesanis, interdioecesanis, regionalibus, b) *vel ex aliqua religione* in can. 488, 1° definita, c) vel ex societate virorum in communi viventium sine votis, eo quod in hoc (can. 681) « circa dimissionem, praescripta can. 646-672 servantur » propria illarum, ac huiusmodi societas veniebat in Dec.° « Vetuit » sub clausula « ex aliquo religioso Instituto », *ne admittantur* in Seminarium diversum a praedictis, I° *nisi prius* a) *Episcopus*, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), b) *etiam secreto*, sicut in Dec.° « Vetuit » c) *a Superioribus* Seminarii vel religionis respective minoribus vel maioribus *aliisve* de hoc consciis d) *notitias requisierit* ad informationem circa haec quatuor: a) *de causa dimissionis*, potens « iudicare de causis » secus ac in Decreto, b) *ac de moribus* praesertim dum morarentur apud illos, c) *indole* quoad naturales qualitates d) *et ingenio* ad studia quod attinet, *dimissorum, et* II° *certo compererit* seu constiterit ex informationibus *nihil in eis* dimissis *esse quod sacerdotali statui* amplectendo *minus conveniat* suo prudenti iudicio. Verba sunt derivata ex num. 4° cit.[i] Dec.[i], sed novum est sequens praescriptum, quod erat subintelligendum: *quas notitias* de quatuor praedictis, *veritati conformes*, sive favorabiles vel minus candidatis, sub peccato mortali, seu *eorum conscientia graviter onerata* quandocumque non excusentur de his « etiam secreto » dandis, *suppeditare Superiores* supra declarati ac expetiti *debent*, non alii de talibus forsan requisiti.

246. **Intellectualis alumnorum communis cultura.** Conc. Trid. (loc. cit.) decrevit: « discent alumni grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam; insuper sacram scripturam, libros ecclesiasticos, sanctorum homilias, et formas sacramentorum tradendorum, ritus ac caeremonias, et maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna ». In Codice servata est mens ipsius S. Synodi, verba autem sunt nostris moribus ac scientiarum ecclesiasticarum distinctioni accomodata, mentis autem eruditio acquirenda plenius enunciata in sequentibus.

Can. 1364. In inferioribus Seminarii unici, vel minoris propriis *scholis*: — *1.° Praecipuum locum*, ex natura illius disciplinae ac in scholarium civilium exemplum ac reprehensionem, *obtineat religionis* theoreticae ac practicae *disciplina, quae,* ut fructuose

tradatur, *modo singulorum ingenio et aetati* perpendendis *accomodato, diligentissime,* utpote maximi momenti eruditio, *explicetur;* — *2.° Linguas* tum classicas tum usuales, sed *praesertim latinam* inter illas clericis omnino necessariam, *et patriam* inter istas ob ministerii praedicationis ac confessionum audiendarum utilitatem *alumni* non quomodolibet *sed accurate addiscant;* [1] « Quare (idest propter rationes ibidem adductas) in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescunt, accuratissime sermone latino volumus alumnos institui, hanc etiam ob causam, ne deinde, cum ad maiores disciplinas accesserint, quae latine utique et tradendae et percipiendae sunt, fiat, ut prae sermonis inscitia plenam doctrinarum intelligentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie iuvenum acuuntur ingenia ad defensionem veritatis. Ita iam non continget, quod saepius dolemus fieri, ut nostri clerici sacerdotesque, cum haud satis operae litterarum latinarum studio dederint, neglectis Patrum Doctorumque Ecclesiae copiosis voluminibus, quibus Fidei dogmata exhibentur cum dilucide proposita tum invicte defensa, idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus petant auctoribus, in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et accurata disserendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatio desiderari ». — *3° Ea in ceteris disciplinis* v. gr. scientiarum naturalium, historiarum profanarum, litteraturae, *institutio tradatur* diversa, *quae* nempe *conveniat* a) *communi omnium culturae,* ut honorabiles appareant in societate, b) *et statui clericorum* ad quem tendunt, *in regione ubi alumni,* quantum praevidetur ex Seminario quod incolunt, *sacrum ministerium exercere debent.* Maior hac non praescribitur, nec minor quam sic determinata canonis lineam attingeret.

247. **Propria Seminariorum studia.** De doctrina in Seminariis tradenda edicitur in const. « Pascendi » Pii X s. m. [2]: « ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... et cum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a S. Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Leone XIII sancitum est,... stricte ab omnibus servari iubetur. — Hoc ita posito fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. Theologiae studium sic provehendum, ut clerici e Seminariis egre-

[1] Cit. Ep. Pii PP. XI. CO. XIV, 453. — [2] 8 Sept. 1907.

dientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant ».

Et « quamvis maior quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimentum capiat ».

« In rerum naturalium consideratione strenue adlaboretur, sine ullo tamen sacrorum studiorum damno ».

Haec omnia in sequentibus duobus canonibus implicite traduntur. Commata illa primum et ultimum refert *can. 1365.* § 1. *In philosophiam* proprie dictam *rationalem*, quatenus empiricae seu experimentalibus disciplinis contradistinguitur, principiis rationis innixa praecipue, quin rerum naturalium consideratio praetermittatur, sequitur enim: *cum affinibus disciplinis alumni* iam in inferioribus scholis versati *per integrum*, exclusa quacumque abusiva abbreviatione, *saltem biennium* scholasticum more regionis, *incumbant*, quin obstet triennio ab Episcopo forsitan statuendo.

Leo XIII in Encycl. « Exeunte iam anno » [1] ait: « Lumen doctrinae, neque illud vulgare, in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere sapientia ceteros, evellere errores, ducem esse multitudini per itinera vitae ancipitia et lubrica ». Nil igitur mirum quod statuat § 2. *Cursus theologicus* sic dictus ob principaliorem scientiam, statim declarandus, ac mentis studio percurrendus *saltem integro* ut in §° 1ª declaratum est *quadriennio contineatur*, seu quater « spatio 365 dierum » (can. 32, § 2), computatis vacationibus. Adduntur illius « cursus » elementa sic: *et, praeter theologiam* proprie dictam et ex fidei principiis derivantem, quod innuit verbum *dogmaticam*, quae praesertim circa speculanda (sed theologiam fundamentalem praesupponit discendam) mysteria versatur, *et moralem* partem iuxta divinam revelationem, *complecti praesertim debet*, quia disciplinae aliae admittuntur, *studium* a) *sacrae Scripturae*, cuius « praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium, potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim ». Ita Pius X in litt.ᵉ aplcis. « Quoniam in re biblica » [2]. Ex

[1] 1 Dec. 1888. — [2] 27 Mart. 1906, Acta S. Sedis, XXXIX

iisdem opportune deducentur in praxim impliciti in canone num.[1] « II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: » sicut « tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum » (can. 972), « ita ut horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum perfecerit ». Demum XVIII... « dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi alumnis in promptu sint volumina,... XVII: de historia utriusque testamenti. de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palaestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent ».

Praedicto curriculo sacrae scripturae necesse est ut adiungatur opportune distributum « studium » b) *historiae ecclesiasticae* totius. c) *iuris canonici* per institutiones, d) *liturgiae* per aliquod manuale de officio divino, de Missa, sacramentorum administratione quoad rubricas, e) *sacrae eloquentiae,* de cuius studio haec habentur in « Normis pro sacra praedicatione »[1]: « 35. Curabunt igitur Ordinarii et Superiores religiosorum ut proprii clerici, dum sacrae theologiae dant operam, de variis praedicationum generibus doceantur; praeque manibus habeant et gustent exemplaria insignia quae in omni concionum genere Sancti Patres reliquerunt, praeter illa quae in sacris Evangeliis, in Actibus et Epistolis Apostolorum ubique accesserunt. — 36. Studebunt item Ordinarii (supple « et Superiores religiosorum ») ut iuvenes instituantur de actione et pronunciatione in concionibus servandis, ut eam deinde gravitatem. simplicitatem et concinnitatem praeseferant, quae nihil histrionem sapiat, sed verbo Dei conveniat, probetque concionantem pro animi persuasione et ex corde loqui sublimemque spectare finem, qui ministerio suo est praestitutus. — 37. Haec dum in Seminariis vel studiorum locis peragentur, Superiores scrutabuntur quod genus praedicationis singulorum alumnorum dispositioni magis respondeat. ut deinde ea super re ad Ordinarium referant ».

Explicit paragraphus, quam commentamur, requirens « studium » *et* f) *cantus ecclesiastici*. Ad huius studium pertinent, quae mandantur « clericis, praepositis seminariorum et conventuum eccle-

[1] S. Congr. Consist. 28 Iun. 1917, CO. IX, 334.

siasticorum et religiosorum,... praesertim Ordinariis ut omni modo et studio his sapientibus reformationibus faveant », quas continet vigens ob can. 1264 « Instructio de sacris musicis » edita Motu pr. « Inter plurima » Pii X [1]: « 25. In seminariis clericorum et in conventibus ecclesiasticis, iuxta Tridentina decreta, magna cum diligentia et studio cantus gregorianus, quem transmisit traditio, colatur (theoretice ac practice), et iuvenibus praepositi omnimodo faveant. Ubi fieri potest inter clericos Schola cantorum erigatur, quae sacram poliphoniam et optimam musicam liturgicam exequatur. — 26. In quotidianis lectionibus liturgiae, theologiae moralis et iuris canonici, quibus imbuuntur discipuli scholae theologicae, doctores curent (pro uniuscuiusque provincia) ut quae sacram musicam attingant, pertractent, et discipulos pulchrum artis sacrae doceant, ne clerici, studiorum cursu absoluto, his notionibus cultui rerum ecclesiasticarum necessariis careant ».

§ 3. *Habeantur etiam,* quod verbum praeceptivum est, sed tamquam in alio praecedentium studio contentae, v. gr. in theologia morali, seu extra ordinem *lectiones de theologia pastorali* idest: de muneribus parochialibus, hinc *additis practicis exercitationibus* ut exinde facilius ac scite illa impleantur, *praesertim* uti de principalioribus *de ratione* a) *tradendi pueris aliisve catechismum* seu de proficuo catechistae munere ad can. 1333 declarato, b) *audiendi confessiones* cum debita charitate, discretione ac scientia. c) *visitandi infirmos* convenienti urbanitate, solatio ac exhortatione, d) *assistendi moribundis* cum patienti et pacifico zelo de aeterna ipsorum salute.

[2] « Quod ad clericorum studia pertinet, qui, pro conscientia officii, ea moderetur, non is profecto praescriptiones Iuris Canonici negliget de Theologia *pastorali :* imo plurimum tribuet huic disciplinae, qua quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda. In quo ei erit temporum habenda ratio diligentissime. Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus: quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, ut nova novis remedia malis in Iesu Christi vir-

[1] X Calendas Dec. 1903, Acta S. Sedis, XXXVI, 394. — [2] Cit. Epist. Pii PP. XI. CO. XIV, 456.

tute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis ».

Quamvis non appareat servatum explicite vetitum de diariis aut commentariis non legendis a sacrorum alumnis in Seminariis et ab instituti religiosi tyronibus, attamen Superiores opportune idipsum praecipient ad normam praecedentis disciplinae contentae in Motu pr. « Sacrorum Antistitum » [1], cum S. Congr.s Consist.s solutione Dubii IV [2], et plena illius legis moderata declaratione in Epistola eiusdem S. Congregationis ad Primatem Hungariae [3]. Ratio enim illius suadet prudenter idem vetitum, scilicet: « discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: " non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem ". Quare cum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia:... ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur ».

248. **De professoribus Seminarii** ac Universitatum atque moderatoribus eligendis, e memoria non excidat ad normam can. 1360, § 1, quod statuitur in const. « Pascendi » Pii X supra citata, n. II: « Quicumque... modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito respectu, tum a regendi tum a docendi munere arceantur, eo si iam funguntur, removeantur; item, qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati cuicumque obedientiam detrectando, item qui in historica re, vel archaeologica vel biblica nova student; item, qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur ». Haec servanda quoque sunt quoad religiosos, cum ratio urgeat perfecte quoad illos, contrariumque absonum esset.

Quia can. 1360 § 1 iam edixit qualitates magistris seminarii cum aliis communes, specialiter de illis praescribit *can. 1366. § 1. Ad magisterii munus* « quod in spiritualem finem legitime exercetur » (can. 145 § 1), *in disciplinis* diversis tum *philosophicis* sub quibus veniunt affines philosophiae, tum *theologicis*, sub. §o 2a can.s praec. recensitis, excepto studio iuris canonici, nam subditur: *et iuridicis* forsan pluribus ob iuris facultatem, uno verbo quae ad unam alteramve facultatem spectant, *ii* « sacerdotes » (can. 1360

[1] 1 Sept. 1910, CO. II, 655. — [2] 25 Sept. 1910, CO. II, 740. — [3] 20 Oct. 1910, CO. II, 855.

§ 1), *ceteris paribus* dotibus, *iudicio Episcopi et deputatorum Seminarii*, quorum igitur « debet consilium petere » (can. 1359, § 4), ceteroquin *praeferantur* ex can. praescripto, *qui laurea doctorali* relativa (eisdem tribuente idoneitatis testimonium ac docendi ius) *potiti sint* non qualitercumque, sed a) *in Universitate studiorum* propter illas tres facultates, *vel Facultate* una vel altera *a Sancta Sede recognitis* ad hos gradus conferendos propter « sua statuta a Sede Apostolica probata » (can. 1376, § 2), *aut, si agatur de religiosis,* « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), *qui simile* ob studia et examina peracta *testimonium* de doctrina aliqua ut supra, v. gr. Diploma Lectoratus *a suis Superioribus maioribus,* qui determinantur in can. 488, 8°, *habeant,* saltem implicite, quatenus ab illis constitutum sit studium, a cuius moderatoribus illud fuit datum « testimonium ».

De ipsa doctrina cavet § 2. *Philosophiae rationalis* in can. 1365, § 1 declaratae *ac theologiae*, ut in §° 2ª explicata est, *studia* in diversis illarum partibus, *et alumnorum in his disciplinis institutionem* in scholis *professores* seu ut supra « magistri Seminarii » (can. 1360, § 1) *omnino pertractent*, quae verba continent absolutum praescriptum, *ad Angelici Doctoris,* quod « nomen iure est adeptus D. Thomas Aquinas ex Ord. Praed. cum sanctis Angelicis Spiritibus non minus innocentia quam ingenio comparatus, eidemque auctoritate S. Pii V confirmatum » [1], a) *rationem* scilicet: scholasticam, prout iusserunt Leo XIII et Pius X, b) *doctrinam* « cum revelatis veritatibus mire consentientem » (loc. cit.), c) *et principia* « quibus, tanquam fundamentis, ipsa nititur » [2] « quae plane contineri in XXIV thesibus rite examinatis et sanctissimo Domino subiectis S. Studiorum Congr. respondit » [3], *eaque* tria praefata *sancte teneant,* (abhorret enim Ecclesia duplicitatem in suis Doctoribus), prout expostulant Apostolicae litterae Leonis XIII « per quas coelestem Patronum scholarum omnium catholicarum declaravit et instituit, ac Innocentii Sexti sententia (cui concinunt quamplures Romani Pontifices) « numquam qui eam doctrinam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus ». Atque Pius X in Motu proprio citato edixit: « Quod si alicuius auctoris vel Sancti doctrina a Nobis Nostrisve

[1] Ex Rom. Brev. — [2] Motu pr. « Doctoris Angelici » 29 Iun. 1914, CO. VI, 336. — [3] 27 Iul. 1914, CO. II, 384.

Decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam, ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret ».

[1] « Consequens est, non bene sacrae iuventuti consulere, qui omnem de theologia institutionem, scholastica ratione neglecta, ad *positivam methodum*, ut dicitur, exigendam putent; multoque minus eos officio suo satisfacere, qui huius doctrinae magisterium non aliter exerceant, nisi ordinem seriemque dogmatum atque haeresum doctis disquisitionibus exsequendo. Illa enim positiva methodus necessario quidem scholasticae adiungenda est, sed sola non sufficit; cum bene comparari nostros oporteat ad Fidei veritatem non modo convincendam, sed illustrandam etiam ac defendendam; Fidei autem dogmata contrariosque errores ex ordine temporum recensere, ecclesiasticae quidem historiae est, non vero munus Theologiae ».

Ut alumnorum institutioni melius prospiciatur, inquit § 3. *Curandum*, quia de potiori medio, *ut saltem* a) *sacrae Scripturae*, pro sequentibus fundamenti, ac praecipuae doctrinae b) *theologiae dogmaticae*, magis necessariae pro sacro ministerio c) *theologiae moralis* d) *et historiae ecclesiasticae*, quia magistra vitae ob experientiam, *totidem* seu quatuor *habeantur distincti* ad singulas disciplinas *magistri*, queis alia ex secundariis docenda committi poterit.

249. **Exercitia pietatis.** Conc. Trid. decrevit (loc. cit.): « Curet Episcopus, ut singulis diebus missae sacrificio intersint; ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata; et iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini Nostri Iesu Christi; cathedrali, et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant ». Servata igitur mente Decreti, sed plenius ac congruenter inductae praxi apud pium populum fidelem, loquitur *can. 1367. Curent Episcopi*, quorum est sic decernere ac fidelem observantiam urgere ad normam can. 1357. § 1, respective « Abbates vel Praelati nullius » (can. 215 § 2). Vicarii et Praefecti Apostolici ad normam can. 305, *ut alumni Seminarii*, praecipue intra illud degentes: — 1° *Singulis diebus communiter* a) *matutinas et serotinas preces recitent*, prout est in more. b) *per*

[1] Epistola cit. Pii PP. XI. CO. XIV, 455.

aliquod tempus, saltem quadrans, *mentali orationi vacent* quatenus externe apparet, c) *sacrificio Missae intersint*. — 2° *Semel saltem* a) *in hebdomada,* quae « constat 7 continuo supputandis diebus » quibuslibet (can. 32, § 1), ut piarum fert mos personarum, *ad sacramentum poenitentiae accedant,* quin de alia re sint solliciti, b) *et frequenter*, etiam frequentius in hebdomada, sed *qua par est pietate*, ratione praeparationis et gratiarum actionis, *Eucharistico pane se reficiant* quoad spiritus vires. Hic memorari oportet ex Dec.^s^ S. Congr.^s^ Conc. « De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione » [1] num. 7. « Communio frequens et quotidiana quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio ».

3° *Dominicis et festis diebus* recensitis in can. 1247, § 1, a) *sacris Missarum et Vesperarum sollemnibus*, quae cantum supponunt, *adsint*, tunc et alias b) *altari inserviant* pro eorum ordinibus, c) *sacrasque caeremonias exerceant,* quum illae in actibus consistant. Hoc fieri potest in Seminarii oratorio, vel « in aliis loci ecclesiis » (Conc. Trid. loc. cit.), sed *praesertim* propter solemnitatem *in ecclesia cathedrali si id, iudicio Episcopi* solius, sed ut supra, *sine* a) *disciplinae* in Seminario servandae b) *et studiorum* a singulis etiam in illis diebus non intermittendorum *detrimento fieri possit;* v. gr. per turnum, si quamplurimi alumni sint;

4° *Singulis annis,* quorum « nomine venit spatium 365 dierum » (can. 34, § 2), a quocumque die incipiatur supputatio, *per aliquot,* tres vel pro omnibus quinque certo sufficerent *dies continuos* quoad successionem *exercitiis spiritualibus*, nempe: meditationibus, orationibus, lectionibus, examinibus, etc. *vacent*, aliis occupationibus etiam studii non detenti;

5° *Semel saltem in hebdomada* supra num.° 2° declarata, v. gr. die dominico *adsint instructioni de rebus spiritualibus*, quae sub ascetica comprehenduntur, et *quae* instructio *pia exhortatione* ad eorum praxim *claudatur*. Ad minus per quadrantem protrahenda esset completa.

250. **Seminariorum exemptio minor.** Novum est omnino quod praescribit *can. 1368. Exemptum a iurisdictione paroeciali*, intra cuius fines situm esset, *Seminarium esto:* nec id solum ex

[1] 20 Dec. 1905, CO. II, 894.

iure, sicut potestas Episcopo facta est similis in can. 464, § 2, sed canon statuit: *et pro omnibus*, alumnis, servientibus, confessariis, etc. *qui in Seminario sunt* actu, diu noctuque, *parochi officium* noscendum ex can. 462 et seq.[s], *excepta materia matrimoniali*, quae pro alumnis locum non habet, ac pro inservientibus ad parochum territorii, in quo situm est Seminarium, esset deferenda, *et firmo praescripto can. 891* limitante can. 467, § 1 praescriptum, de non administrando Poenitentiae sacramento « alumnis secum in eadem domo commorantibus », nisi exceptio verificetur ibi declarata. — Praefatum « officium » *obeat* ex huius can.[s] praescripto *Seminarii rector eiusve delegatus,* quin propter hoc aliquatenus privetur Ordinarius loci sua cum parocho cumulativa iurisdictione. De parochi officio propter contextum, non de Seminarii exemptione intelligere oportet clausulam finalem: *nisi in quibusdam Seminariis* forsan « dioecesanis » *fuerit aliter a Sede Apostolica* v. gr. per S. Congregationem de Seminariis et Universitatibus, ac antea per S. Congr. Consistorialem, *constitutum*, ante Codicis vigorem vel postquam ille viget.

251. **Rectoris ac moderatorum Seminarii obligationes** accurate designantur in *can. 1369. § 1. Seminarii* cuiuslibet *rector* utpote immediatus, ac verus Superior pro regimine, *et alii omnes moderatores,* quicumque sint ibidem, sive ad normam can. 1358, sive ultra ipsos v. gr. praefectus studiorum, praefecti puerorum distinctis classibus, *sub eius* rectoris *auctoritate* congruenter can.[i] 1360 § 2[ae] *curent* pro uniuscuiusque munere, *ut alumni* a) *statuta ab Episcopo probata*, quae praescripta et declarata fuerunt in can. 1357, § 3, b) *studiorumque rationem*, quae proinde in unoquoque Seminario est ordinanda circa diversarum scholarum horarium, *adamussim servent*, prouti exigit communis vita et induendus disciplinae amor, c) *ac spiritu vere ecclesiastico* subiectionis, sacrificii ac mutuae dilectionis *imbuantur*.

Quae secundaria sunt nec parvipendenda exhibet § *2. Saepius eis,* prout res postulat, a) *verae* contra fictam *et christianae* ob conformitatem ad Christi doctrinam *urbanitatis* ad socialem convictum *leges* seu normas usus *tradant* theoretice, *eosque* alumnos *exemplo suo ad illas* praxi *colendas excitent*, quia exempla trahunt; b) *hortentur praeterea,* quatenus obligatoria in se dici non possunt, *ut* a) *praecepta hygienica*, salutis curandae causa et quae

videri queunt in « Normis pro Seminariis Italiae » Appendice I[a], b) *vestium et corporis munditiam* quae omnibus *placet*, non ornatum vel luxum, c) *et quandam in conversando comitatem* seu affabilitatem *cum modestia* idest: ordinata membrorum dispositione ac proprio singulorum usu cum decore, *et gravitate* spiritus *coniunctam*, *iugiter* ut connaturalem induant, *servent*.

Denique pro mentis alumnorum eruditione speciatim meminit § *3. Sedulo vigilent* praedicti ad quos spectat, *ut magistri* singularum disciplinarum *suo munere* eas docendi *rite* idest: secundum horarium absque temporis iactura atque ad normam can. 1366 § 2 *fungantur*.

252. **Alumnorum mora extra Seminarium** sic moderata est. *Can. 1370. Quoties alumni ob quamlibet causam*, (quia sine causa aliud exigente aut suadente, « in Seminario commorari tenentur » vel saltem « curandum » esset ad normam can. 972, § 1), *extra Seminarium morentur* etsi minus « legitime », *servetur* vi can.[s] praesentis *praescriptum can. 972 § 2*. Scilicet: « commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet ».

253. **Eorum dimissio** facienda est ad normam *can. 1371.* Conc. Trid. decreverat (loc. cit.): « Dyscolos et incorrigibiles, ac malorum morum seminatores, acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo ». Severior est Codicis disciplina iuri praecedenti conformis ac magis determinata. *E Seminario dimittantur* sola facti veritate inspecta a) *dyscoli* ob convictus difficultatem, b) *incorrigibiles* ob non retentam disciplinam, c) *seditiosi* seu promoventes insubordinationem, d) *ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur;* circa quos sic edocemur a Pio X s. m. in Motu proprio « Sacrorum Antistitum » [1]: « virtutum quas diximus defectum, (et quae sunt: ad parendum docilitas, in pietatem pronitas, de se non alte sentire, disciplinae retinentia, finis sibi propositi rectitudo), cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causa, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime... Hoc animo comparatum si quem deprehenderit

[1] 1 Sept. 1910, CO. II, 655.

sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus ». Quod etiamnunc laudabiliter servatur, quando canon addit: *praesertim vero statim*, quod prius non fuerat dictum, *dimittantur qui forte* a) *contra bonos mores*, ut in Tit. XIV Lib. V praecipue « contra sextum decalogi praeceptum », b) *aut fidem deliquerint* proprie ad normam can. 2195, § 1, quae posteriora delicta ex Tit. XI eiusdem Libri nosci queunt.

TITULUS XXII.

De scholis.

Can. 1372. - § 1. Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi ut non solum nihil eis tradatur quod catholicae religioni morumque honestati adversetur, sed praecipuum institutio religiosa ac moralis locum obtineat.

§ 2. Non modo parentibus ad normam can. 1113, sed etiam omnibus qui eorum locum tenent, ius et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem.

Can. 1373. - § 1. In qualibet elementaria schola, pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa.

§ 2. Iuventus, quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes.

Can. 1374. - Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur.

Can. 1375. - Ecclesiae est ius scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi.

Can. 1376. - § 1. Canonica constitutio catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Universitas vel Facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua debet habere statuta a Sede Apostolica probata.

Can. 1377. - Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest, nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa.

Can. 1378. - Ius est doctoribus rite creatis deferendi, extra sacras functiones, annulum etiam cum gemma, et biretum doctorale, firmo praeterea praescripto sacrorum canonum, qui in collatione quorundam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum statuunt eos, ceteris paribus, iudicio Ordinarii, esse praeferendos, qui lauream vel licentiam obtinuerint.

Can. 1379. - § 1. Si scholae catholicae ad normam can. 1373 sive elementariae sive mediae desint, curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur.

§ 2. Itemque si publicae studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, optandum ut in natione vel regione Universitas catholica condatur.

§ 3. Fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas.

Can. 1380. - Optandum ut locorum Ordinarii, pro sua prudentia, clericos, pietate et ingenio praestantes, ad scholas mittant alicuius Universitatis aut Facultatis ab Ecclesia conditae vel ap-

probatae, ut inibi studia praesertim philosophiae, theologiae ac iuris canonici perficiant et academicos gradus consequantur.

CAN. 1381. - § 1. Religiosa iuventutis institutio in scholis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subiicitur.

§ 2. Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat.

§ 3. Eisdem similiter ius est approbandi religionis magistros et libros; itemque, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur.

CAN. 1382. - Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae.

CAN. 1383. - In religiosa alumnorum alicuius collegii institutione servetur praescriptum can. 891.

Titulus XXII. De scholis —
- quoad religiosam institutionem —
  - in genere — Can. 1372
  - iuxta illarum distinctionem » 1373
- non frequentandis » 1374
- condendis —
  - Ecclesiae ius » 1375
  - a Sede tantum Aplca. —
    - Universitas vel Facultas » 1376
    - ad gradus academicos —
      - determinatos conferendos » 1377
      - cum certis iuribus » 1378
  - curandum et optandum » 1379
- frequentandis per quosdam clericos » 1380
- ius Ordinariorum locorum —
  - vigilandi, approbandi et exigendi » 1381
  - visitandi » 1382
- in Collegiis quale servetur praescriptum » 1383

254. **Inscriptio Tituli et canonum ordinatio.** Deinde considerationem exposcit *Titulus XXII* inscriptus *De scholis*, in quibus mentes efformantur non solum proprio labore, sed adiumento ac opera magistri ducentis ad veritatis cognitionem. Aliae sunt *elementares*, in quibus pueri edocentur scientiarum elementa, seu *primariae* propter priores cognitiones adipiscendas, aliae *mediae* pro evolutione culturae mentis civibus communis, demum *superiores*, *universitates studiorum* seu *facultates*, in quibus potiores ac bene

fundatae cognitiones traduntur, quae, cum in diversis cognitionis humanae provinciis versentur, complexum scholarum constituunt vel plurium illarum et universitates audiunt, vel unius ordinis seu provinciae ac facultates dicuntur. De illis scholis diversis canones in hoc Titulo tractant quidquid catholicae Ecclesiae intersit.

De necessitate institutionis religiosae sunt duo can. 1372, 1373, quos excipit consequenter can. 1374 de non frequentandis illa de causa quibusdam scholis. Quoad scholas condendas, declarato in can. 1375 Ecclesiae iure, quaenam tum scholae tum facultas Sedis Apostolicae concessioni reserventur, et graduum huiusmodi academicorum effectus iuridicos edicunt can. 1376-1378, demum statuitur quid curandum et optandum in hac re. Connexus est cum praecedenti can. 1380 de frequentandis Universitate vel Facultate, graduum consequendorum causa. Demum Ordinariorum locorum iura in scholas moderantur duo can. 1381, 1382, et Titulus clauditur memorante can. 1383 quoddam servandum praescriptum.

255. **Puerorum institutio religiosa et moralis.** *Can. 1372. § 1. Fideles omnes* de quibus sollicita debet esse S. Mater Ecclesia, *ita sunt a pueritia instituendi,* « qua aetate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter haerent. Aetas igitur tam flexibilis, si absque religione adolescat, sane ingens malum est » [1]. Quapropter « ita sunt instituendi » in scholis, *ut non solum* a) *nihil eis tradatur quod catholicae religioni* quoad eius doctrinam, *morumque honestati* quoad praxim *adversetur* plus minusve, servato igitur in his iure divino, b) *sed praecipuum institutio religiosa* circa mysteria fideique articulos, aliaque, *ac moralis* quoad agenda per eosdem *locum obtineat.* Etenim « religionis dignitatem in puerorum existimatione imminui oportet, si illam veluti publico honore carentem intra domesticos parietes relegatam viderint » [2].

Officium est illud praesertim societatis, eiusque Magistratuum ac legislatorum. — Sed personae physicae in id efficaciter conscientiae stimulis concurrere debent. Illas designat § 2. *Non modo parentibus* scilicet: patri ac matri *ad normam can. 1113* nempe: illi « gravissima obligatione tenentur » erga prolem, *sed etiam omnibus* in solidum, *qui eorum locum tenent,* sive in illorum de-

[1] Instr. S. Officii, 24 Nov. 1875: Collect. S. C. de Prop. Fide. n. 1449. — [2] Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide ad Epp. Canad., 14 Martii 1895; Collect. cit. n. 1890.

fectum, ut tutores vel curatores, sive ex illorum voluntaria substitutione, ut magistri etiam privati, ac moderatores collegiorum, *ius* ne impediantur quominus adimpleant *et gravissimum* propter funestas et irremediabiles sequelas *officium* erga liberos est *curandi* per seipsos ac modo eis beneviso sed apto, *christianam*, idest: iuxta Christi doctrinam, quae in Ecclesia catholica custoditur, *liberorum* ratione parentum supra expressorum *educationem* mentis et cordis.

256. **Pro scholarum distinctione fundamentali.** Sequentis praescripti rationem suppeditat nobis Leo X in const. « Supernae dispositionis » in Conc. Later. V [1], dum ait: « Et cum omnis aetas ab adolescentia prona sit ad malum, et a teneris assuetieri ad bonum magni sit operis et effectus ». Hinc optime dicit *can. 1373.* § *1. In qualibet*, sive privata sive publica, iuxta diversam, quae ipsam constituat, auctoritatem, *elementaria schola* definita in Tituli inscriptione, *pueris* utriuslibet sexus, qui quamlibet frequentent, *pro eorum aetate*, ne inutilis evadat, *tradenda est institutio religiosa*, seu eorum « quae ad religionem pertinent, ut sunt praecepta divina, articuli fidei » sacrae preces ac sanctorum vitae [2].

§ 1. *Iuventus* etiam foeminei sexus, tantum *quae medias vel superiores scholas* iam declaratas sub Tituli inscriptione, privatas vel publicas *frequentat* idest habitualiter, *pleniore religionis* ultra ipsius elementa ac profundiori *doctrina excolatur* praeceptive, quod requiritur tum obiecti dignitate, tum ratione diversarum obiectionum, quae ob studia suboriri queunt, *et* consequenter praescripto *locorum Ordinarii*, eo quod de re agatur publica seu communi suorum fidelium, *curent* pro eorum pastorali munere, *ut id fiat* sive in scholis eisdem, sive extra ipsas *per sacerdotes* qui ob theologicam eruditionem id competenter adimplere possunt, dummodo sint *zelo* animarum ac puritatis fidei et morum *et doctrina praestantes*, propter quas dotes ut auctoritatem habentes suadere queant audientes.

Huc pertinent velut paragraphi origo, lit. aplcae. « Acerbo nimis » [3] ubi sub n.° V. districte mandavit Pius X: « Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, (seu scholae « superiores »), lycea, gymnasia (seu scholae « mediae ») patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitae-

[1] 5 Maii 1514, § 32. — [2] Leo X loc. cit. — [3] 15 Apr. 1905. Acta S. Sedis, XXXVIII 623.

que christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur ». Quod etiam nunc vi praecedentis paragraphi et ad illius normam « curent ».

257. **Scholae non frequentandae**. *Can. 1374. Pueri* proprie, quales dici nequeunt, qui frequentant scholas superiores seu Universitates, *catholici*, eo quod propter fidei catholicae periculum ad hoc urgentur divino praecepto, *scholas* iuxta inscriptionem, expresse elementares aut medias, et quatenus praeceptum divinum urgeat eadem ratione scholas superiores, *acatholicas* positive, eo quod catholicae adversas religioni, saltem propter aliam religiosam professionem, b) *neutras*, « quae sic dicuntur ex ipso quod ambitu suo exclusam una cum aliis veram etiam religionem faciant, (proindeque) gravem huic inferunt iniuriam quum ab illo principe loco deturbatur, quem quum in omni humanae vitae consuetudine, tum maxime in iuventutis educatione habere debet », ut ait S. C. de Prop. Fide in Litt. Encycl. ad Epp. Canad. [1].

Legitur vero in alia Instr. S. C. S. Officii ad Episc. Stat. Foed. Amer. Sept. [2]: « Certa item corruptela ex hoc impendet quod in iisdem scholis, aut saltem in pluribus earum, utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi iuxta foeminas iubentur ». Ne videatur canon hoc respicere, dum utitur verbo *mixtas* « scholas », statim explicat hoc modo: *quae nempe etiam acatholicis patent*, forsitan cum instructione religiosa, quae omnibus studentibus sit communis, et quae in prius dictis non includerentur. Citata ultimo Instructio postquam scholas illas examinavit, sic concludit: « Quae omnia efficiunt, ut iuventus misere exponatur damno circa fidem ac mores periclitentur. Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina ». Canon autem absolute vetans: *ne frequentent* (ut supra declaratam est verbum), tum illam legem firmam protestatur, tum idipsum servari vult absolute, etiamsi in casu aliquo periculum illud certo abesset. — Eapropter provide subiungit, sensum explicatum innuens: *Solius autem Ordinarii loci est*, exclusis proinde confessariis, parochis, aliisque sacerdotibus etiam doctioribus ac prudentioribus, nisi iuxta illius

[1] 14 Mart. 1895. Collect. S. C. de P. F. n. 1890. — [2] 24 Nov. 1875, Collect. cit. n. 1449.

decreta, quia ipsius laederent ius scilicet: *decernere* obligatorie, tum generaliter, attentis sui territorii circumstantiis, tum in casu particulari consideratis eiusdem adiunctis, non tamen pro suo libero iudicio, sed *ad normam instructionum*, quae datae sunt ac in fontium adnotationibus citantur, vel in posterum dentur, quamvis alias regiones respiciant ac proprio aptandae sint territorio, a) *in quibus rerum adiunctis* per Decretum determinandis, b) *et quibus adhibitis cautelis* pro praxi indigitandis in eo, *ut periculum perversionis vitetur,* seu remotum fiat, alioquin urgeret « lex naturalis et divina », *tolerari possit* propter adiuncta praedeterminata, quae observantiam canonis excusent, quin approbetur praxis, *ut eae* seu praedictae *scholae celebrentur,* seu quod idem sonat frequententur.

In Ordinariorum locorum commodum transcribere oportet, quae plenius meo quidem iudicio exponuntur circa rem hanc in cit. Instructione S. C. S. Officii, quin aliarum consultatio respuatur. « Ceterum S. Congregatio non ignorat talia interdum rerum esse adiuncta ut parentes catholici prolem suam scholis publicis (antea dictis) committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant, ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari adsit nec ne, id conscientiae ac iudicio Ordinariorum relinquendum erit; et tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus. Tunc autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis, cum propria ipsarum ratione plus minusve numquam non coniunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum. Est ergo imprimis videndum, utrumne in schola, de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi quod fieri remotum plane nequeat: velut quoties ibi aut docentur quaedam, aut aguntur, catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, nedum peragi. Enim vero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporalis etiam vitae. Debet porro iuventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholae tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi... in explicandis praecipue incumbant veritatibus fidei ac morum, quae magis ab incredulis et heterodoxis impetuntur: totque periculis expositam iu-

ventutem impensa cura, qua frequenti Sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitare. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios, de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et si quid noxium ibi deprehenderint, antidota praebeant, eosque a familiaritate et consortio discipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant atque prohibeant.

258. **De Universitatibus publicis.** Quamvis etiam in his magna iuventuti pericula immineant, attamen propter necessitatem eas frequentandi per catholicos, qui munera diversa in societate ipsaque magisteria exercere desiderant, Codex reliquit moderationem illius frequentiae iuxta normas iuris naturalis ac divini. Sed instructiones supradictae ac aliae S. Sedis de his scholis superioribus attendantur in praxi, et quando facultatem habeant iuvenes in alia regione Universitatem catholicam adeundi cum fructu et graduum desideratorum obtentu, ad id perficiendum saltem excitentur. Fortiori ratione Ordinariorum locorum est idem ius supradictum de scholis elementaribus ac mediis, qui exactas de superioribus informationes obtinere ac prudentiora iudicia ferre poterunt.

259. **Ecclesiae ius.** Principium iuridicum pro sequentibus ss. canonibus fundamentale enuntiat *can. 1375. Ecclesiae,* utpote societatis perfectae, quae idonea membra pro studiis quibuslibet, ut ex historia constat, habet, *est ius* cum aliis societatibus perfectis commune, *scholas* in suorum utilitatem ac securitatem, *cuiusvis disciplinae,* nam idoneitas ad illius magisterium non est acatholicorum vel civilis societatis propria seu exclusiva, *non solum elementarias,* propter earum naturam, *sed etiam medias,* quia communis cultura catholicis quoque non est deneganda, *et superiores,* quandocumque necessarium vel utile suis iudicet Ecclesia, sicut accidit nunc temporis propter salutis animarum proprium ac exclusivum finem, *condendi,* ita ut illae scholae revera publicae sint iure ob auctoritatem easdem constituentem ac iure positivo ipsius Ecclesiae regendae, utpote ad hanc societatem pertinentes.

260. **Catholicae Universitates vel Facultates.** Quoad scholas vero superiores servandus est *can. 1376. § 1. Canonica.*

ita ut publica evadat et cum ss. canonum effectibus, *constitutio*, veluti efformatio ex pluribus scholis, *catholicae*, eo quod ab Ecclesia ut societate dependentis ac moderandae *studiorum* superiorum *Universitatis*, sive omnium, qui Ecclesiam proxime respiciunt, videlicet: philosophiam, theologiam, ac ius canonicum cum disciplinis complementaribus illarum, sive ultra ea etiam aliorum profanorum, *vel Facultatis* propter unam vel alteram provinciam solummodo « studiorum » *Sedi Apostolicae*, scilicet: S. Congr.[i] de Seminariis et Universitatibus, quae « novas huiusmodi institutiones perpendit approbatque » (can. 256, § 1) ubilibet, excepta competentia Congregationis « pro Ecclesiis ritus orientalis » (can. 257, § 2), *reservatur* per hunc canonem.

Consequenter statuit § *2. Universitas* « studiorum » *vel Facultas*, in §° 1ª declarata utraque, *catholica* seu Ecclesiae ut societati propria, *etiam religiosis familiis* quoad magisterium vel moderationem *quibuslibet* etiam Ordinibus *concredita*, cum qua scholae publicae sunt dependentes ab Ecclesiastica auctoritate, *sua debet habere statuta*, seu normas uniuscuiusque peculiares, *a Sede Apostolica* nempe: a S. Congr. de Seminariis et Universitatibus ad normam canonis et §[i] cit. vel a S. Congregatione pro Ecclesia orientali iuxta competentiam istius, *probata*, etiamsi forsan ab aliis elucubrentur.

261. **Facultas concedendi gradus academicos.** De hac edicit *can. 1377. Gradus* propter successivam eorum consecutionem iuxta profectum in studiis per examina compertum, hinc vocatos *academicos*, nempe: Baccalaureatus, Licentiae ac Doctoratus, *qui effectus canonicos*, v. gr. enumeratos in can. sequenti, et saltem ad magisterium disciplinarum de quibus illi gradus collati fuerunt, *in Ecclesia* uti perfecta societate *habeant*, videlicet: philosophiae, theologiae, iuris canonici, vel utriusque, ac ultimo in Sacra Scriptura gradus prolytae et Doctoris instituti a Pio X per Litt.[s] Apostolicas « Scripturae Sanctae » [1]. Hos singulos *nemo* officio stricto vel lato sensu, aut dignitate potitus *conferre potest* valide, *nisi ex facultate* huiusmodi *ab Apostolica Sede concessa;* proindeque intra mensuram ac conditiones concessionis. Sacra videlicet Congr. de Seminariis et Universitatibus « facultatem concedit academicos gradus

[1] 23 Feb. 1904.

(praefatos) conferendi normasque tradit quibus ii conferri debeant, et ubi agitur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre » (can. 256, § 1).

In huiusmodi facultatis legitimo usu serventur oportet normae generales, quibus illa regitur ex concedentis voluntate per ipsas expressa. — Enimvero in Litt.[a] Aplcis. « Quoniam in re biblica »[1] dicitur sub. num. 16: « Omnibus in academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad introductionem historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit, atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac haebrei sermonis, graecique biblici scientem ». — Item ex M. proprio « Sacrorum Antistitum » Pii X[2] num. 11 viget: « Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto ». — Ac demum pro Italia et insulis adiacentibus, sic statutum est in Motu proprio « Doctoris Angelici »[3]. Pius X ait: « praecipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, Summam Theologicam S. Thomae tamquam praelectionum suarum *textum* habeant, et latino sermone explicent »: et in fine praescriptum est: « Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi academicos in Sacra Theologia gradus, nisi quod hic a Nobis praescriptum est, sancte apud ipsum servetur ». — Ad gradus in S. Scriptura quod attinet, plures sunt dispositiones tum in Litt.[a] Aplcis. « Scripturae Sanctae »[4] Pii X antea cit.[a], tum in aliis S. Sedis documentis de hac speciali Facultate.

Denique ad Ius can. quod spectat, sic adloquitur Bened. PP. XV fel. record. in const. qua promulgavit Codicem tum Ordinariis, tum catholicarum studiorum Universitatum ac Seminariorum Doctoribus atque auditoribus: « vestraeque tradimus custodiae ac vigilantiae servandum » praesentem Codicem. Eapropter S. Congr. de illis Universitatibus ac Seminariis, postquam « litteris datis die VII Augusti elapsi anni (1917), viam et rationem praescripsit, quam in

[1] 27 Mart. 1906, Acta S. Sedis, XXXIX. — [2] 1 Sept. 1910. CO. II, 655.. — [3] 29 Iun. 1914. CO. VI, 340. — [4] 25 Febr. 1904.

disciplina Iuris posthac Pontificia Athaenea sequerentur »,... experimentis in Iure can. moderandis has leges constituit [1].

« I. Quoniam in praelectionibus Codex Iuris canonici est tamquam textus adhibendus, periculorum materia sint ipsi Codicis canones, vel omnes vel partim, pro diversitate gradus adipiscendi, remoto quolibet indice thesium, vel quae doctrinam exhibeant in ipsis canonibus contentam. — II. Candidati ad academicos gradus exegesim seu interpretationem exponant canonum, prout habentur in Codice, sive singillatim considerentur, sive coniuncte cum aliis. — III. Candidati non modo singulos canones interpretari et explicare, quantum gradus ratio exigit, probe noverint; sed etiam de uniuscuiusque instituti iuridici ortu, progressu et historia, doctrinae suae specimen dabunt ».

262. **Doctoratus ac licentiae effectus canonici** sic recensentur *can. 1378. Ius est* prae aliis clericis pro libito utendum *doctoribus* seu gradum academicum in una ex quatuor supradictis facultatibus supremum obtinentibus, *rite creatis,* seu promotis regulariter post examen, iuxta « statuta a Sede Apostolica probata » (can. 1376, § 2) saltem quoad usum validum « facultatis ab eadem Aplca. Sede concessae » (can. 1377, § 1), *deferendi*, *extra sacras functiones,* (quarum nomine ad hunc effectum non venit ex usu sacra praedicatio), nisi aliunde amplietur eis hoc ius quoad a) *annulum etiam cum gemma* « ipsis a iure huius canonis concessum » (can. 136, § 2), b) *et biretum doctorale,* (idest: cum quatuor apicibus) utpote insigne huius gradus ac diverso colore ornatum pro Facultate, *firmo praeterea praescripto sacrorum canonum,* quod bene notetur esse observandum, *qui in collatione quorundam* solummodo *officiorum* « lato sensu vel stricto » (can. 145, § 2), v. gr. Vicariatus generalis ad normam can. 367, § 1, *et beneficiorum ecclesiasticorum* definitorum in can. 1409, v. gr. Episcopatus vi can. 331, § 1, 5.° *statuunt,* quae praescripta sic sunt intelligenda: *eos, ceteris paribus,* scilicet: qualitatibus aliis iure requisitis, quoad hanc paritatem servato *iudicio Ordinarii,* esse aliis etiam peritis *praeferendos, qui lauream*, veluti testimonium authenticum in Ecclesia de plena doctrina cuius est laurea, *vel licentiam*, quae cum illa ad hunc effectum hoc canone aequiparatur,

[1] 31 Octobris 1918. CO. XI, 19.

etsi testimonium equidem authenticum constituat nunc temporis incompletae illius doctrinae, *obtinuerint*, eodem sensu ac obtenti fuerunt.

263. **Condendae scholae catholicae.** Summus Pontifex Pius IX edixit Friburgensi quondam Archiepiscopo ita scribens [1]: « Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tum Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare eiusmodi scholas Ecclesiae catholicae adversas haud posse in conscientia frequentari ».

Et haec quidem, utpote fundata iure naturali ac divino, generale quoddam enuntiant principium, vimque universalem habent, qua de causa recte inquit *can. 1379. § 1. Si scholae catholicae*, nempe: in quibus « religionis catholicae doctrina excolatur », nam illae sic vocantur *ad normam can. 1373*, a) *sive elementariae* b) *sive mediae* et consequenter c) si utraeque in Tituli inscriptione declaratae *desint, curandum* pro can. 1374 observantia, ab omnibus fidelibus et pastoribus animarum, *praesertim a locorum Ordinariis* propter auctoritatem, ac praecipuam fidelium curam, « opportune oblata occasione, sive pastoralibus litteris, sive concionibus, sive privatis colloquiis serio necesse est ut ipsi fideles commonefiant, sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura, impensaque, scholis catholicis providerint » [2], *ut condantur* quantum fieri possit « publicis scholis haud inferiores ».

Congruenter his quae dicta sunt, de Universitatibus publicis nostrae aetatis ait § *2. Itemque*, non enim minus urget ius naturale ac divinum, *si publicae* ob auctoritatem a qua dependent civilem *studiorum Universitates* sic dictae, quia humanae disciplinae quamplures ibi edoceantur, *doctrina* qua religionem attinente *sensuque* quoad magistrorum expressam mentem *catholico imbutae non sint*, quod verbis, factis, despectivis aut non curantibus catholicam religionem patefit, *optandum* in securitatem fidei ac morum iuve-

[1] 14 Iul. 1864. — [2] Cit. Instr. S. C. S. Officii.

num catholicorum, qui eas frequentare indigent, *ut in natione vel regione* propter ingentes expensas atque multos necessarios magistros singularis *Universitas catholica*, quae designatur per supra dicta, *condatur*, atque sic detur opportunitas iuvenibus catholicis, ut pro diversis muneribus ac officiis civilibus competentes evadant.

Denique obligationem iuris divini memoratur inquiens § *3. Fideles ne omittant* id, ad quod ut supra dictum est tenentur, *adiutricem operam*, quoad sumptus tanto operi necessarios *pro viribus conferre*, « de quo potissimum monendi erunt quotquot inter catholicos ceteris praestant divitiis et auctoritate apud populum, quique comitiis ferendis legibus sunt adscripti »[1], *in catholicas scholas* praecipue elementarias et medias, sed superiores quoque *condendas* initio *et sustentandas*, ne dilabantur materialiter aut quoad meritum, sed proficiant quantum aliae.

264. **De clericorum frequentia in laicis Universitatibus** evulgavit S. Congr. Consistorialis Dec.^{m} [2] quod incipit: « Nemo de sacro clero laicas Universitatum facultates frequentare potest ibique profana quaevis studia peragere, nisi de Episcopi sui voluntate vel beneplacito. Id ex praescriptis Codicis canonici aperte deducitur ». Nam « a clericali statu aliena sunt » (can. 139, § 1), nisi causa Ecclesiae intercedat. Ante Sacerdotium in Seminario disciplinis debent incumbere, ut constat in Titulo de Seminariis. Demum « clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant », ut praescripsit can. 129, « praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario... obedientiam exhibendi », (can. 127).

« Ssm̃us D. N. Bened. PP. XV... Decessorum suorum Leonis XIII et Pii X (in Commentario Textus ad can. 587) memoratas ordinationes confirmans,... haec insuper edicenda ac statuenda... constituit: — 1. Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur, nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia, quam sanctitate morum adiiciat.

2. Episcopus in destinando sacerdotes suos ad laicas studiorum Universitates frequentandas nihil aliud prae oculis habeat, nisi quod dioecesis suae necessitas vel utilitas exigat, ut nempe in Institu-

[1] Instr. supra cit. — [2] 30 Apr. 1918, CO. X, 237.

tis ad iuventutem erudiendam destinatis idonei comparentur magistri ».

Quamobrem, ut consequens est, subdit: « Expletis demum in laica quavis Universitate praescriptis studiorum cursibus,... nemini fas erit magisteria saecularia aliave officia pro suo lubito, maximeve contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur ».

265. **De clericis mittendis ad academicos Ecclesiae gradus consequendos.** Honorius III inquit [1]: « Volumus et mandamus, ut statutum, in Conc. Generali de magistris theologis per singulas metropoles statuendis, inviolabiliter observetur: Statuentes, ut quia super hoc propter raritatem magistrorum se possent aliqui forsitan excusare, ab ecclesiarum Praelatis et capitulis, ad theologicae professionis studium aliqui (notetur) docibiles destinentur: (ac sequuntur rationes semper prosequendae in praxi) qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum: qui velut stellae in perpetuas aeternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire »... Nunc autem propter distinctionem studiorum, distinctius loquitur, sed cum non sit « raritas magistrorum », sublato statuto ait *can. 1380. Optandum* ob Decretalium saltem rationes *ut locorum Ordinarii* (can. 198, § 2), *pro sua prudentia* nempe: ratione recta agibilium, a) *clericos* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), b) *pietate* in divinum ministerium *et ingenio praestantes,* seclusa igitur personarum acceptione, c) *ad scholas mittant alicuius Universitatis aut Facultatis,* quae in loco desideretur, *ab Ecclesia* pro iure suo ad normam can. 1375, 1376 *conditae vel*, saltem « ex facultate a Sede Apostolica concessa » (can. 1377), aut expresse quando « Universitas catholica condatur » (can. 1379, § 2) *approbatae,* cum hoc duplici scopo: *ut inibi* a) *studia,* quin cetera excludantur iuxta dicta de Universitatibus laicis, *praesertim philosophiae, theologiae ac iuris canonici,* nec fit mentio de studio Sacrae Scripturae speciali, cum in uno alterove loco illud extet, *perficiant,* quod est precipuum intentum, b) *et academicos gradus* in can. 1377 declaratos *consequantur*. Huc referendum est iussum Pii X in const. « Pascendi » [2]: « II... Clerici et Sacerdotes qui catholicae cuipiam Uni-

[1] Cap. 5, tit. V, Lib. V. — [2] 3 Sept. 1907.

versitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus ».

266. **Ecclesiae iura in scholas.** Pius IX in Syllabo damnavit « Prop. XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim ». Pravitas huius postulati confitenda est a quocumque, qui considerat finem supernaturalem Ecclesiae, cui connexa est intime religiosa hominum institutio ac educatio. Ecclesia vero suum indefectibile ius vindicavit, minori qua fieri possit civilis potestatis invidia, edicens in *can. 1381. § 1. Religiosa iuventutis* ampliori sensu acceptae *institutio* quoad mentem ac praxim *in scholis quibuslibet,* nempe: sive publicis, sive privatis, aut inferioribus aut mediis ac etiam superioribus, *auctoritati,* quatenus in eis catholici instituantur, receptae a Christo sui conditore, *et* consequenter *inspectioni Ecclesiae*, ut illam data opportunitate exercere queat, *subiicitur* iure quidem divino, cui parere debent civiles quoque auctoritates.

Vi nominis Episcopi, quod eiusdem exprimit officium, est evidens assertio § *2. Ordinariis locorum* (can. 198, § 2) propter curam, quae iis imminet animarum, *ius* prae aliis et adversus quemcumque contradictorem *et officium est* ex divina muneris lege, *vigilandi* cum effectu interventus possibilis qualitercumque ad obtinendum *ne in quibusvis* publicis aut privatis, inferioribus, mediis aut superioribus *sui* propter iurisdictionis ambitum *territorii quidquam,* quia de summo discrimine agitur, *contra fidem* « sine qua impossibile est placere Deo » *vel bonos mores,* quos corrumpunt etiam colloquia prava, *tradatur* per magistros, *aut fiat* etiam ab studentibus, sive consentiant, sive ignorent, sive ipsi faciant magistri.

In Syllabo Pii IX s. m. invenitur damnata « Prop. XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius reipublicae instituitur,... potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati

recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum ». Adversus hanc falsam assertionem statuit § *3. Eisdem* designatis in § 2, *similiter* propter parem rationem, *ius est* (quamvis forsan impeditum cum iniuria) *approbandi religionis*, de qua ipsi habent auctoritatem cognoscendi, *magistros et libros*, ut praecaveatur damnum, cui fere impossibile remedium afferretur: « auctoritas quippe praeceptorum, quae maxime in adolescentium animis valet, ad ea omnia approbanda quae in iis vident ex iisve audiunt, naturali quadam vi eos rapit, quo fit ut illorum erga religionem indifferentia, errores ipsi haereticales, catholicaeque religionis contemptus, venenato quodam habitu tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis, penitus corrumpat » [1]. — Eaedem rationes valent, propterea que additur: *itemque* « ius est », *religionis morumque causa,* quae ipsorum curae intersunt, *exigendi*, quibus deferendum esset in hac re, *ut tum magistri* cuiuscumque disciplinae etiam profanae, *tum libri*, quatenus religioni moribusque adversentur, *removeantur* saltem per eorum expurgatam editionem.

267. **Ordinarii loci ius simile in catholicas scholas.** Etiamsi pro his pericula supra dicta multoties timenda non sint, semper tamen speculator manet Ordinarius ad regimen animarum sibi commissarum. Quapropter ei defertur speciale ius *can. 1382. Ordinarii locorum* (can. 198, § 2) *sive ipsi per se sive per alios*, admissa reg. 68 iuris in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per ipsum », *possunt quoque* iure proprie dicto, a) *scholas quaslibet*, etiam catholicorum privatas et cuiuslibet gradus, b) *oratoria*, sic dicta propter pietatis exercitia quibus convenientes incumbunt, c) *recreatoria* instituta relaxandi animi causa, d) *patronatus* pro diversis finibus vitae humanae promovendis ac iuvandis destinati, *etc.* nempe: quoslibet catholicorum conventus, *in iis* semper *quae religiosam* mentis et cordis *et moralem* actionum *institutionem* seu informationem *spectant* quomodocumque, *visitare* an omnia recte procedant. Ne autem ullo impediantur motivo in tali exercendo iure in propriorum subditorum bonum, canon sic prosequitur: *a qua visitatione*, prout haec statim antea declarata est, *quorumlibet religiosorum*, « qui vota nuncuparunt in aliqua

[1] Instr. S. Officii ad Ep. Iassien. 22 Aug. 1900.

religione » (can. 488, 7°), *scholae,* quatenus ab eis habitae vel moderatae sint, *exemptae non sunt,* idest: tamquam « in casibus a iure expressis » (can. 615), qui non comprehenduntur sub generali exemptione « ab Ordinarii loci iurisdictione », *nisi* a) « a Sede Apostolica directe religioni alicui concessum fuerit » (can. 613, § 1) contrarium privilegium, nam ex citato canone vigens « integrum manet, eo quod praesenti canone non revocatur expresse » (can. 4), aut b) *agatur de scholis internis* hoc est: ratione domus exemptae in qua habentur *pro professis religionis* clericalis aut laicalis *exemptae* iure aut privilegio, a quocumque magistro fiant.

268. **Praescripti de confessionibus recordatio.** Ad complementum Tituli legislator in memoriam revocat praescriptum alias positum. *Can. 1383. In religiosa* seu ad religionis praxim quod attinet *alumnorum* internorum *alicuius collegii,* quandocumque illud sit etiam exemptum, *institutione servetur praescriptum can. 891*, non attingens exemptionem, sed vetans « ne Superior collegii sacramentales audiat confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ».

TITULUS XXIII.

De praevia censura librorum eorumque prohibitione.

Can. 1384. - § 1. Ecclesiae est ius exigendi ne libros, quos ipsa iudicio suo antea non recognoverit, fideles edant, et a quibusvis editos ex iusta causa prohibendi.

§ 2. Quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet.

269. **Inscriptio Tituli ac distinctio in Capita.** Sequitur *Titulus XXIII,* cuius est inscriptio *De praevia* publicationi *censura,* quae est ecclesiasticae auctoritatis authenticum iudicium nihil obesse doctrinae catholicae ac Ecclesiae normis in formali contento *librorum,* qui sic proprie appellantur, quando pluribus foliis lithographicis constantes magnae sunt molis, quocumque mecanico processu sint exarati. Additur in titulo *eorumque* scilicet: « librorum » sive praecisione facta censurae, sive cum respectu ad eius omissionem, *prohibitione* ecclesiastica, quae plures actus respectu librorum vetat, ut in capite II iure determinatur. — Propter practicum

successivum ordinem, apte titulus in duo capita dividitur, ac praecedit *Caput I. De praevia librorum censura*, cui subsequitur *Caput II. De prohibitione librorum*, quia primus actus prohibitus est edere librum, fortassis ob censurae favorabilis defectum.

270. **Ecclesiae ius et significatio iuridica verbi librorum.** Sicut de more praemittitur fundamentalis tituli *can. 1384. § 1. Ecclesiae*, utpote societati perfectae in finem spiritualem sensibiliter prosequendum ordinatae, *est ius* erga proprios subditos *exigendi* etiam coactivis mediis propter curam eidem imminentem a) *ne libros, quos ipsa* per destinatos ad hoc viros peritos *iudicio suo* circa eorum contentum prout legenti prudenter ille patet, *antea non recognoverit* veluti inoffensivum legentibus ac eidem Ecclesiae, *fideles* sic dicti propter fidei sacramentum susceptum *edant*, seu aliorum iuris publici faciant, *et a quibusvis* etsi acatholicis, vel auctoritate pollentibus *editos* iam « libros » *ex iusta* seu proportionata *causa* per ecclesiasticam auctoritatem perpendenda, sed non pro libitu *prohibendi* suis equidem probitioni subditis, quorum plenae spiritus incolumitati prospicere tenetur.

Sub inscriptione data est definitio libri proprie dicti. Cum autem « leges ecclesiasticae intelligendae sint secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam », ut diversa verborum significatio a Codice intenta iuxta praecedens ius admittatur, debuit illam iuridicam efficere in § 2. *Quae sub hoc titulo* in omnibus can. 1385-1405 *de libris* verbotenus *praescribuntur*, proindeque normae sive praeceptivae sive prohibitivae, *publicationibus* eo quod publici iuris fiunt, a) *diariis* quasi in dies singulas seu quotidianis, b) *periodicis* in periodos quasdam, v. gr. singulis quoque hebdomadibus vel mensibus, etc. c) *et aliis editis* in aliorum publicum usum *scriptis* per auctores *quibuslibet*, sive libelli sint, seu opuscula, sive folia, sive quocumque alio nomine designentur, v. gr. oratio, carmina, conferentiae, etc. et in quemcumque finem ac occasione qualibet, *applicentur* vi huius canonis sic statuentis publica auctoritate illius verbi propria significatio in legibus ecclesiasticis seq.[3], *nisi aliud constet* certo in aliquo canone, videlicet: restringendam esse praescriptionem ad propriam usualem verbi significationem.

271. **Ius praecedens de hoc titulo et historia ac fundamentales rationes.** Hac in re Leo XIII rec. mem. nobis obtulit partem codicis perfectam in hunc titulum translatam cum oppor-

tunis mutationibus quoad ordinem, per illius const. « Officiorum ac munerum » [1]. Huic inseruit Decreta generalia de prohibitione et censura librorum. In principio dictae const.[a] memoratar « caput ac summa officiorum ac munerum » Sedis Aplcae.; videlicet: « omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat ». Postea recolens laudatus Pontifex quantum in discrimen vocetur doctrina Christi per ingeniorum licentiam in aetate nostra, observat « nihil excogitari posse perniciosius ad inquinandos animos... quam intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt ». Texit mox brevem admodum historiam gestorum ab Ecclesia tum in damnandis libris noxiis, tum etiam in cautela censurae adhibenda. — Quoad illos: « Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo Magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere... decretales de recipiendis et non recipiendis libris Gelasius opportune dedit. Similiter decursu aetatum, Monothelitarum, Abaelardi, Marsillii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros sententia Apostolicae Sedis confixit ». Censura vero incepit saeculo decimo quinto, quando ex « nova arte libraria comperta » pericula fidei et morum percrebuerunt sine modo, « eo quod artem per se optimam... multi nimis celeriter deflexerant in instrumentum ingens ruinarum ». Edicitur etiam in corpore Bullae, « salutis publicae rationem iussisse, aliquid novari, aetatibus labentibus » in regulis antea conditis. Quod perfecerunt « memores prudentiae Clemens VIII, Alex. VII, Bened. XIV » ac demum Pius IX. Occasione Conc. Vaticani plurimi Episcopi praesertim ex Gallia et Germania petierunt ut « regulae Indicis recenti revisioni et reductioni submitterentur. — Qui quidem omnes... aequa postulabant » Papae iudicio, « si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, quandoquidem ex una parte, suspensi haerebant religione animi plurimorum; ex altera, quidlibet legendi impunita copia » sese offerebat.

« Ad medendum ergo incommodis duo facienda Leo Pontifex duxit, ex quibus norma agendi certa et perspicua omnibus suppetat, scilicet: 1° diligentissime recognosci Indicem librorum improbatae lectionis,... et postea vulgari », sicut de facto prodiit in

[1] 25 Ian. 1897.

lucem Index praefatus anno 1900, tertio iam editus anno 1911. Et 2° servata « incolumi natura regularum huiusmodi legislationis, efficere eas aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit ». Ex his verbis patet intentio legislatoris suppeditans nobis normam sequendae interpretationis, etiam quando Codex refert decreta generalia, quae interpretatio propterea benigna esse oportet.

Statuit ergo « Decreta generalia const.[1] coniuncta », quae expresse vult « ea vim legis habere sola », quibuscumque aliis nominatim abrogatis, « quibusque vult religiose parere toto orbe catholico homines ». Iuxta hanc expressam voluntatem responsum dedit S. Congr. Indicis [1]: « Utrum dicta Constitutio vim obligandi habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur? respondit: Affirmative ».

CAPUT I.

De praevia librorum censura.

Can. 1385. - § 1. Nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur etiam a laicis:

1° Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria;

2° Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit;

3° Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur.

§ 2. Licentiam edendi libros et imagines de quibus in § 1, dare potest vel loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines publici iuris fiant, vel Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia.

§ 3. Religiosi vero licentiam quoque sui Superioris maioris antea consequi debent.

Can. 1386. - § 1. Vetantur clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, religiosi vero sine licentia sui Superioris maioris et Ordinarii loci, libros quoque, qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari.

§ 2. In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, nec laici catholici quidpiam conscribant, nisi iusta ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata.

Can. 1387. - Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei quoquo modo pertinent, sine licentia Sacrorum Rituum Congregationis edi nequeunt.

[1] 23 Maii 1898.

CAN. 1388. - § 1. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, ne edantur sine licentia Ordinarii loci.

§ 2. Requiritur vero expressa licentia Sedis Apostolicae ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum, sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum.

CAN. 1389. - Collectiones decretorum Romanarum Congregationum rursus edi nequeunt, nisi impetrata prius licentia et servatis conditionibus a Moderatoribus uniuscuisque Congregationis praescriptis.

CAN. 1390. - In edendis libris liturgicis eorumque partibus, itemque litaniis a Sancta Sede approbatis, debet de concordantia cum editionibus approbatis constare ex attestatione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici iuris fiunt.

CAN. 1391. - Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

CAN. 1392. - § 1. Approbatio textus originalis alicuius operis, neque eiusdem in aliam linguam translationibus neque aliis editionibus suffragatur; quare et translationes et novae editiones operis approbati nova approbatione communiri debent.

§ 2. Excerpta e periodicis capita seorsim edita novae editiones non censentur nec proinde nova approbatione indigent.

CAN. 1393. - § 1. In universis Curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant.

§ 2. Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant Ecclesiae dogmata et communem catholicorum doctrinam quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur.

§ 3. Censores ex utroque clero eligantur aetate, eruditione, prudentia com-

Caput I. De praevia librorum censura —
- — necessaria —
  - — etiam a laicis edendorum — Can. 1385
  - — clericis saecularibus ac religiosis — » 1386
- — Sedis Apostolicae —
  - — quoad causas beatificationum et canonizationum — » 1387
  - — quoad indulgentiarum publicationem — » 1388
  - — quoad collectiones decretorum SS. Congregationum — » 1389
- — Ordinarii diversa —
  - — in edendis libris liturgicis — » 1390
  - — pro versionibus SS. Scripturarum in linguam vernaculam — » 1391
- — iteranda pro versionibus ac novis editionibus — » 1392
- — quoad censorum officium — » 1393
- — edenda auctorique indicanda — » 1394

mendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant.

§ 4. Censor sententiam scripto dare debet. Quae si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat, cui tamen praeponatur censoris iudicium, inscripto eius nomine. Extraordinariis tantum in adiunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio omitti poterit.

§ 5. Auctoribus censoris nomen pateat nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit.

Can. 1394. - § 1. Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, expresso nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis.

§ 2. Si vero licentia deneganda videatur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicentur.

272. **Distributio Capitis in canones.** *Caput I* quoad eius inscriptionem *De praevia librorum censura* declaratum est paulo antea, sed in hoc capite ampliatur eius significatio, ita ut canonice implicet actum potestatis ecclesiasticae permittentis aut vetantis publicationem alicuius libri, qui actus praesupponit censuram proprie dictam, etiamsi non semper, ut patebit. Decem canones comprehendit quorum duo priores 1385, 1386 necessitatem illius determinat pro edentium diversitate, sequentes tres can. 1387-1389 designant editiones, quae Sedis Apostolicae indigent licentia, et can. 1390, 1391 edicunt qualis sufficiat Ordinarii interventus pro quibusdam libris edendis. Circa censorum officium normas tribuit can. 1392 et postremus can. 1393 licentiam concessam esse edendam, vel denegatam quandoque indicandam praescribit.

273. **Libri necessario censurae subiiciendi.** « Ius vetus Dec.^m gener.^m ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 1385.* Proinde, quod semel hic dictum sufficiat pro toto Titulo, « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi » huiusmodi canones. Tenor praesentis sequens est: § *1. Nisi censura* declarata sub capitis inscriptione *ecclesiastica,* eo quod iussu potestatis Ecclesiae fit examen libri, ac licentiam Superioris ecclesiastici comprehendit; « nisi » ergo illa *praecesserit,* manet prohibitio non imprimendi, seu *ne edantur* in publicum usum *etiam a laicis* fidelibus, unde nec a clericis vel religiosis:

[1] *1° Libri* etiam singuli *sacrarum Scripturarum,* quae continent verbum Dei scriptum, *vel* cum eis aut seiunctim *eorundem* singulorum quoque *adnotationes* ad marginem, in paginarum cal-

[1] Dec. gen. n. 48.

cem. vel post librum ipsum eiusve partes, *et commentaria* seu explanationes cum aliis forsan adiunctionibus.

[1] 2° *Libri* sensu iuridico ad normam can. 1384, § 2, *qui* «spectant» ratione doctrinae ipsorum a) *divinas Scripturas* sub n.° 1° declaratas, idest: qui agunt de earum exegesi, de introductione in eas generali aut speciali in singulos libros, qui continent prolegomena ipsarum, vel de textu primigenio aut versionibus S. Scripturae agunt, b) *sacram theologiam*, hoc est: libri theologiae fundamentalis, aut dogmaticae, aut moralis, aut asceticae, aut mysticae, aut singuli tractatus ipsarum; c) *historiam ecclesiasticam*, vel generalem, vel particularem de Conciliis, de SS. Pontificibus, de S. R. E. Cardinalibus, de Episcopis, de haeresibus, de sanctis, de ordinibus religiosis, etc.; d *ius canonicum*, hoc est: libri de fontibus ipsius, de ss. canonibus, de eorum exegesi, etiam de iure publico ecclesiastico, aut criminali poenalive Ecclesiae. imo tractatus particulares: e) *theologiam naturalem*, nempe: rationalem philosophiam de Deo; f) *ethicen*, videlicet: philosophiam de moribus. de iure individuali ac sociali, additurque clausula; g) *aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant*, qua complectuntur libri ratione obiecti affines praedictis exempli causa recensitis, sicuti liber, qui ex fine religioso aut morali, non mere oeconomico vel politico tractat de scientia sociali, puta commentando «Normas fundamentales actionis popularis christianae» editas in Motu pr. Pii X [2].

Sequitur sub n.° 2°: *libri* stricto sensu, nam adduntur solummodo *libelli* ob parvitatem consuetam in his a) *precum*, quia ad deprecationes destinati, aliique utiles pro fidelibus spiritualiter fovendis, ac vocantur b) *devotionis, vel* instruendis, proinde appellati *doctrinae* ac propter modum *institutionisque*, sicut propter peculiarem obiectum tractatus c) *religiosae*. d) *moralis* quoad licitum ac illicitum in actionibus, e) *asceticae*, seu ad perfectionis acquisitionem per virtutes, f) *mysticae* de diversis orationis gradibus, g) *aliique huiusmodi*, non libri circa easdem spiritus materias scientifice tractatas, nec illi eximuntur a censura, *quamvis ad fovendam pietatem* certo *conducere videantur*.

Demum additur: *ac generaliter scripta*, sine distinctione, num

[1] Dec. gen. num.[i] 41, 20, 15. — [2] 18 Dec. 1903, Acta S. Sedis, XXXVI, 339.

sint opuscula, ephemerides, folia periodica, tantummodo *in quibus* scriptis *aliquid sit* notabile *quod* a) *religionis* theoretice aut practice *ac* b) *morum honestatis peculiariter* quamvis incidentaliter *intersit;*

3.º Imagines sacrae, eo quod referant D. N. Iesum-Christum. aut divinitatem quatenus exprimi solet, vel Beatam V. Mariam. Angelos, Sanctos, Servos Dei, illos nempe qui cum odore sanctitatis mortui sunt, vel sint causae ipsorum introductae apud S. Congregationem vel non. demum quae obiectum referant religionis. *quovis modo* mecanico vel processu nunc in usu, videlicet: typographia. litographia, sylographia, phototypia, etc. etiam fortassis cum coloribus. *imprimendae*, seu quae multiplicantur per superpositionem papyri typo et compressionem. Excluduntur ergo imagines insculptae, depictae, cusae in numismatibus etc., quae nullam similitudinem habent cum foliis librorum, de quibus legislator nunc curat, admonens nihil referre *sive preces adiunctas habeant* in eadem parte vel retro imaginem, *sive sine illis edantur* in publicum vel quorumdam usum, quam editionem non impressionem respicit prohibitio facta: « ne edantur etiam a laicis », initio §[i] declarata.

Declarationem prius datam confirmat § *2*, quando « censuram ecclesiasticam » §[i] 1[i] vocat nunc *Licentiam edendi libros* designatos sub num.[s] 1º et 2º *et imagines* sub num.º 3º seu *de quibus in § 1º*, *dare potest* a) *vel loci Ordinarius* (can. 198, § 2) *proprius* ad normam can. 94 *auctoris* sive « Romae degentis » (Dec. gener. n. 37) sive alibi, etiamsi auctor seu libri compositor distinctus sit ab editore seu libri expensas sustinente, b) *vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines* ut supra *publici iuris fiant* ad normam num. 35 Decret. gener.[m], seu loci in quo in commercium ponuntur. — Hodierna vero est praxis frequens, ut diversus sit locus impressionis a loco editionis in ius publicum, imo quandoque in fronte libri diversa loca editionis digniora inscribuntur. et quia in canone legitur in singulari « Ordinarius loci », uniuscuiusque eorum approbatio sufficit. Hinc disiunctive prosequitur canon: c) *vel Ordinarius loci in quo imprimantur*, etiamsi typographia ad exemptos pertineat; et quia secundum reg. 70 iuris in 6º: « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri », quod in casu fieri posse supponitur, subiicitur limitatoria clausula: *ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis* nempe: locorum praedictorum *licentiam*

« edendi » praefatam in casu *denegaverit,* tunc solum *eam* « licentiam » *ab alio Ordinario* iuxta paragraphum *petere auctor* ad quem pertinet originario eamdem expostulare, aut ex illius concessione editor, *nequeat* iure, seu prohibeatur, *nisi* sub conditione quod *eundem*, ad quem secundo accedit, *certiorem fecerit* per se vel per alium et qualitercumque *de denegata ab alio licentia.* Quo casu licite petitur ac etiam concedi poterit licentia, quin necesse sit ut denegationis causae cognoscantur, quae ceteroquin peculiares prioris Ordinarii esse possent.

Huc demum pertinet sequens responsum S. Congr. Indicis, quod intelligendum est ad normam canonis [1]; ...« ad dubium: Utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario iam examinatum et praelo dignum iudicatum, publici iuris facere desiderat, istius libri impressionem permittere possit, quin eum novae censurae subiicere debeat » respondendum censuit: « Affirmative, apponendo iudicium « Nihil obstare » censoris alterius dioecesis, ab istius Ordinario sibi transmissum », qui tamen per seipsum vi canonis « impressionem hanc permittere posset ».

Cum in num.º 36º. Decret.ᵐ Gener.ᵐ verbum « Regulares » adhibitum sit, praescriptio restringebatur a Doctoribus ad eos, qui vota solemnia emiserunt, qui proprie sic vocantur. — Quoad opera in lucem edenda cum duplici licentia de qua statim, aliqui Auctores intelligebant praescriptum de quocumque opere, quia Decr.ᵐ gener.ᵐ verba fuerunt desumpta prout iacent ex Instructione Clementis VIII, quae sic consuetudine fuit interpretata, alii vero interpretabantur praescriptionem servandam pro illis tantum operibus, quae iuxta Decreta generalia censurae subiici debebant, utpote quae sola in posterum vigerent. — Sed standum fuit in praec. iure praescripto Litt. Aplcarum. « Pascendi » Pii X [2] qui priorem sententiam adoptavit et quidem interpretando extensive Dec. gen. pro omnibus religiosis. En textus: « Religiosorum Moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi (ergo non solum libri etiam de rebus physicis; sed etiam articuli vel parvae comprehenduntur elucubrationes) nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit ». Quae in canones hunc et seq.ᵐ translata manent. — § *3. Religiosi vero* (can. 488, 7º) iuxta du-

[1] 9 Maii 1912, CO. IV, 370. — [2] 8 Sept. 1907.

bium solutum a S. Congr. de Religiosis [1] « I. An religiosi pertinentes ad Instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac Regulares votorum solemnium quoad Imprimatur seu beneplacitum a suis Superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiunt? — Ad I. Affirmative », seu ut in canone: *licentiam quoque*, praeterquam « Ordinarii loci » ad normam §[i] 2[i], *sui Superioris maioris* (can. 488, 8°) cui subiiciantur, *antea*, seu prius quam illius, *consequi*, non tantum petere, *debent*, quin iubeatur loci Ordinario ostendi. Addendum est vigens responsio ad cit. dubia « de manuscriptis religiosorum typis edendis »: « II. An religiosi, quoties eis a suis Moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta, vel Imprimatur denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum Imprimatur Ordinarii loci, suppresso Auctoris nomine? — Ad II. Negative ».

274. **Speciales prohibitiones ob defectum conditionis censurae similis.** Ex num. 42 Decr.[m] gener.[m] derivatur *can. 1386.* § 1. *Vetantur clerici* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *saeculares*, qua hi distinguuntur a religiosis, non facta distinctione suscepti ordinis, *sine consensu suorum*, queis subiecti sint, *Ordinariorum*, sic mutata clausula: « inconsultis suis Ordinariis », iuxta sententiam Pii X in Motu pr. « Fin dalla prima » [2]: « n. XVII... Gli ecclesiastici poi, a norma della medesima Costituzione (« Officiorum et munerum » art. 42), anche pubblicando scritti di carattere meramente tecnico, debbono previamente ottenere il consenso dell'Ordinario », ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant. Sequitur: *religiosi vero* « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), etiam exempti ad normam iuris praecedentis, nam « in dubio, a veteri iure non est recedendum » (can. 6, 4°), « vetantur » *sine licentia* duplici a) *sui Superioris maioris* (can. 488, 8°) cui subiiciantur, b) *et Ordinarii loci* in quo sita est familia ad quam religiosus pertinet, vel alterius ad normam can. 1385, § 2, a) *libros quoque* stricto sensu prout in praec. iure, *qui de rebus profanis tractent* nullo modo comprehensis sub 1[a] §° can.[s] 1385, *edere*, ut ibi declaratum est hoc verbum, b) *et in diariis* quotidie prodeuntibus, *foliis* uno vel pluribus, *vel libellis* quoad formam, scilicet:

[1] 2 Iun. 1911, CO. III, 270. — [2] 18 Dec. 1903, Acta S. Sedis, XXXVI, 344.

vulgō: riviste, revues, revistas, *periodicis* quoad publicationis datam, *scribere* saltem ad modum correspondentium seu collaboratorum, etsi ratione verborum etiam semel videretur sufficere, sicque ampliato praescripto Litt. Aplcarum. « Pascendi » Pii X. Explicit vetitum §[1]: *vel eadem* « diaria, folia » (vel libellos in Dec. gen. omissos) « periodicos » *moderari*. Idest: ne directores sint eorum, proprio vel alieno nomine. Et addunt Litt. Aplcae. « Pascendi »; « Qua si qui venia perniciose utantur, ea, moniti primum, priventur ». Derelinquenda est sententia excludens ab hac lege libellos periodicos, quae videbatur confirmata ex Instr. S. Congr. pro Negotiis eccles. extraord. [1]: « II. In quanto alla fondazione e direzione di periodici, compresi quelli di azione popolare cristiana, il clero deve fedelmente osservare quanto viene prescritto nel art. 42 della Const. Aplca. « Officiorum » del 25 Gennaio 1897 ».

Rigidior ac amplior quoad personas est prohibitio desumpta de verbo ad verbum ex num. 22 Dec.^m gener.^m § 2. *In diariis vero,* utpote praescriptum speciale respectu §[1] praec.^s, *foliis vel libellis periodicis,* prout haec verba in cit. §[0] fuerunt declarata, *qui* singuli a) *religionem catholicam,* sive in eo quod eius est peculiare, sive cum religione naturali commune, b) *aut bonos mores,* etiam unum vel alterum praeceptum *impetere*, idest: directe noxii sunt erga praedictorum alterum, *solent,* quod explicat verba Dec. gen.^m « data opera ». Requiritur ergo ut non semel vel iterum sed frequenter damnosi, ut declaratum est, evadant. In Dec.^s gen.^s dicebatur: « nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis », sed in canone cum relatione ad vetitum praec.^s §[1] dicitur: *nec laici catholici,* quibus tantum Ecclesia iubere potest, ac verbo « nec laici » innuitur « clerici saeculares ac religiosi » supra declarati hac teneri obligatione, *quidpiam conscribant* seu « publicent », hinc comprehenduntur etiam ipsae denunciationes librorum, vel commercii, aut quarumlibet religiosarum functionum. — Cum haec tamen prohibitio fundetur in prava cooperatione, quam ius naturale vetat, legislator suo vetito exceptiones adiunxit: *nisi* a) *iusta* seu proportionata *ac rationabili* idest: rationi fundata *causa suadente*, quae v. gr. verificatur in necessitate sic defendendi proprium bonum nomen aut iura Ecclesiae, vel providendi gravi necessitati proprii

[1] 27 Ian. 1902.

commercii. — Atque ne fideles in causa perpendenda fallantur ob temporale commodum, est adiuncta conditio nova: b) *ab Ordinario loci* etiam pro exemptis ad normam §¹ praecedentis *probata*, ut sufficiens iuxta canonem. Caveatur autem semper vitandi remotio scandali.

275. **Necessaria licentia S. Congr. Rituum.** Postquam moderata est necessitas censurae vel licentiae in genere, transit Codex ad normas peculiares tradendas circa speciales publicationes, incipiens ab his quae frequentius occurrunt cum requirenda semper licentia Sedis Aplcae. *Can. 1387.* De his *quae ad causas Beatificationum,* ab earum nempe incoeptione, *et canonizationum Servorum Dei*, proinde usque ad hanc completam publicato solemniter canonizationis Documento, cum post sententiam beatificationis adhuc pendeat causa, quae suspenditur tantum, postea supervenientibus miraculis resumenda. « Quae ad causas » praedictas *quoquo modo pertinent,* quod interpretatur a Doctoribus de actibus processualibus harum causarum, non vero de diversis Decretis huius Congr.ᵉ in his causis, atque sic aestimandus est hic « canon qui ius vetus (Dec. gener. n. 32) ex integro refert » ad verbum (can. 6, 2°). « Quae » sunt huiusmodi *sine licentia Sacrorum Rituum Congregationis edi* seu « publicari » (Dec. gen. num. cit.) *nequeunt.* Totum commentarium hoc, materia publicationis et modus licentiae traduntur in Monito eiusdem S. Congregationis [1]: « Acta quae respiciunt vitam, virtutes et prodigia Servorum Dei vel Beatorum (ac notandum quod non additur Sanctorum, iuxta mitiorem sententiam hinc sequendam, quae cum Pennachi vult prohibitionem intelligendam usque ad tempus, quo finita sit causa per canonizationem), quorum causis manus apposuit S. Rituum Congregatio, (ergo non antea), typis edi ac publici iuris fieri (alterutrum) nequeunt, inconsulta eadem S. Congregatione, et absque licentia *nihil obstat* R. P. D. Promotoris Sanctae Fidei, vel Adsessoris ipsius Sacri Consilii ».

276. **Licentia diversa iuxta indulgentias publicandas.** Cum num. 17 Decret.ᵐ generalium concordat *can.ˢ 1388* § 1ª. *Indulgentiarum* a) *libri omnes,* qui nempe illarum tractatum vel denunciationes contineant, b) *summaria* similium concessionum circa devotionem aliquam, confraternitatem, etc., c) *libelli* ob parvitatem

[1] 12 Febr. 1909. CO. I, 238.

eorum, d) *folia,* quae unam vel alteram orationem indulgentiis ditatam edicunt, *etc., in quibus* singulis praedictis *earum* nempe: indulgentiarum *concessiones* summarie *continentur,* tamquam regula generalis *ne edantur,* prout saepius declaravimus hoc verbum, *sine licentia Ordinarii loci* unius ex tribus declaratis in can. 1385, § 2. — Ita mutata est clausula, quam declaravit rescriptum S. Congr.^s^ Indicis [1]: « utrum in num. 17 Decret.^m^ Gener.^m^..., verba *non publicentur absque competentis auctoritatis licentia* ita sint intelligenda, ut in posterum *indulgentiarum libri...* etc. *omnes* ad solos locorum Ordinarios pro impetranda licentia sint referendi? — An vero subiiciendi sint censurae aut S. Congr.^s^ Indulgentiarum (nunc dicendum S. Officii) aut Ordinarii loci secundum normas ante Const. « Officiorum ac munerum » stabilitas? — S. Congr. respondit: « Ad 1^m^ partem, negative. Ad 2^m^ affirmative ».

Hae normae contentae in duobus Dec.^s^ S. Congr.^s^ Indulgentiarum [2] distincte sunt positae in duobus paragraphis canonis. Videlicet: in 1° Dec.° antedicto sic legitur: « si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae, vel Summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico (unico), vel Rescripto (uno) desumendum est, aut de Summario ex auctoritate Sacrae Congregationis (competenti) iam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio) »; sicut erat in praec. iure pro collectione et elencho de quibus loquitur sequens §^us^.

Prosequitur cit. Dec.: « e contra vero si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. Congr.^s^ Indulgentiarum (nunc S. Poenitentiariae) licentia ». « Ius ergo vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) simul cum §° praec. § 2. *Requiritur vero* velut per exceptionem *expressa licentia Sedis Apostolicae* per S. Poenitentiariam (nam « eiusdem est de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum ») (can. 258, § 2), *ut* a) *typis edere* in usum publicum *liceat,* quin veris indulgentiis aliquid ex transgressione depereat, b) *quovis idiomate,* etsi translatio sit fidelis iuxta Ordinarii iudi-

[1] 7 Aug. 1897. — [2] 22 Ian. 1858. 8 Ian. 1861. Dec. auth. num. 383 et 388.

cium, a) *tum collectionem authenticam* qua talem, vulgo dictam « Raccolta » *precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica* ad normam can. 7 *indulgentias annexuit,* singulae autem indulgentiae in eadem contentae publicari queunt ad normam praec. §[1], b) *tum elenchum indulgentiarum* ut aiunt *apostolicarum* pro coronis, numismatibus, etc., quas intendit concedere S. Pontifex per suam benedictionem, et qui Pontificatus cuiuslibet initio publici iuris fit, v. gr. impraesentiarum per S. Poenitentiariam [1], c) *tum summarium indulgentiarum* « ex diversis concessionibus » *vel antea collectum, sed numquam* ut tale *approbatum* a Sede Apostolica *vel nunc primum ex diversis concessionibus* per Breve Aplcum. ac diversa rescripta atque vivae vocis oracula *colligendum.*

Quoad alterutrum summarium patitur canon interpretationem restrictivam in iure praec. authentice vigentem iuxta secundum Dec.m antea citatum. « Sanctitas sua... mandavit... ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim ac etiam typis impressus elenchus Indulgentiarum et privilegiorum, ab Ordinario tamen loci (« in quo archiconfraternitas » etc. aggregans « sita est » can. 723, 3° recognitus; cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi Indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus, etc., non obstante... decreto S. Congr.e Indulgentiarum... diei 22 Ian. 1858 », quod cum in canonem sit transcriptum, etiam nunc hoc eodem non obstante. Sic tenendum, quamvis alias in Commentario can. 723 aliter indicaverim.

277. Collectiones sub conditionibus tantum publicandae. Ex num. 33 Decret. Gener. transcriptus est *can. 1389. Collectiones decretorum* proprie dictae, seu iuxta Doctorum interpretationes de praec. iure, quae omnia vel maiorem partem, vel de aliqua materia decreta forsitan diversarum continent *Romanarum Congregationum* sive « singularum » (Decr. gen. n. cit.), sive plurium, quae, vel suppressae sunt v. gr. S. Congr. Indicis, cuius est « Index librorum prohibitorum », S. Congr.e de indulgentiis, cuius extant « Decreta authentica », vel adhuc existunt, v. gr. S. Congr. Rituum, quae habet « Decreta authentica », praefatae collectiones *rursus edi nequeunt* etiam praecedentibus conformes (iure ecclesiastico, praeter

[1] 17 Febr. 1922. CO. XIV, 143.

iuris internationalis ac civilis leges circa editionum proprietatem, si casus ferat), aut ex Actis Aplcae. Sedis depromptae, ac fortiori motivo intelligenda est prohibitio de his, quae primo « edi » cogitatum sit, *nisi* a) *impetrata prius licentia* ob contextum « uniuscuiusque Congregationis » competentis in Decretorum materiam, b) *et servatis conditionibus a Moderatoribus* nempe: Card. Praefecto vel Card. Secretario cum respectivo Congressu, *uniuscuiusque Congregationis* proprie dictae, etiam forsan comprehenso Tribunali S. Poenitentiariae, seu a Card. Poenitentiario cum signatura quoad Collectionem S. Congr.[ae] Indulgentiarum, *praescriptis,* proindeque in conscientia servandis. — Etenim « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » (can. 6, 2°) non est interpretandus canon de commentariis, quae etiam ex professo nota faciunt illa Decreta quae in dies prodeunt, nec intelligendus de opere iuris canonici, in quo ad docendum illud partes dispositivae decretorum data opportunitate inserantur. Imo non videntur comprehendi Collectiones de Actis Romanorum Pontificum. Exempla demum collectionum, quas denuo edendas canon respicit, sunt quoque « Collectanea ad usum S. Congr.[s] EE. et RR. » Bizzarri, « Decreta authentica S. C. Rituum » Gardellini, quin collectiones forsitan illicite publicatae, sint iure prohibitae.

278. **De editionibus librorum sacram liturgiam spectantium.** Sic inscribitur Decretum [1] S. Congr. Rituum in quo Sacra Congr. haec quae sequuntur, decrevit:

« I. Editiones Librorum S. Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris functionibus peragendis contineant, sive Sacras Caeremonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant », atque tales proprie « Libri liturgici » vocantur, « sive huius S. Congr.[s] Decreta in unum collecta referant », ac proinde sunt proprie Collectiones Decretorum huius S. Congr.[s] de quibus disponit can. praec., « sunt vel *Typicae* vel iuxta *Typicas* ».

« II. Editiones Typicas excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a S. R. C. veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicae folia revisioni huius S. R. Congr.[s] submittentur...

[1] 17 Maii 1911. CO. III, 242.

IV. Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic S. R. Congr.[i] tradent...

VI. Quivis Typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones iuxta Typicas, quae nempe adamussim praedictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. Rmi. locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praetatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et imprimatur apponant.

VIII. Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuius Dioecesis Propriorum, de quibus editio typica non extat, si in ipsa Dioecesi cudendae sint, Rmi. locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent et imprimatur apponant. Quoad vero editiones Propriorum tum alienae Dioecesis, tum Ordinum Regularium seu Congregationum, Rmi. locorum Ordinarii, quorum iurisdictioni Typographi subiacent, imprimatur apponant, postquam vel Ordinarius Dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a S. R. C. approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint ».

Hic adnotandum ex Dec. S. R. C. in una Ratisbonensi [1] « *Primam editionem Propriorum,* quae exhibent cantum gregorianum, debere esse typicam praehabita quidem licentia illius Ordinarii loci vel Moderatoris supremi Ordinis vel Instituti, in cuius usum paratur editio,... » (Ib. ad I); et subsequentibus editionibus aptatur obligatorio modo quae iubentur in n. VIII antea relato. — Insuper eadem iussa n.[is] VIII videtur applicanda esse illis melodiis, quae in Editione typica Vaticana non reperiantur, v. g. hymnorum et Ordinarii Missae, quae a S. R. C. approbari contigerit.

« IX. *Inter libros S. Liturgiam spectantes, ad effectum* cit.[i] Dec.[i] [2] sequentes praecipue adnumerandi sunt:

« Praeter sex infra recensendos:

[1] 24 Feb. 1911. CO. III, 105. — [2] 17 Maii 1911.

g) Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius Dioecesis, Ordinis seu Congregationis religiosae.

h) Memoriale Rituum Bened. Papae XIII pro minoribus Ecclesiis.

i) Instructio Clementina pro expositione Ssmi. Sacramenti.

j) Collectio Decretorum S. Rituum Cong.^{is} ».

Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium inveniuntur in Dec.^{o} « Quum Sanctissimus » S. C. Rituum [1]. — « I. Editores seu typographi... qui gregorianas melodias editionis Vaticanae... imprimere voluerint... a Sede Aplca. prius facultatem obtinere curabunt.

II. *Ab unoquoque ex huiusmodi editoribus.... erunt diligentissime attendenda* et servanda:

Forma notularum aliorumque... signorum...

Ordo quo eaedem notulae... sibi succedunt.

Modus quo ipsae... pro diversis neumarum... formulis copulantur.

et *Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus...*

III. *Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica Vaticana.*

IV. *Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare* ».

Quoad prohibitas vero additiones in praefatis libris cantus gregoriani, recolendum est etiam Dec. eiusdem S. Cong.^{is} [2] in cuius n. II dicitur: *Reproductiones ei. ed. typicae, quae praeseferunt signa superinducta, rytmica dicta, per abusum vocari editiones rytmicas, atque... fuisse... precario toleratas: hanc vero tolerantiam... amplius non admitti, nisi pro solis editionibus iam factis Gradualis et Officii Defunctorum.*

His praesuppositis ex iure praec. transire oportet ad interpretationem *can. 1390*, in qua prae oculis habendae ut applicentur normae sequentes. « Omnes liturgicae (proprie, seu habentes ut

[1] 11 Aug. 1905. — [2] 25 Ian. 1911.

obiectum ritus ac caeremonias cultus publici) leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur » (can. 2). « Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi » (can. 6, 3°). — *In edendis* (de quasi *typicis* editionibus agitur, ut patebit) a) *libris liturgicis* proprie, scilicet: (Dec. cit. primo, n. IX) praeter alios supra citatos, (exclusa Collectione Dec.[m] S. R. C. quae can. praec. regitur), « *a*) Breviario Romano, *b*) Missali Romano, *c*) Rituali Romano, *d*) Pontificali Romano, *e*) Martyrologio Romano, *f*) Caeremoniali Episcoporum », et similibus aliorum rituum, atque canon « ex ipsa rei natura etiam Orientalem (Ecclesiam) afficit » (can. 1), b) *eorumque partibus* seu « excerptis », etiam « Psalterio cum Ordinario Divini Officii iuxta editionem Vaticanam quam S. R. C. typicam declaravit » [1], ac statutum oppositum veluti temporaneum ut videtur non urgendum, c) *itemque litaniis*, quamvis illorum librorum particulae sint, memorandis ob num. 19 Decret. gener., *a Sancta Sede* ad normam can. 7, *approbatis* illis propter editiones typicas recenter quamvis non ultimo factas, his, nempe: « praeter antiquissimas et communes, quae in praefatis libris continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine... et Litanias Ssmi. Nominis Iesu », etiam Litaniis Ssmi. Cordis Iesu quae approbatae sunt a Leone XIII [2], et aliis Sti. Ioseph a Pio X per Dec. S. Congr.[s] Rituum [3], *debet de concordantia* (ita ut nihil sit formaliter mutatum) *cum editionibus approbatis,* ita ut serventur quoad hoc iuris praec.[a] citata decreta, *constare ex attestatione Ordinarii* saltem confirmantis per « imprimatur » similem attestationem censoris vel alterius Ordinarii, etc. ad normam num. VII et VIII Dec.[i] primo relati, aut III et IV Dec.[i] secundo positi, pro casuum diversitate, atque *loci* a) *in quo imprimuntur* b) *aut publici iuris fiunt,* seu principalis venditionis. — Igitur mendae typographicae quae ordinarie accidunt non considerantur, sicut materiales mutationes. Salva manent privilegia, ob can. 4, si quae sint contraria, imo quae alicui religioni v. gr. Ordini Praedicatorum sint directe concessa propter can. 613, § 1.

279. **De editionibus sacrarum Scripturarum.** Num. 7 Decret. generalium sic incipit: « Cum experimento manifestum sit,

[1] Dec. S. R. C. 15 Ian. 1912. CO. IV, 84. — [2] 2 Apr. 1899. — [3] 18 Mart. 1909. CO. I, 290.

si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri »: prout in *can. 1391* dicitur: *Versiones* « omnes » *sacrarum Scripturarum* proprie dictae, quales dici nequeunt translationes versiculorum, capitulorum, evangeliorum aut epistolarum totius anni liturgici, etiam libri Tobiae ex alicuius regionis usu, *in linguam vernaculam* idest: adhibitam in usu actuali alicuius populi, *typis imprimi* quocumque processu mecanico *nequeunt* licite. Quae prohibitio consequenter ob typographiae finem « efficit ut liber (huius versionis) sine debita licentia, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec ullo modo cum aliis communicari possit » (can. 1398, § 1) ad normam iuris praec.s edicentis: (Dec. gener. n. 7) illae versiones « etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur », et quod « hae nihilominus versiones (qua tales) iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur » (Decr. gener. n. 8). Atque in Codice per can. 1399 sub n.° 5° « ipso iure prohibentur ». Conditio alterutra prohibitionem canonis excludens sequitur: a) *nisi sint a Sede Apostolica* (can. 7) v. gr. a Congr. S. Officii *probatae*, quod sufficeret, b) *aut nisi edantur* idest: fiant et imprimantur *sub vigilantia Episcoporum,* quorum ad normam can. 1385, § 2 censurae subiiciantur oportet vi huius canonis, *et cum adnotationibus,* quae referant traditionem ac sensum Ecclesiae communem, quin excludantur adiectiones aliae sive de chronologia, de geographia, historia, etc., cum dicatur in canone: *praecipue excerptis* saltem quoad sensum, melius quandoque verbotenus *ex sanctis Ecclesiae Patribus* proprie dictis, eo quod ut tales habeantur in Ecclesia, *atque ex doctis* simul *catholicisque scriptoribus.* Hae conditiones « ius vetus (Dec. gen. n. 17) ex integro referunt » (can. 6, 2°). Verbum « adnotationes » secumfert earum expressam relationem ad textum; an vero in imo paginarum illae sint, prouti fert usus praeferendus, vel diversa capita, librosque sequantur vel in editione alibi ponantur, etsi minus laudandum sit, canoni est indifferens. Atque ad quaesitum: « utrum liceat in editionibus versionis Vulgatae tam Novi quam Veteris Testamenti lectiones varias aliave huiusmodi studiosorum adiumenta ad calcem Textus adiicere? — Re examinata, Pont. Comm. Biblica respondit: Affirmative » [1].

[1] 17 Nov. 1921, CO. XIV, 27.

280. Approbationis limitata extensio. Conformis omnino est num.⁰ 44 Decret. gener.ᵐ *can. 1392.* « Noverint typographi et Editores librorum » (loc. cit.) atque alii, quorum interest, § *1. Approbatio,* prius dicta pro canonum diversitate huius Tituli: « censura ecclesiastica, licentia, attestatio, vigilantia », ac in omnibus his implicita, *textus originalis* quoad linguam in qua fuit compositus, *alicuius operis*, ab Auctore sive adinventi, sive ex aliis collecti, sive tantum editi, a) *neque eiusdem* « operis » *in aliam linguam translationibus* edendis, b) *neque aliis editionibus* etiam absque mutatione textus *suffragatur* ad earum singularum liceitatem: *quare* hac tantum de causa a) et *translationes* supra declaratae sicuti b) *et novae editiones operis,* ut hoc declaratum est, prius *approbati* ut supra, *nova approbatione* ad normam praec.ᵐ canonum Tituli, *communiri* ad normam can. 1394 *debent* huius canonis praescripto. Ratio generalis normae positivae patet, propter variationes et adiuncta, quae in nova editione vel in versione induci queunt, vel requiri ex circumstantiis quae mutatae sint.

Exceptionem authentice prius declaratam de num.⁰ 44 Decret.ᵐ gener.ᵐ per S. Congr. Indicis [1] exhibet iisdem verbis § *2. Excerpta,* proinde absque magna mutatione formali *e periodicis,* sive diariis, sive libellis, sive foliis, *capita seorsim edita* « gallice: tirages à part » *novae editiones* ad normam § 1ⁱ *non censentur* usu ac iure, quamvis revera sint, *nec proinde nova* ut supra *approbatione* praeter eam, quae data supponitur, *indigent,* ut illa simul in libro vel opusculo edantur.

281. Normae de censoribus. Ex litt. aplcis « Pascendi » Pii X [2] n. IV verbotenus est transcriptus *can. 1393.* § *1. In universis Curiis episcopalibus,* quae « diocesanae » vocantur ac describuntur in cap.ᵉ IV. Tit.ⁱ VIII Lib. II, etiam cuiuslibet Abbatiae vel Praelaturae nullius, *censores ex officio,* « qui ad eas pertinent » (can. 363. § 2) *adsint* ob huius can.ˢ praeceptum *qui edenda* quaelibet ad normam can. 1384 § 2 *cognoscant,* quatenus de iure fieri debeat. Ratio ibidem descripta est: quia « ipse per se Episcopus praecognoscere universa non potest, quae eius approbationem postulant ».

« De censorum officio in praevio censurae librorum examine »

[1] 23 Maii 1898. — [2] 8 Sept. 1907.

(Dec. gener. Cap. II Tit. II) est § 2 vocans propter hoc eos *Examinatores*, ac statuens ut *in suo obeundo officio*, a) *omni personarum* physicarum et moralium *acceptione deposita*, nempe: ut legitur in num. 39: « nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant », imo « de variis opinionibus atque sententiis (iuxta Bened. XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant », ita ut b) *tantummodo prae oculis habeant* ut regulas doctrinae scriptorum a) *Ecclesiae dogmata* quae ab ea docentur utroque magisterio ut revelata, b) *et communem catholicorum* qua talium *doctrinam,* etiam magis vel minus revelationi connexam, *quae* « doctrina » ut continens quoque « dogmata » a) *Conciliorum generalium decretis* doctrinalibus, sub quibus veniunt quoque canones dogmatici, v. gr. in Conc. Tridentino, *aut Sedis Apostolicae* ad normam can. 7 *constitutionibus* doctrinalibus seu dogmaticis, sive illae in Conciliis promulgatae sint forsitan dogmaticos canones continentes, v. gr. in Conc. Vaticano, sive extra Conciliorum occasionem v. gr. in Litt. encycl. saepius cit.[s] « Pascendis », *seu praescriptionibus* vigentibus, quae vel quaestiones non agitandas apud Auctores, vel propositiones damnatas tamquam erroneas aliave censura v. gr. scandalosas, piarium aurium offensivas, non propugnandas statuunt, vel modum quasdam res tractandi v. gr. traditiones, nova miracula, indulgentias, vel denique de vitandis caritatis aliarumque virtutum laesionibus in polemicis, etc., b) *atque probatorum doctorum*, non tantum multorum, aliis bonae notae ac sufficienti numero contradicentibus aliudve sentientibus, sed *consensu continetur.*

De qualitatibus censorum verba derivata ex litt.[s] encycl.[s] « Pascendi » affert § 2. *Censores* propter sententiam quam post examen librorum ferre debent, *ex utroque clero* saeculari ac religioso, idest: indiscriminatim hac de causa, *eligantur* a) *aetate* maturi, b) *eruditione* de librorum materiis, ne minus sint competentes ad ferendum de illis iudicium, c) *prudentia,* qua possint cum simplicitate mentem auctoris haurientes, ut ex textu ac contextu patefit illa, simul perspiciant quae inadvertenter aut voluntarie exciderint reprehendenda, *commendati* ad illud officium rite exercendum ad normam huius can.[s] *qui* tali praediti sint criterio, ut *in doctrinis* eorum examini subiiciendis pro illarum merito *probandis improbandisque medio tutoque itinere eant.* Videlicet: a nimia severitate ac

exigentiis abstineant, dum opinionum laxitatem, certosque errores ac evidentes praescriptionum S. Sedis transgressiones ne permittant.

Sequitur de actu potestatis ecclesiasticae § *4. Censor* ex declaratis in praec. §° designatus in casu *sententiam* de scripto examinato ad normam § 2ae *scripto* vi huius can.s *dare debet* (Dec. gen. n. 40). « Absoluto examine » triplex hypothesis verificari potest. Relictis duabus perpendendis in seq.s can.s § 2, prima est sic enuntiata in canone. *Quae* sententia censoris *si faverit*, scilicet: « nihil publicationi libri obstare videbitur », *Ordinarius* loci ex contextu *potestatem edendi* licite quoad ius ecclesiasticum *faciat*, per licentiam iure requisitam, *cui tamen* « in scriptis » (can. 1394. § 1a) concedendae *praeponatur censoris iudicium* fortassis « formula nihil obstat » ex litt.s aplis. « Pascendi » omissa, *inscripto* in fidem *eius nomine*. Haec §us ad verbum ex cit.s litt.s transcripta sic prosequitur: *Extraordinariis tantum in adiunctis*, quae postulent exceptionem, *ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio* cum illis dimittendo ac necessario, *censoris mentio* quoad nomen *omitti poterit* ex canonis conniventia.

Ob naturam officii censoris provisum est ex cit.s litt.s per § *5. Auctoribus*, quos petiisse licentiam supponitur, *censoris* designati ad proprium scriptum *nomen pateat numquam*, hoc igitur praescriptum tenet omnes illud cognoscentes ratione officii, *antequam hic*, censor, *faventem sententiam ediderit*. Ergo secus « numquam » noscendum. Atque hoc « ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit ».

Norma illa praxi utilis memoranda ex eisdem litt.s « Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quatenus censurae subiecta), quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit ».

282. **De licentiae formalitatibus vel denegatione.** *Can. 1394. § 1. Licentia*, seu actus spiritualis administrationis, *qua Ordinarius* loci ex §° 4a praec.s can.s *potestatem edendi facit*, a) *in scriptis concedatur*, omissumque est « et omnino gratis » (Decret. gener.s n. 40), quia hoc vere servandum quoad licentiae concessionem, posset aliquid exigi pro censoris labore remunerando, sed

congruentius aliter remuneratur. De illa « licentia » subditur: b) *in principio aut in fine libri, folii vel imaginis* ex praecepto *imprimenda* verbis pro libito, et quae sic determinatur: *expresso nomine concedentis,* quoad censoris vero nomen et iudicium hic exprimendum vel omittendum servetur praecedens canon, *itemque loco et tempore* seu data *concessionis,* quae in scripta licentia fuerunt indicanda.

§ 2. *Si vero* secus ac in § 4ª praec.ˢ can.ˢ *licentia deneganda videatur* Ordinario loci ex contextu cum §⁰ praec.ⁱ, a) *roganti auctori*, (cui patefacere oportet cum urbanitate licentiae denegationem) huius « rationes », b) *nisi gravis causa aliud,* scilicet: non esse eidem satisfaciendum, *exigat*, unde absente tali causa *rationes* denegatae licentiae *indicentur* ex huius canonis praescripto. Etiamsi gravitatem causae ponderare sit Ordinarii, is meminisse debet sequentem responsionem S. Congr.ᵉ Indicis [1]: « an Ordinarii qui praevio examine alicuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegent eumdem publicandi, teneantur auctori rationes denegatae licentiae indicare? — Affirmative, si liber videatur correctionis aut expurgationis esse dignus ».

CAPUT II.

De prohibitione librorum.

Can. 1395. - § 1. Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis.

§ 2. Ab hac prohibitione datur ad Sanctam Sedem recursus, non tamen in suspensivo.

§ 3. Etiam Abbas monasterii sui iuris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio, potest libros ex iusta causa suis subditis prohibere; idemque, si periculum sit in mora, possunt alii Superiores maiores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem.

Can. 1396. - Libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcunque vertantur idioma prohibiti censeantur.

Can. 1397. - § 1. Omnium fidelium est, maxime clericorum et in dignitate ecclesiastica constitutorum eorumque qui doctrina praecellant, libros quos perniciosos iudicaverint, ad locorum Ordinarios aut ad Apostolicam Sedem deferre; id autem peculiari titulo pertinet ad Legatos Sanctae Sedis, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum catholicarum.

§ 2. Expedit ut in pravorum librorum denuntiatione non solum libri inscriptio indicetur, sed etiam, quantum fieri potest, causae exponantur cur liber prohibendus existimetur.

§ 3. Iis ad quos denuntiatio defertur,

[1] 3 Sept. 1898.

sanctum esto denuntiantium nomina secreta servare

§ 4. Locorum Ordinarii per se aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idoneos vigilent in libros, qui in proprio territorio edantur aut venales prostent.

§ 5. Libros qui subtilius examen exigant vel de quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur, ad Apostolicae Sedis iudicium Ordinarii deferant.

Can. 1398. - §. 1. Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit.

§ 2. Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat eiusve Superior vel successor.

Can. 1399. - Ipso iure prohibentur:

1° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae;

2° Libri quorumvis scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes;

3° Libri qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt:

4° Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri;

5° Libri de quibus in can. 1385, § 1, n. 1 et can. 1391; itemque ex illis de quibus in cit. can. 1385, § 1, n. 2, libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus;

6° Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt;

7° Libri qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem,

Caput II. De prohibitione librorum —
- — ab homine —
  - — ius et officium — Can. 1395
  - — sine limitatione — » 1396
  - — post qualem praeviam denunciationem — » 1397
- — quoad eius significationem circa effectus — » 1398
- — ipso iure —
  - — quoad extensionem —
    - — circa libros — » 1399
    - — limitata pro quibusdam — » 1400
  - — non adstringente personas in dignitate constitutas — » 1401
- — dispensata —
  - — ex Ordinarii licentia — » 1402
  - — sub conditionibus de iure —
    - — pro omnibus — » 1403
    - — pro illorum venditoribus — » 1404
- — iure naturali ac inde Ordinariorum obligatio — » 1405

magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant;

8º Libri qui duellum, vel suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae vel civili societati esse contendunt;

9º Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent;

10º Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant;

11º Libri quibus divulgantur indulgentiae apocryphae vel a Sancta Sede proscriptae aut revocatae;

12º Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae.

Can. 1400. – Usus librorum de quibus in can. 1399, n. 1, ac librorum editorum contra praescriptum can. 1391, iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata.

Can. 1401. – S. R. E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur.

Can. 1402. – § 1. Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus.

§ 2. Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et iusta ac rationabili causa concedant.

Can. 1403. – § 1. Qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet a suis Ordinariis proscriptos, nisi in apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos.

§ 2. Insuper gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant.

Can. 1404. – Librorum venditores libros de obscenis ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant; ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti.

Can. 1405. – § 1. Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum praestant.

§ 2. Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum.

283. **Inscriptio Capitis et canonum coordinatio.** Sequitur considerandum *Caput II* inscriptum *De prohibitione*, quod verbum explicatur in suis effectibus canone 1398, et undequaque ipsa regulatur, librorum quoad obiectum illius cum significatione declarata in § 2 can.[s] 1384, sed in capite canones inveniuntur de prohibitionis eiusdem limitationibus quoad personas iuri ecclesiastico subiectas. Ius et officium primo statuitur cum determinationibus in can. 1395, prohibitionisque ab homine declaratur extensio per can. 1396, dum sequens can. 1397 normas tradit circa librorum denunciationem.

Canones 1398-1401 loquuntur de prohibitione ipso iure imposita, quos nempe actus afficiat, quos libros, quae personae eximantur ab ea tum partialiter, tum totaliter. De dispensatione horum canonum sunt sequentes can. 1402-1404, tum quoad ipsam concedentes, tum quoad servandas conditiones ab obtinentibus eam, sive quicumque sint sive librorum venditores, et explicit caput canone 1405 admonente de servando iure naturali hac in re, atque Ordinarios de ipsorum obligatione.

284. **Superiores competentes ad libros prohibendos** recenset *can. 1395. Ius* publicum Ecclesiae tum commune cum aliis societatibus, tum proprium ac exclusivum aliarum ob eiusdem peculiarem finem, *et officium* erga fideles illius curae commissos, *libros* ad normam can. 1384, § 2, non pro libito, sed *ex iusta* seu proportionata *causa* damni, quod evenire potest directe vel indirecte ob lectionem scriptorum, *prohibendi* lege ecclesiastica vel decreto, *competit* ex Ecclesiae constitutione ac vi huius canonis, a) *non solum supremae auctoritati ecclesiasticae*, in Conciliis Oecumenicis vel quod est ordinarium extra illa, et in hoc secundo casu exerceri solet per Congr. S. Officii ad normam can. 247, § 4, quae norma « ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficit » (can. 1), addente quoque canone: *pro universa Ecclesia,* b) *sed* limitatur « ius et officium » *pro suis* exprimendorum *subditis* ad normam can. 94, 14 § 1, quoad decreta, et can. 24 quoad « praecepta singulis data », *Conciliis* « competit » *quoque particularibus* scilicet: plenariis ac provincialibus, *et locorum Ordinariis* ad normam can. 198, § 2, quoad « libros, aliaque scripta noxia in eorum territorio edita vel diffusa » (Dec. gener. n. 29).

Opportuna est alloquutio Episcopis directa hoc modo a Pio X in litt. aplcis. « Pascendi »[1] n. III. « Nihil... vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo Imprimatur appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod postremum in Religiosorum forte Ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint adiaphori, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita

[1] 8 Sept. 1907.

prudentium sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi ».

Quamvis remota fuit quaestio num exempti subiiciantur prohibitioni librorum per Episcopos statuta, propter verba § praec.[is] « pro suis subditis », attamen auctor libri vel alii possunt rationes afferre contra prohibitionem factam sive « a Conciliis particularibus sive a locorum Ordinariis ». Ut ergo aequitati sit consultum, edicit § *2. Ab hac prohibitione* per Concilia particularia vel locorum Ordinarios decreta *datur ad Sanctam Sedem* (can. 7) nempe ad S. Congr. S. Officii, *recursus, non tamen in suspensivo* effectu, idest: observanda est interim prohibitio, usquequo S. Sedes de eadem cognoscens forsan revocet eam in irritum.

§ *3. Etiam* idest: ad similitudinem Ordinarii loci ex §° 1[a] *Abbas* a) *monasterii sui iuris* qua talis, qui est « Superior maior » (can. 488, 8°), cum « Abbas nullius » sub §° 1[a] sit comprehensus, b) *et supremus religionis clericalis exemptae Moderator,* qui « in iure nomine Ordinarii intelligitur » (can. 198, § 1), uterque *cum suo Capitulo* a) conventuali, b) generali *vel Consilio* a) monasterii, b) supremo, *potest* cum ecclesiastica iurisdictione, nam ceteri Superiores etiam Congregationum non exemptarum possunt ex potestate dominativa, *libros* ad normam can. 1384, § 2 a quibuslibet publicatos, *ex iusta causa* ut supra in §° 1[a] *suis subditis* vi iurisdictionis, etiam novitiis, *prohibere* per decretum omnibus, saltem alicuius Provinciae vel quorumdam Provinciarum, etc., aut praecepto ecclesiastico singulis imposito, *idemque,* ergo « suis subditis » ut declaratum est, sub conditione: *si periculum* grave *sit in mora* expectandi prohibitionem supremi Moderatoris, *possunt alii Superiores maiores* recensiti can. 488, 8°, *cum proprio* uniuscuiusque *Consilio*, quod intelligendum est etiam supra cum voto deliberativo, *ea tamen lege* sub gravi servanda (quamvis ante eius adimpletionem vigeat prohibitio intimata) *ut rem quantocius* sublata negligentia *deferant* cognoscendam cum subiectione *ad Supremum Moderatorem,* qui potest eam relinquere, confirmare vel abolere. Canon loquitur de prohibitionibus per decretum saltem familiae

domus religiosae imposito, sed consequens est praeceptum ecclesiasticum singulis imponi posse.

285. **Decreta S. Congr.ˢ S. Officii** et S. Congr. Indicis nunc suppressae respicit *can. 1396. Libri* singulares vel cuiusdam Auctoris, proprie dicti ut plurimum, sed quandoque v. gr. in Dec. S. Congr.ˢ S. Officii [1] ad sensum can. 1384 § 2, *ab Apostolica Sede* (can. 7) per illa Decreta vel per Litteras Apostolicas *damnati* ad modum sententiae particularis, prout haec prohibitio contradistinguitur ab altera « ipso iure » statuta in can. 1399, quandocumque illa damnatio edicta fuerit, vel ante Codicem vel post eius publicationem seu vigorem. *ubique locorum* ad modum legis personalis generalis, *et* consequenter *in quodcumque vertantur idioma*, eo quod doctrina formaliter in illis contenta damnationem meretur, *prohibiti* revera iure ecclesiastico *censeantur*, quamvis non dicatur, ut assolet in Documentis exprimi. Hic canon refert Decretum generale sub num. 45, et eodem canone confirmantur tamquam vigentes damnationes quas innuit « Index librorum prohibitorum » a Leone XIII atque a Pio X editus, referuntque alia Decreta prohibitionis librorum edicta per SS. Congr.ˢ prius Indicis, postea S. Officii, ac publicata in Actis Aplcae. Sedis.

286. **Damnatio librorum.** Quia « unicuique mandavit Deus de proximo suo », et Ecclesiae maxime nocent pravi libri, statuit cum Dec.ˢ gener.ˢ num. 27 *can.ˢ 1397 § 1. Omnium fidelium,* quos praesumitur urgere charitas, est ius cum obligatione secundum charitatis regulas, quae perquam raro accidere poterit, *maxime* (quia facilius erit apud eos obligatio) a) *clericorum,* qui « debent sanctiorem prae laicis vitam ducere » (can. 124), et maiorem de religione possidere instructionem, b) *et in dignitate ecclesiastica constitutorum,* v. gr. Episcoporum titularium, in quibus illae rationes sunt potiores, c) *eorumque qui doctrina praecellant,* indeque aptiores ut librorum pravitatem deprehendant. *libros* ad normam can. 1384, § 2, *quos perniciosos* quoad fidem vel mores in populo christiano *iudicaverint* prudenter ac certo, a) *ad locorum Ordinarios* quorum intersit b) *aut ad Apostolicam Sedem* (can. 7) idest: ad S. Congr.ᵐ S. Officii *deferre,* ut examinentur damnandi. Prosequitur canon: *id autem* videlicet: « deferre praefatos libros », *peculiari titulo*

[1] 12 Apr. 1916, CO. VIII, 176.

pertinet ad eos, qui ex officio vigilant curae gregis Domini, nempe: a) *ad Legatos Sanctae Sedis*, sive « qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii », sive « qui mittuntur cum titulo Delegati Apostolici », hi enim omnes « in territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddere » (can. 267), b) *locorum Ordinarios* (can. 198, § 2), c) *atque Rectores Universitatum catholicarum* quas declaravimus ad can. 1376. Horum enim ex officio interest, ut sana doctrina inter professores ac scholares custodiatur.

De modo denunciationis ait § *2. Expedit*, ut appareat fundata denunciatio ipsa, et facilius perpendatur eiusdem obiectum, sed non est praeceptum, *ut in pravorum librorum denunciatione* qualibet iuxta praec. §^m^, *non solum* a) *libri inscriptio indicetur*, qua ille liquido discernatur ab alio simili, quod certe necessarium est, *sed etiam, quantum fieri potest*, secundum conditiones denunciantis ac pravitatis, b) *causae* subintelligendae *exponantur cur liber prohibendus* singulariter *existimetur*, forsitan sub iuris prohibitione iam comprehensus.

Etenim ut nihil incommodi persentiant denunciantes, quamvis in S. Congr. S. Officii huius secretum vigeat, generaliter edicit cum Dec. gener. num.° cit.° § *3. Iis ad quos* iuxta § 1^m^ *denunciatio defertur*, *sanctum esto* propter naturalem obligationem secreti ex officio publico, *denunciantium nomina*, quibus illae personae dignoscerentur, *secreta servare*, ut nemini personae illae detegantur.

Excitatur Ordinariorum in hac re diligentia per § *4. Locorum Ordinarii* (can. 198, § 2) *per se aut, ubi opus fuerit* propter ipsorum occupationes, vel multiplicitatem publicationum, etc., tunc *per sacerdotes idoneos* forsitan constituentes « Consilium quod a vigilantia dici » placuit Pio X illud iubenti « in singulis dioecesibus institui quamprimum » (litt.^e^ encycl. « Pascendis »). Illi ergo ut declaratum est *vigilent* pro eorum munere *in libros, qui in proprio territorio* a) *edantur* fortassis omissa censura ecclesiastica, b) *aut venales prostent* etiamsi alibi editi. Finis vero huius vigilantiae in Dec.^s^ gener.^s^ num. 29 exprimitur, ut « libros, aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant », equidem pro zelo ac prudentia pastorali.

Completur vero num^s^. ultimo cit.^s^ verbis § *5*^i^. *Libros*, non excluso sensu can. 1384, § 2, a) *qui subtilius examen exigant*, v.

gr. propter specialia argumenta vel novitatem sententiarum, b) *vel de quibus ad salutarem effectum consequendum* v. gr. ob magnam Auctoris scientiam et famam, ob diffusionem libri maximam, *supremae auctoritatis sententia* damnationis *requiri videatur*, *ad Apostolicae Sedis* (can. 7) *iudicium* scilicet: ad S. Congr. S. Officii *Ordinarii* « locorum » ex contextu *deferant*.

Hinc sunt speciales prohibitiones librorum saltem iussae ut fiant per Antistites pro studentibus praesertim in Seminariis. Hae inveniuntur in Motu proprio « Sacrorum Antistitum »[1] n. III, et tum in S. Congr.ᵉ Consistorialis Epistᵃ. circⁱ. ad Episcopos Italiae circa librum « Storia della Chiesa antica »[2], tum in Dec.º de quibusdam rei biblicae commentariis in sacra Seminaria non admittendis[3], tum denique in litt.ˢ circ.ˢ ad Ordinarios Italiae « de libris ab alumnis Seminariorum vel in scholis vel privatim adhibendis[4] ».

287. **Effectus prohibitionis librorum.** *Can. 1398* continet sub §º *1* Doctorum doctrinam in Dec.ˢ generalibus fundatam. *Prohibitio librorum* ex iure, cui aequipollet altera per Decretum Sedis Apostolicae, nisi aliter in hoc exprimatur sicut ex tenore aliarum prohibitionum est eruendum. Illa vero ex iure *id efficit ut liber* (can. 1384, § 2) quem afficit, *sine debita licentia* nempe de qua in can. 1402-1404, a) *nec edi* ad publicum usum, b) *nec legi* formaliter, ita ut lingua sit a legente cognita, c) *nec retineri* apud seipsum, d) *nec vendi* proprie seu pro pecunia, e) *nec in aliam linguam verti* ad usum personae non habentis licentiam, vel ad illius versionis impressionem, f) *nec ullo modo* v. gr. commutatione pro alio libro aut re, donatione, commodato, deposito, lectione *cum aliis communicari*, sive materialiter, sive formaliter liber accipiatur, *possit* licite.

§ᵐ 1ᵐ de prohibitione librorum ex iure praescripsisse confirmatur ex § *2* aiente: *Liber* proprie dictus *quoquo modo* nempe: « ipso iure » vel per sententiam damnationis legitime *prohibitus* absolute, secus si prohibitio attingat solum lectionem, *rursus in lucem edi nequit* sive eadem lingua, sive « in quodcumque versus idioma » (can. 1896), *nisi*, a) *factis correctionibus* earum sententiarum, quae fuerunt causa prohibitionis, et hoc semper requiritur,

[1] 1 Sept. 1910. CO. II, 655. — [2] 1 Sept. 1911. CO. III, 568. — [3] 29 Iun. 1912. CO. IV, 530. — [4] 17 Oct. 1913 CO. V, 455.

in casu vero prohibitionis per decretum S. Sedis aut sententiam Ordinarii loci, insuper b) *licentiam* editionis novae *is dederit*, sive S. Congr. S. Officii, sive Ordinarius singularis, *qui librum prohibuerat eiusve Superior* v. gr. Metropolitanus, nam de S. Sede inutile fuisset dicere, *vel successor* v. gr. Vicarius Capitularis respectu prohibitionis episcopalis. Sic ampliatum est ac completum illud Decr.[m] gener.[m] praescriptum sub n. 31 quoad libros ab Apostolica Sede proscriptos.

288. **Libri ex iure generaliter prohibiti.** Decreta generalia « de prohibitione librorum » sub num.[s] 2-21 congeruntur ordine summario in *can. 1399.* Monere oportet pro fere omnibus sequentibus numeris, diaria, folia et libellos periodicos non memorari, quae omissio in mentem revocat can.[s] 1384 §[m] 2[m]: « quae de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis, et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet ». Quod semel dictum sufficiat: adnotabimus tantum exceptiones, si quae occurrant

Ipso iure prohibentur vi huius can.[s] cum effectibus declaratis in § 1[a] can.[s] 1398: *1° Editiones* plurium exemplarium proindeque arte typographica, a) *textus originalis* propter hagiographorum linguam, b) *et antiquarum versionum* in linguam etiam latinam, sed nunc non vulgarem, *catholicarum* propter auctores versionum *sacrae Scripturae* totius vel partialis, *etiam Ecclesiae orientalis* propter linguam versionis vel usum, sed hac de causa praecise quod *ab acatholicis* sive paganis, sive haereticis, sive protestantibus, sive schismaticis, sive iudaeis, idest: *quibuslibet publicatae* quoad editionum impressionem vel sumptus, « etsi fideliter et integre editae appareant », ut admonebat Decr. gener. num. 5, nimirum ob praesumptionem erroris, qui studiose solet ingeri ab huiusmodi hominibus in Sacras Scripturas; *itemque* idest: « prohibentur » *eiusdem* « sacrae Scripturae » ut supra, *versiones in quamvis linguam* sive vulgarem, sive non vulgarem, eo quod *ab eisdem* « acatholicis quibuslibet » ut supra, a) *confectae* b) *vel editae* tantum, « atque illae praesertim (uti exemplum), quae per Societates Biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus evertantur ». (Decr. gener. n. 8).

2° Libri quorumvis scriptorum, idest: (Ib. n. 2) « apostatarum, haereticorum, schismaticorum et aliorum », proinde non intenditur

damnatio librorum intuitu personarum seu ob suspicionem erroris, sed directe ratione errorum, scilicet: « libri » a) *haeresim* seu errorem contra fidem divinam et catholicam, b) *vel schisma* nempe: discessionem a Romano Pontifice aut a membris Ecclesiae ei subiectis, *propugnantes*, quod verbum non significat obiter tractare, sed ex instituto assumere defensionem haeresis aut schismatis, c) *aut ipsa religionis* verae seu supernaturalis *fundamenta* nempe veritates fidei praeambulas, ut puta spiritualitatem animae, aut veritatem Librorum Veteris Testamenti, aut ipsas veritates de vera Religione, de vera Christi Ecclesia, utpote quae continent motiva credibilitatis nostrae Religionis, *quoquo modo*, quod spectat ad omnigenas artes quibus errores ingeruntur, nempe: vel disceptatione doctrinali, vel satyras scribendo, aut ingeniosis confictis fabulis, aut narrationibus romanensibus, additis etiam figuris prout mos fert, *evertere nitentes*, quantum prudenti viro ex ipso libro patefit, abstractione facta ab auctoris intentione. Ac plene concordat iuri praecedenti Codicem.

3°. Libri, cum in Dec.^s^ gener.^s^ solum nominarentur (n. 21) « diaria, folia, et libelli periodici », *qui* a) *religionem* seu veritates praximque relationum hominis erga Deum etiam naturalium, b) *aut bonos mores*, qui decalogo continentur, *data opera*, et ad hoc sufficit quod frequenter *impetunt*, id est de facto noxii sunt erga praedicta. Tunc ergo publicatio ipsa, non solum hi aliive numeri diarii... etc., proscribitur, nisi post emendationem haec cesset. Praedicti ergo « non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure prohibiti habeantur ». Propter praesumptionem ergo periculi manet prohibitio illis quoque fidelibus, qui non praesentientes illud, a iure naturali excusarentur.

Verbis eisdem num.^i^ 3 Decr. gener. exprimuntur *4° Libri quorumvis acatholicorum,* prout declarati sunt in num. 2° huius can.^s^, nempe: qui ad religionem catholicam de facto non pertinent; horum ergo « libri » *qui ex professo* videlicet ut principale libri obiectum, non « obiter tantum fidei veritates attingendo », *de religione tractant* vera, proindeque supernaturali, quae illius naturales veritates comprehendit, atque « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » (can. 6, 2°) « de religione » in hoc loco idem est ac de disciplinis sacris, queis accensendum ius canonicum, sed non intelligatur philosophia moralis, nec metaphysica. Hinc « libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, (ut

supra declaratum est), iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint » (Decr. gen. n. 4). — Exceptio pro canonis norma sequitur: *nisi constet* etiam testimonio unius viri fide digni *nihil in eis* libris, de quibus in hoc n.° 4° agitur, *contra fidem catholicam* nempe: contra singula « ea omnia... quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (can. 1323. § 1), *contineri*, etiamsi assertione tantum. Haec exceptio innuit praefatos libros praesumi errore infectos ratione auctoris, sed praesumptione quae cedit veritati.

5° *Libri* a) tum « sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria » *de quibus in can. 1385, § 1, n. 1* manet data explicatio, b) *et alii* « de quibus in » *can. 1391;* scilicet: « versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam (eo modo, quo) imprimi nequeunt »: *itemque ex illis* supple: libris proprie dictis, *de quibus in cit. can. 1385, § 1*, sed in *n. 2*, tantummodo *libri ac libelli,* exclusis igitur diariis ac foliis etiam periodicis, c) *qui novas* (quatenus recenter illae evenerunt vel adinventae sunt) *apparitiones* coelitum animarumque purgatorii, *revelationes* aliquarum veritatum vel devotionum, *visiones* oculis vel imaginatione perceptas, *prophetias* veluti praedictiones futurorum contingentium liberorum, *miracula,* sicuti vires naturae excedentes effectus, etiamsi veras atque cum divino interventu evenientes *enarrant* simpliciter, ita ut talis modus per se sufficiat ad prohibitionem, d) *vel* supple: « libri ac libelli » tantum, *qui novas* quoad substantiam praesertim vel quoad notabilem formam *inducunt devotiones*, commendando ipsas ut praxes cultus privati, *etiam sub praetextu quod sint privatae,* atque ad personarum singularium electionem ac usum, *si* alterutri « libri ac libelli » editi *fuerint non servatis canonum* Codicis tum illius citati, tum alterius 1394, vel alius, *praescriptionibus,* quin iam inde sit necessarium apponi protestationem Auctoris duplicem, (quae subintelligitur), ab Urbano VIII iussam in const. « Sanctissimus » [1]. Hic numerus concordat cum Dec. gen.[1] n. 13, mutato verbo « scripta » in aliud « libelli », ac determinata melius clausula veteri: « si publicentur absque legi-

[1] 13 Martii 1625.

tima Superiorum Ecclesiae licentia ». Quoad alias vero canonis particulas, hic « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus est aestimandus » (can. 6, n. 2°).

Decreta generalia sic se habent in n. « 11. Damnantur libri. in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur ». Canon quem commentamur in subsequenti numero « ex parte tantum cum veteri iure (nunc relato) congruit », quoad aliam partem verbis utens multum diversis sensum Decret. gener. non excludentibus, hinc optime applicanda eiusdem explicationi norma can.^{s} 6^{i} 3° « qua congruit, ex iure antiquo aestimandus est, qua discrepat, est ex sua ipsius sententia diiudicandus ». Itaque sit sensus canonis sub n.° *6° Libri*, ut initio sunt declarati, a) *qui quodlibet ex catholicis dogmatibus* sic dictis, quatenus « fide divina et catholica credendis », ita tamen ut « declarata seu definita dogmatice res nulla intelligatur, nisi id manifeste constiterit » (can. 1323, §§ 1, 3), hinc quoque « inspirationis Sacrae Scripturae conceptum, eiusque extensionem » iuxta declarationes ac definitiones Conciliorum Trid. et Vaticani, non solum denegant, sed disiunctive aut proprie *impugnant* ratione aliqua, *vel* satyris, contemptu, dicteriis etc. *deridenl*, et enuntiata sub n. 11 Decret. generalium huc comprehenduntur qua sunt de ipsis catholica dogmata, v. gr. Divina Maternitas, B. Mariae Virginitas perpetua, divina Ecclesiae origo, etc. — Sequuntur « libri » ex num. 14 Decret.^{m} gener.^{m} b) *qui errores* vel propositiones saltem uti erroneas *ab Apostolica Sede* ad normam can. 7, (quae praesidet aut confirmat Concilia Oecumenica), etiam mediante aliquo Curiae Romanae dicasterio, potissimum S. Congr.^{e} S. Officii, *proscriptos* (non iam ab aliquo Oecumenico Concilio, quia tunc esset catholica dogmata impugnare, nam ut haereticos damnare solent ipsa Concilia errores) *tuentur*. Non aliter ac fert responsio S. Congr.^{s} Indicis [1] ad quaesitum: « An opera quae permulta sunt erroribus infecta a Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur. quatenus errores ab Apostolica Sede damnatos continentia ». Respondit praelaudata Congr.: « Affirmative, si hos

[1] 23 Maii 1898.

errores tueantur seu propugnent». Similiter dicendum est certo comprehendi sub hac parte art. 14, libros propugnantes errores damnatos in Dec.º « Lamentabili » [1] Cong.s S. Officii et in litt.a aplcis. « Pascendi » Pii X [2]; nam idem Pontifex s. m. in Motu proprio « Praestantia Scripturae Sacrae » [3] ait: « illudque declaramus ac decernimus, si quis... quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento... (nempe: supra dictis) ...improbatis tueatur, censura ipso facto plecti capite *Docentes* const.s " Apostolicae Sedis " irrogata... » servata pro his casibus in can. 1317. Illa vero censura irrogata fuerat contra « docentes vel defendentes... propositiones ab Apostolica Sede damnatas ». Ergo tales sunt errores in alterutro documento improbatos. — Prosequitur canon: « libri » c) *qui cultui divino* qua tali *detrahunt*, non secus ac in n. 11 Decr.m gener.m, idest: traducunt in religionem ferme naturalem, vel deiiciunt dicteriis et calumniis ab eius nobilitate, non vero si tantum aliquas caeremonias reprehendunt. — Novum est comma: d) *qui disciplinam ecclesiasticam* iure canonico statutam *evertere* in Ecclesia *contendunt*, afferentes rationes aut motiva, vel subnotationes promovendo, contra Superiorum intentionem; v. gr. ut caelibatus clericorum in sacris abrogetur, *et*, denique sicut num.s 11 Decr. gener. explicit: e) *qui data opera*, seu ex professo, (non obiter) *ecclesiasticam hierarchiam* « sive ratione ordinis... sive ratione iurisdictionis » (can. 108, § 3), non iam determinatas alterutrius personas, *aut statum clericalem* propter quem « omnes fideles debent clericis reverentiam » (can. 119), non singulos clericos et personas physicas, *vel religiosum statum* prouti hic definitur in can. 487 atque « ab omnibus in honore habendus est », non iam singulas vel plures religiones, prout in concreto sunt definitae in can. 488, 1º, *probris afficiunt*. Videlicet: si asserant gradus hierarchicos ita distributos obstare voluntati Spiritus Sancti, qui posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, vel non alii scopo inservire quam ambitioni hominum fovendae. Item si in thesim traducant, evincere intendant vota castitatis aut obedientiae aut paupertatis tamquam iuri naturali contraria, et hinc nulla aut illicita.

7.º *Libri qui cuiusvis generis superstitionem*, quae « est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhi-

[1] 3-4 Iul. 1907. — [2] 8 Sept. 1907. — [3] 18 Nov. 1907.

beat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel eo modo quo non debet [1], vel cui non debet, scilicet cuicumque creaturae, et hoc aliud superstitionis genus in multas species dividitur secundum diversos fines divini cultus. Ordinatur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam; et secundum hoc prima species huius generis est idololatria, quae divinam reverentiam indebite exhibet creaturae. Secundo ordinatur ad hoc quod homo instruatur a Deo, quem colit; et ad hoc pertinet superstitio divinativa, quae daemones consulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita vel expressa. Tertio ordinatur divinus cultus ad quamdam directionem humanorum actuum secundum instituta Dei, qui colitur; et ad hoc pertinet superstitio quarumdam observationum » [2]. Uti praedictarum superstitionum exempla magis nota memoratur canon *sortilegia* seu divinationem per sortes, quando « sine expressa daemonum invocatione, divinatio fit ex consideratione eorum quae veniunt ex quibusdam quae ab hominibus serio fiunt ad aliquid occultum inquirendum », *divinationem,* « quando ad praenoscendum futura, absque expressa daemonum invocatione, aliquid consideratur in dispositionibus aliquarum rerum », *magiam,* quae est praedictio futurorum per homines vivos utentes ad hoc ipsum mediis aliis sed ineptis ad illum finem, unde « praeter intentionem hominis se occulte daemon ingerit ad praenuntiandum futura quaedam, quae hominibus sunt ignota, ei autem cognita per modos » aliquos, v. gr. pro aliquibus effectibus hypnotismi, *evocationem spirituum,* sive daemonum, quando illorum auxilium vel consilium expresse imploratur, sive defunctorum v. gr. in spiritismo, *aliaque id genus* nempe: superstitionem continentia, ut innuatur parum referre nomina quibus discernantur, *docent* earum singularum praxim velut artem quandam, *vel commendant* earum usum, sicuti bonum saltem utile, fortassis quin modum doceant. — Et hic numerus congruit n. 12 Decr.^{m} gener.^{m}.

Verbis non differt a num. 14 eorumdem, praescriptum sub n.^{0} *8*^{0}. « Ipso iure prohibentur pariter » *Libri* ex ipsorum subiecta materia, a) *qui* saltem *duellum* idest: pugnam duorum ex condicto suscepta cum armis lethalibus, *vel suicidium* quocumque ex motivo ac modo patretur, *vel divortium* praesertim quoad vinculum *licita*

[1] D. Th. II-II, q. XCII, art. 1 c. — [2] D. Th. loc. cit. a. 2, c.

statuunt, seu qui ex scopo sibi praestituto disserunt de hisce facinoribus quomodocumque etiam sub forma confictae narrationis, ex modo contendentes persuadere lectorem, huiusmodi facta haud esse improbanda; b) *qui de sectis* designantibus caetus hominum ad modum societatis profitentium eandem doctrinam pravam eundemque non rectum scopum, *massonicis,* quae sic seipsas nominant, *vel aliis eiusdem generis societatibus* equidem illicitis, quae facile mutantur in externa sua forma, re tamen vera eundem conservant finem, quo ad sectas massonicas reducuntur, scilicet nocendi Ecclesiae et subvertendi ordinationem christianam civilis societatis, ut eruitur ex litt. encycl. Leonis XIII « Humanum genus » [1]. Huiusmodi sunt societates Fenianorum, Carbonaria, Mazziniana, Nihilistarum, Anarchistarum, Internationalistarum. « Libri ergo qui de illis sectis », ut obiecto *agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati* (quae non debet esse orbata religione vera) *esse contendunt* persuadere.

Num.^m^ 9 Decr.^m^ gener.^m^ verbotenus affert canon sub n.° *9°*. *Libri qui res lascivas seu obscenas* qua tales, scilicet: ad excitandum appetitum venereum, et modum commonstrantes aptiorem quo huic indulgeri valeat, *ex professo* in illum finem ex modo saltem exponendi eas in notabili parte libri aut per totum, non obiter, vel solum ad venerem spectantes in alium honestum finem ut faciunt theologi ac medici, a) *tractant* ut eorum principale obiectum, b) *narrant* veluti ad pravam curiositatem satisfaciendam, seu tempus sic insumendum, c) *aut docent* modos pessimos quibus hi actus patrentur; prout communi sententia in hoc censu habentur opera Aemilii Zola. Etenim « cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, praefati libri omnino prohibentur ». — Imo propter omissionem num.^i^ 10 Decret.^m^ gener.^m^, sequitur libros statim enuntiandos prohiberi quoque semper ac sub canonis num. 9° comprehendantur. Ceteroquin relinquitur eorum lectio moderanda iure naturali sic optime denunciato: (Decr. gener. n. 10) « Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam vel proprietatem (quae in aliis eiusmodi libris sub canonis numero 9° non

[1] 20 Apr. 1880.

comprehensis invocari nequit) iis tantum permittuntur, quos officii et magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi vel praelegendi erunt ».

10.° *Editiones* qua tales, proinde singula exemplaria « ipso iure prohibentur » *librorum liturgicorum*, quos recensuimus ad can. 1390, « eorumque partium » conformiter illius praescripto, *a Sede Apostolica approbatorum*, non propter defectum « attestationis Ordinarii loci », sed etiam cum eadem *in quibus quidpiam* per se etiam parvum (quamvis tunc praescriptum leviter obligaret) *immutatum fuerit*, non materialiter quoad ipsam editionem vel accidentalia in ordine, sed quoad sensum vel ordinem ut sic, *ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant* iuxta explicationem can.^s 1390. Prohibitio attingit proprie eas publici iuris fieri, eorumque exemplarium usum vel praxim incongruentem in sacra liturgia.

•Decr.^a gener.^a in num. 16 statuerant: « Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare ». Haec interdictio inclusa perseverat ad normam can. 1398, § 1 sub amplioris prohibitionis n.° *11°. Libri quibus divulgantur*, forsan foliis, summariis, liberculis, *indulgentiae apocryphae*, nempe: fictae, quae numquam fuerunt concessae, saltem valide, *vel a Sancta Sede* ad normam can. 7, etsi vivae vocis oraculo, vel per Congregationem aut Officium nunc suppressum, *proscriptae* per aliquod decretum reprobans eas, *aut revocatae*, eo quod aliquando vere fuerant concessae. — De apocryphis agit Dec. S. Congr.^s Indulgentiarum [1]. Pro discernendis veris ab apocryphis deserviunt « Normae » traditae a praefata Congr.^e in Dec.^o generali [2] relato ad Cap. V de Indulgentiis in Tit. IV huius Libri III. Aliae apocryphae vel revocatae addisci possunt ex Decretis de Libris prohibitis, nec in Indicem nominatim expressis, § III, n. 9 et seqq.^s, quae prostant initio veteris « Indicis librorum prohibitorum ». Ad veras autem cognoscendas deserviunt et « Decreta authentica S. Congr.^s indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae, iussu Leonis XIII (collecta) et edita », et Sylloge piarum precum quae indulgentiis sunt ditatae, idest: « Raccolta etc. » cum Appendicibus

[1] 26 Maii 1898. — [2] 10 Aug. 1899.

etiam authenticis, et ex posterioribus Documentis apud « Acta Apostolicae Sedis ». — Omissio clausulae Dec.[m] gener.[m]: « Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur » innuit hoc relinqui Pastoribus animarum prudenter ac moraliter pro eorum sola ratione officii adimplendum. — Denique observetur libros etc. qui indulgentias veras divulgant propter solam can. 1388 transgressionem aliis effectibus can.[s] 1398, § 1 non subdi.

Prohibitio sub n.[0] *12*[0] adamussim concordat in hac parte numero 15[0] Decr.[m] generalium. *Imagines quoquo modo* ad can. 1385, § 1, n. 3[0] declarato *impressae*, verbum ibidem iam explicatum, *Domini Nostri Iesu Christi*, forsitan Divinitatis quatenus haec exprimi solet, *Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei* nondum vel iam beatificatorum *ab Ecclesiae sensu* ob significationem earum *et decretis alienae* seu difformes; nec interest an sint typi recentis vel antiqui. — Sensus vero et Dec.[a] Ecclesiae supra indicata queunt inveniri in sess.[e] XXV Conc.[i] Trid.[i] Decreto « De invocatione... sanctorum et sacris imaginibus », in Dec.[s] Urbani VIII apud Bened. XIV « De Beatificatione et canonizatione Sanctorum » [1], in eiusdem Benedicti const.[e] « Sollecitudini » [2] et in const. « Sacrosancta Synodus » Urb.[i] VIII [3], quae simul et alia in Dec.[is] « De libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis » recensentur in Comm. Card. Gennari ad Const. « Officiorum ac munerum », ubi alia quoque Decreta S. Congr.[s] S. Officii referuntur. Demum haec Suprema Congr. [4] edixit: « Nova emblemata Ssmi. Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Aplca. Sede approbanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines Ssmi. Cordis in Ecclesia iam usitatas et adprobatas; quia cultus erga Ssmum. Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga Ssmum. Cor Iesu ».

Hic transcribere oportet [5] Decretum Congr. S. Officii, quo « Emi. ac Rdmi. Domini Cardinales... publice declarandum censuerunt: Imagines sacras cuiusdam novae scholae pictoricae, quarum specimen exhibetur in opusculo cui titulus: *La Passion de Notre-Seigneur Jésus-Christ* par Cyril Verschaeve (ornée de compositions d'Albert Servaes. Bruxelles et Paris, Librairie Nationale d'art et d'histoire G. van Oest et C[ie], Editeurs, 1910), ad praescriptum ca-

[1] Lib. IV, P. II, c. 21. — [2] 1 Oct. 1745. — [3] 15 Mart. 1642. — [4] 3 Iun. 1891. — [5] 30 Martii 1921. CO. XIII, 197.

nonis 1399, n. 12, prohiberi ipso iure, ideoque » (videlicet: eadem de causa propter quam illae impressae prohibentur, vi can. 1279, §§ 2 et 3) « statim removendas esse ab Ecclesiis, Oratoriis, etc., in quibus forte expositae inveniantur », quamvis essent sculptae vel depictae, etc.

289. **Permissio librorum prohibitorum ex iure concessa** praecedenti sub num.s 5, 6, 8, Decr.m gener.m parum tacta relinquitur in *can. 1400. Usus* tantum, sed indeterminatus quoad lectionis scopum, ac consequens retentio *librorum de quibus in can. 1399, n. 1* scilicet « editionum sacrae Scripturae, ab acatholicis quibuslibet publicatae, itemque eiusdem versiones ab eisdem confectae, vel editae », *ac librorum* proprio sensu *editorum contra praescriptum can. 1391* de approbatione Sedis Apostolicae, aut de vigilantia Episcoporum cum adnotationibus, quoad « versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam », iis *dumtaxat* vi huius can.s *permittitur qui studiis theologicis vel biblicis* additurque *quovis modo* v. gr. ut professores, ut alumni, ut scriptores illarum disciplinarum, *operam dant*, iuxta rescriptum S. Congr.s Indicis, quae interrogata: « Utrum haec verba art. V « qui studiis theologicis vel biblicis dant operam » intelligenda tantum sint de doctis viris, iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos S. Theologiae tyrones » respondit [1]: « Negative ad 1m partem; affirmative ad 2m ». Conditiones huius permissionis circa eosdem libros in se subnectuntur, videlicet: *dummodo* a) *iidem libri* singuli supra determinati *fideliter* quoad editionem ipsam aut versionem respectu sacrae Scripturae *et integre* quoad omnes partes etiam parvas quas referunt *editi sint* revera, quod constare sufficit ac debet saltem ex testimonio personae competentis ac fide dignae, b) *neque impugnentur,* quod non est simpliciter errores nectere haereticales, sed positivas afferre rationes *in eorum* editionum ac versionum *prolegomenis* eo quod praecedant sacrae Scripturae textum, *aut adnotationibus* textui quocumque in loco editionis sitis, adversus *catholicae fidei dogmata,* quae nempe ut talia sunt expresse ab Ecclesia definita, vel saltem per magisterium ordinarium proposita, ad normam can.s 1323.

[1] 23 Maii 1898.

290. **Exemptio quarumdam personarum a prohibitione librorum.** Diversum est fundamentum prohibitionis librorum ex iure naturali atque prohibitionis ecclesiasticae. Illa namque innititur periculo quod aliquis revera persentit in legendo libro, aut vere imminet ei cui communicatur; ius vero positivum nititur in praesumptione periculi. Unde ius naturale eatenus urget, quatenus adest periculum in singulis casibus; ius econtra positivum omnes obligat etiam ab omni periculo in casibus immunes, quia lex positiva non cessat etiamsi cesset finis eius quoad singulos fideles. Posset autem cessare ob causam extrinsecam timoris gravis, impotentiae moralis, etc. — Sic igitur, cum can. 13 in §° 1ª praescribat: « Legibus generalibus (ecclesiasticis) tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt ». Insuper canones de prohibitione librorum indefinite loquuntur, quae loquutio indefinita aequipollet universali. Ergo necesse fuit ad concedendam ex legislatoris voluntate exemptionem addere *can. 1401. S. R. E. Cardinales, Episcopi* charactere, quia subditur: *etiam titulares* prout residentialibus contradistinguuntur, *aliique Ordinarii* quatenus « in iure hoc nomine intelliguntur praeter Romanum Pontificem... etiam... Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis « (can. 198, § 1), *necessariis* ratione iuris naturalis forsan pro singulis eorum urgente *adhibitis cautelis* ad removendum proprium periculum aliorumve scandalum, *ecclesiastica* solummodo *librorum prohibitione* ad normam can. 1398, § 1 ad eos quod attinet, seu ss. canonibus huius Capitis *non adstringuntur*. Quod est non dispensatio, nec excusatio, nec privilegium, sed proprie huiusmodi legum limitatio ad normam cit. can. 13, § 1, quia « pro eis latae non sunt ». Unde Ordinarii gaudent hac exemptione a momento officii beneficiive obtenti per ius in eo usque ad illius amissionem aliquo ex modis recensitis in can. 183, § 1; non excluso tempore quo essent fortassis detenti suspensione quacumque ab ordine vel a iurisdictione vel ab utraque, quia talis exemptio non est actus alterutrius potestatis.

291. **Licentia Ordinariorum ad legendum et retinendum libros prohibitos.** Mutata est parum disciplina num.ⁱ 25 Decr.ᵐ gener.ᵐ sic disponentis: « Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi-episcopali pollentes »: nam haec clausula etiam Praelatos locales regularium designabat nunc excludendos vi *can.ˢ 1402* §ⁱ *1ᵃᵉ*. *Ordinarii* ad normam can. 198, § 1 *licentiam* « legendi ac reti-

nendi ». ut in § 2° et in Dec.[s] gener.[s], non explicite quoad libros a seipsis iuxta can. 1395, §§ 1 et 2 prohibitos, id enim liquet ex reg. Iuris 1. « Omnis res per quascumque causas nascitur, per eas dissolvitur », et fortiori ratione vinculum relaxatur, sed ait canon: *ad libros quod attinet* a) *ipso iure* in can. 1399 digesta b) *vel decreto Sedis Apostolicae*, ut plurimum S. Congr.[s] S. Officii unice quoad hodiernam disciplinam, S. Congr.[s] Indicis quoque anteactis temporibus, cum effectibus can. 1396, *prohibitos, concedere suis* singulorum *subditis* determinandis per can. 94 vel 111 et seqq.[s] et quoad religiosos exemptos per can. 501, § 1, et 502, *valent,* ex potestate hic eisdem explicite concessa » (can. 81), alias non possent a) « nisi quando difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni », sed ex canone etiam alterutra deficiente huiusmodi conditione: b) *pro singulis tantum libris* legendis retinendisque, pluries quoque concessione facta eisdem vel aliis lectoribus quoad diversos libros singulariter exprimendos, *atque in casibus dumtaxat urgentibus* qualibet ex iusta causa, ut concessio huius canonis vana non sit.

§ 2. *Quod si generalem* « vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus, aut certum numerum casuum » (can. 66, § 1), qui tamen non sint unus alterve determinatus quoad personas, *a Sede Apostolica* (can. 7) prius per S. Congr.[m] Indicis, nunc per S. Congr.[m] S. Officii, ac per S. Congr. de Prop. Fide pro regionibus sibi subiectis atque per S. Congr. pro Ecclesia orientali *facultatem* sibi non pertinentem ad normam can. 81, *impetraverint suis subditis* ut in §° 1[a] *permittendi* solum *ut libros proscriptos* sicut in §° 1[a] *retineant ac legant* relaxando in casibus particularibus praescriptum can. 1398, § 1, *eam* permissionem *nonnisi* a) *cum delectu* prudenti librorum ac personarum *et iusta* seu proportionata *ac rationabili causa* non ex passione aut arbitrio *concedant;* secus illicite uterentur facultate. Haec tamen morali diligentia sunt adimplenda sine scrupulis et anxietatibus.

292. **Conditiones iuris implicitae in facultate legendi ac retinendi libros prohibitos,** etiamsi in rescripto non exprimantur. Fere omnino ius praecedens num.[i] 26 Decr.[m] gener.[m] refert *can. 1403. § 1. Qui facultatem* veluti ad plures actus *apostolicam* per SS. Congregationes supra dictas, « quas Romani Pontifices his concedendis licentiis praeposuere » (Dec. gener. n. 24),

consecuti sunt solummodo *legendi et retinendi libros* sensu can. 1384. § 2 *prohibitos* « quoscumque », *nequeunt ideo legere et retinere*, utpote in illa huius vi canonis non comprehensos, *libros quoslibet* sensu supradicto, proinde nec « ephemerides », non iam « ab Ordinariis locorum » quibuslibet, sed *a suis Ordinariis* forsitan sub §° 3ª can.ˢ 1395 nominatis *proscriptos, nisi in apostolico indulto* seu concessione gratiosa facultatis *expressa iisdem facta fuerit potestas* legendi et retinendi *libros a quibuslibet prohibitos*, nam illud verbum, ne vanum sit, debet ostendere propensiorem gratificandi subdito voluntatem, quae solum ad prohibitionem Ordinariorum si casus ferat referri potest.

In Dec.ˢ gener.ˢ loc. cit. legitur: « Meminerint qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt », quae clausula innuere videtur iuris naturalis obligationem, sed absolute § *2. Insuper* idest: supra dicti adhuc *gravi praecepto* etiam ecclesiastico *tenentur libros prohibitos* quamvis eis concessos *ita custodiendi* iuxta eorum arbitrium. *ut hi ad aliorum*, qui simili carent facultate, *manus non perveniant* de facto.

293. **De librorum venditoribus.** Num. 46 Decr.ᵐ gener.ᵐ « ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 1404. Librorum venditores* quicumque ex officio, « praecipue (ut patet) qui catholico nomine gloriantur », *libros* ad normam can. 1384, § 2, *de obscenis ex professo tractantes*, qui declarati sunt ad can. 1399, n.° 9°, *ne* quibuscumque a) *vendant*, b) *commodent*, c) neque apud se aut alios *retineant*, et haec prohibitio triplex est absoluta; sequitur altera uti norma generalis: *ceteros prohibitos* ipso iure aut decreto Sedis Apostolicae, a) *venales ne habeant* idest: venditioni expositos, *nisi debitam* ad hoc et validam *licentiam a Sede Apostolica* (can. 7) per supradictas Congregationes, « per Ordinarium » etsi non praeceptive, *impetraverint*, b) *neve cuiquam* absque exceptione *vendant*, *nisi prudenter* proindeque positive *existimare possint*, ast modus existimationis quae ex circumstantiis personae ementis ac ipsius actus desumenda erit, non determinatur; an exhibitione licentiae, an ex conditionibus personae cognitae, an ex testimonio sufficienti, obiectumque est *ab emptore legitime peti*, respectu habito ad prohibitionem librorum.

294. **Ius naturale circa prohibitionem librorum** exponitur in *can. 1405. § 1. Licentia a quovis obtenta* ad normam

can. 1402-1404, vel a proprio Ordinario circa libros per eundem prohibitos, *nullo modo* etiam declarationis circa ius illud, *quis* etsi doctus ac pius *eximitur a* servanda *prohibitione iuris naturalis*, quae talis est: *legendi libros* ad normam can. 1384, § 2, *qui ipsi proximum spirituale* seu animae *periculum* nempe: incurrendi peccatum *praestant* fortassis ob eius actuales circumstantias, v. gr. ob illud quod daret scandalum.

Obligationem quandam pastoralis officii memoratur § 2. *Ordinarii locorum* (can. 198, § 2) *aliique curam animarum habentes* v. gr. parochi, confessarii, ac si casus ferat, Superiores religionis clericalis exemptae, *opportune* iuxta prudentiam *moneant fideles* sibi subditos *de periculo* propriae vitae spiritualis *et damno* fidei ac morum provenientibus in genere ob usum *lectionis librorum* (sensu can. 1384, § 2) *pravorum* quorumlibet, *praesertim prohibitorum* iure ecclesiastico, ac specialibus decretis. — Quia illud frequentius ac facilius provenit ex diariis, foliis ac libellis periodicis, circa haec cavebant Dec.[a] gener.[a] in n. 21: « Curent Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere ».

295. **Examen omissorum Decretorum generalium.** Num. 1 est sequentis tenoris: « Libri omnes, quos ante annum 1600, aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in Novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur ». Norma haec viget post Codicem, utpote « quae implicite in can. 1396 contineatur », cum acta Concilii oecumenici vim habeant ex confirmatione Romani Pontificis in forma specifica. Exceptiones adductae valent, quatenus huius Tituli canonibus non oppositae.

Num. 34. « Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta Sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent ». Haec Decreta constituebant peculiarem disciplinam locorum Missionum circa quosdam libros. Cum vero illorum dispositiones contineantur in sacris canonibus declaratis, ibidemque Ordinarii locorum semper designantur « quo nomine in iure intelliguntur... Vicarius et Praefectus Apostolicus » (can. 198): inde ad illos deferuntur implicite facultates prius reservatae S. Congr.[i] de Prop. Fide. — Ergo videtur quod ea Decreta qua talia « vim omnem amisisse dicenda sunt » (can. 6, 6°).

Idem asserendum est certo de num.° 43, eo quod « nec explicite nec implicite in Codice contineatur » (can. 6, 6°). « Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis... ».

Demum decreta sub nn. 47, 48 « De poenis in Decretorum generalium transgressores latis » sunt explicite, et num.ˢ 49 implicite relatus in can. 2318 et aliis Lib. Vⁱ.

TITULUS XXIV.

De fidei professione.

Can. 1406 - § 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

1° Coram praeside eiusve delegato, qui Oecumenico vel particulari Concilio aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto seu consultivo seu deliberativo; praeses autem coram eodem Concilio vel Synodo;

2° Coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;

3° Coram delegato ab Apostolica Sede, promoti ad sedem episcopalem, etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius*, Vicariatus Apostolici, Praefecturae Apostolicae;

4° Coram Capitulo cathedrali, Vicarius Capitularis;

5° Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt;

6° Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum;

7° Coram loci Ordinario eiusve delegato, Vicarius Generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores, de quibus in can. 1393; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi;

8° Coram Ordinario eiusve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis eiusve delegato, professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cuiusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur;

9° Coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus.

§ 2. Qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam huius canonis.

Can. 1407. - Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit.

Can. 1408. - Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones huius tituli.

296. **Inscriptio Tituli.** Ultimus istius Partis restat considerandus *Titulus XXIV. De fidei,* quae absolute dicta intelligitur

proprie: « cogitatio cum assensu [1] earum veritatum quae ab Ecclesia fidelibus proponuntur tanquam a Deo revelata », *professione*, quae idem est ac « publica ut plurimum et oralis confessio, qua fides mente retenta exprimitur ». Tres sunt canones, in primo 1406 recensentur obligati ad eam emittendam, modus canonicus in can. 1407 edicitur, et de contraria consuetudine statuit can. 1408.

297. **Recensio eorum a quibus et coram quibus emittenda est fidei professio.** *Can. 1406* « vigentem huc usque disciplinam retinet, licet opportune unam additionem, alteramve immutationem afferat » (can. 6). § *1. Obligatione* ex huius canonis praescripto *emittendi* verbis *professionem fidei* sub inscriptione tituli declaratam *secundum formulam a Sede Apostolica probatam*, quae cum singulariter nominetur, innuitur unica, et iuxta disciplinam praecedentem est illa quae immediate praeponitur Codici Iuris canonici in huius editionibus. Haec « Professio catholicae fidei » seu formula fuit primo edita in const.s « Iniunctum » et « In Sacrosancta » Pii IV [2], ut exacte adimplerentur Decreta Conc. Trid. de hac re, sed prout extat nunc, est parvis additionibus aucta per Dec. « Quod a priscis » S. C. C. [3], ut explicite contineret dogmata in Conc. Vaticano definita. — « Obligatione » igitur sic declarata *tenentur:*.

1.° Coram praeside singulorum Conciliorum ac Synodorum, *eiusve delegato* fortassis in hunc tantum finem, *qui Oecumenico* (hi iuxta praxim prius servatam) *vel particulari*, sive Provinciali cui primo intersint ex cap. 2, sess. XXV de Ref., sive in subsequentibus, « cum usu constanti sic receptum sit » [4], sive plenario *Concilio*, hi quoque « ex usu constanti, *aut Synodo dioecesanae*, tum ei « quae primo quoque tempore celebrabitur post obtentum ab eis beneficium ecclesiasticum » [5] tum ceteris *intersunt* de facto (proindeque, post aperitionem Concilii vel Synodi), sed *cum voto seu consultivo seu deliberativo*, quos noscere oportet iuxta Commentarium Textus ad canones 286, 287, 282 et 358; *praeses autem*, scilicet: a) « Legatus a Romano Pontifice ad Concilio praesidendum » (can. 281), b) « Metropolita, eoque legitime impedito vel Sede Archiepiscopali vacante, Suffraganeus antiquior promotione ad ecclesiam suffraganeam » (can. 284: 2°), c) « Episcopus vel Vicarius

[1] D. Th. II-II, q. II, a. 1 c. — [2] 13 Nov. 1564. — [3] 20 Ian. 1877. — [4] S. C. de Prop. Fide, 8 Maii 1860 ad Archiep. Westmonasterien. — [5] Cap 2, sess. XXV de Ref.

generalis cum mandato speciali », *coram eodem* Concilio a) Oecumenico, (nisi Pontifex ipse praesideat), vel plenario, aut b) provinciali, c) *vel Synodo*: hi omnes saltem ob antiquam praxim.

2.° Coram quatuor S. R. E. Cardinalibus, nempe: *Sacri Collegii Decano,* qui est « antiquior promotione ad aliquam sedem suburbicariam » (can. 237, § 1), *Cardinalibus* inter actu praesentes in Curia *primis in ordine* Sacri Collegii relativo a) *presbyterorum et* b) *diaconorum*, demum *et S. R. E. Camerario,* qui nempe « Camerae Apostolicae praesidet » (can. 262), *promoti ad cardinalitiam dignitatem.*

Iuxta Const. « Onus apostolicae » Greg. XIV [1] *3.° Coram delegato* ad hoc vel etiam ad inquisitionem de promovendi qualitatibus *ab Apostolica Sede* (can. 7) per S. Congr. Consist. vel S. Congr. de Prop. Fide, qui etiam subdelegare potest, quando « forte qui professionem emissurus est, a praelato inquirente longe distet; tunc enim is praelatus ex subdelegatione inquirentis, professionem admittere debebit cui promovendus vicinior erit », (attamen de « praesentia notarii publici ac testium » tacet canon), singuli *promoti ad sedem* a) *episcopalem* proprie dictam, forsitan dignitate auctam, b) *etiam non residentialem*, idest: Episcopi titulares, *vel ad regimen* c) *Abbatiae vel Praelaturae nullius* ad normam can. 319, etiam « de quibus consistorialiter provideri (non) contigerit » (loc. cit.), d) *Vicariatus Apostolici*, e) *Praefecturae Apostolicae*, scilicet: territoriorum, « quae erecta non sunt in dioeceses » (can. 293, § 1):

4.° Coram Capitulo cathedrali, (etiamsi ab alio fuerit deputatus) *Vicarius* illius *Capitularis*, qui hac « edita fidei professione, iurisdictionem obtinet » (can. 438).

In Conc. Trid. [2] decretum fuit: « Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptae possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram generali eius vicario, seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in Ecclesiae Romanae obedientia se permansuros spondeant ac iurent. (Quae continentur in Piana formula professionis fidei). Provisi autem de canonicatibus, et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram Episcopo, seu eius officiali, sed etiam in capitulo, idem facere te-

[1] Idibus Maii 1591, §§ 10, 12. — [2] Cap. 12, sess. XXIV, de Ref.

neantur: alioquin praedicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos; nec illis possessio suffragatur ». A S. Congr. Consist. « quaesitum est: utrum adhuc maneat facultas facta a S. Conc.° Trid.°, qua provisi de beneficiis quibuscumque, fidei professionem emittere possunt intra duos menses a die adeptae possessionis ». Et responsum est: « Negative; ac proinde in posterum fidei professionem emittendam esse ante possessionem beneficii » [1].

Haec aliquantulum immutata in Codice traduntur. — 5.° *Coram loci Ordinario* (can. 198, § 2) *eiusve delegato* ad hoc *et* simul vel seorsum *coram Capitulo* a) cathedrali (loc. cit., Conc. Trid.), b) vel collegiali [2], *qui ad dignitatem, vel canonicatum,* non ad alia beneficia ut mansionarii, in alterutro capitulo *promoti sunt.* Et quidem « ab ipsis ante captam possessionem emittenda » est fidei professio, ut edicit can. 405, § 2, qua « capta possessione, statim acquirunt ius percipiendi fructus ac distributiones » (can. cit., § 1).

Cum « coetus consultorum dioecesanorum vices Capituli cathedralis, qua Episcopi senatus, suppleat » (can. 427), ex paritate sequitur 6° *Coram loci Ordinario* (can. 198, § 2) *eiusve* ad hoc *delegato et* coniunctim vel seorsum *coram aliis* simul *consultoribus,* supple « dioecesanis », *assumpti* quandocumque *ad officium consultorum dioecesanorum.*

7.° Iuxta praescriptiones in Motu pr. cit.° (num.° ante I, I-IV): *Coram loci Ordinario* (can. 198, § 2) *eiusve* ad hoc *delegato,* singuli omnes subsequentes in hoc n.°: a) *Vicarius generalis,* b) *parochi* et qui « parochis aequiparantur » (can. 451, § 2), (etiam quibus provisum non fuit de beneficio), « ante possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu, a cuius momento curam animarum parochus obtinet » (can. 461), c) *et ii quibus provisum fuit* uno ex modis in can. 148, § 1 recensitis *de beneficiis* definitis in can. 1409, *quibusvis,* quorum denominationes in can. 1411 inveniuntur declaratae, *etiam manualibus,* quae nempe « conferuntur revocabiliter » (ib. 4°), *curam animarum habentibus,* seu cum potestate iurisdictionis vel fori externi, vel fori interni etiam extrasacramentalis iuxta cit. Dec. Trid.; d) *rector* « pro disciplina » (can. 1358), e) *professores* (sive cleri saecularis sive religiosi; ac exempti), seu « magistri pro instructione » *sacrae theologiae, iuris*

[1] 1 Mart. 1911. CO. III. 134. — [2] Motu pr. « Sacrorum Antistitum » Pii X, n. III. 1 Sept. 1910, CO. II, 669.

canonici, et philosophiae, idest: « in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis » (can. 1366) ad normam praec.s disciplinae in Motu pr. cit.o (ante num. I.m) *in Seminariis*, sed disiunctive: *initio cuiuslibet anni scholastici* iuxta declarationem S. C. Consist.s [1]. « V. An quotannis Doctores in Seminariis teneantur textum, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive theses, Episcopis exhibere, (nunc quia « Episcopus de hoc sedulo vigilare » [can. 1357, § 2] tenetur) et ineunte anno iusiurandum dare? Ad V. « affirmative », sed nunc sufficeret *vel saltem initio suscepti muneris,* quamvis loci Ordinarius posset illud praescribere, f) *omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus,* vel ad superiorem si tunc illam omiserint, ad normam in Motu pr. cit.o (n. I), « quorum singulis antea tradatur (saltem laudabiliter fit, praeceptum enim non videtur manere) exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iusiurandi (de quo infra) ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iusiurandi, ut infra, sanctione ». Subiiciuntur canonis obligationi a Codice: g) *librorum censores, de quibus* actum est *in can. 1393;* h) *sacerdotes,* qui « soli sunt ministri huius sacramenti » (can. 871) *confessionibus excipiendis destinati,* scilicet: « qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote » (can. 877, § 1) excepto, i) *et sacri concionatores* « soli sacerdotes vel diaconi » (can. 1342, § 1), nam subsequitur sicut in Motu pr. cit.o (n. II), *antequam facultate,* quae vi nominis proprie ad multos debet esse actus *donentur* singuli (sub littera h) ad normam can. 874 et 876, § 2, et sub littera i) ad normam can. 1337, et can. 1338, §§ 2 et 3), *ea munia* seu « officia ecclesiastica lato sensu » (can, 145, § 1) *exercendi.* — Animadvertatur memoranda utiliter Decl. S. Congr. Consist.s [2]: « V. An quotannis teneantur renovare iusiurandum vicarii parochiales, confessarii et sacri concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur?... ad V. negative », nam in canone dicuntur hi et isti teneri « antequam facultate donentur », et in dubio proposito iam ea donati sunt, ac renovatio facultatis est potius quaedam providentia in dioecesis administratione, ut fit ex. gr. Romae.

8.o Iuxta const. « In sacrosancta » Pii IV, §§ 4 et 6 [3]: *Coram Ordinario* « loci » ut supra, vel « religionis clericalis exemptae

[1] 25 Sept. 1910, CO. II, 740. — [2] 25 Oct. 1910, CO. II, 856. — [3] 13 Nov. 1564.

Superiore maiore » (can. 198, § 1), quando « Universitas vel Facultas catholica religiosae familiae (huiusmodi est) concredita » (can. 1376, § 2), *eiusve* alterutrius respective *delegato* ad hoc, *Rector* proprie *Universitatis vel Facultatis* declaratum ad can. 1376; — *coram Rectore vero* praedicto *Universitatis vel Facultatis eiusve*, non Ordinarii, ad hoc *delegato*, *professores omnes* sine disciplinarum distinctione quas doceant *in Universitate seu Facultate canonice erecta*, (« quae canonica constitutio Sedi Apostolicae reservatur »), etiam cum derogatione, si casus adesset, « benignae legis interpretationis qua usus Pius X declaravit in Epistola Card.[1] Fischer [1], non adigi eo (supra cit.) Motu proprio ad iusiurandum Sacerdotes, qui sacras disciplinas in Athenaeis civilibus profitentur ». Excepto igitur Rectore, qui praedicta « obligatione tenetur » solummodo « initio suscepti muneris », ceteri praedicti *initio cuiusque anni scholastici vel saltem* (quod sufficit) *initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto,* non antea, singulis *academicis gradibus* in can. 1380 memoratis, vel etiam in S. Scriptura *donantur*. Eadem igitur occasione.

In Motu proprio saepius citato « Sacrorum Antistitum » legitur VII. « Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium ». In canone tales Doctores, nisi aliis ex numeris teneantur, sunt omissi, et quoad Moderatores sic praescriptum est: *9.° Coram Capitulo* Generali vel Provinciali *vel Superiore* ut plurimum « maiore » (can. 488, 7°) *qui eos nominarit* per aliquem ex modis, queis « fit provisio officii ecclesiastici (can. 148, § 1), *eorumve delegato* ad hoc, designando singulis in casibus, nisi per ipsas constitutiones aut ex consuetudine iam sit ille determinatus, *Superiores* locales aut maiores *in religionibus* tantummodo, etsi Congregationibus *clericalibus,* proinde virorum etiam non exemptorum.

Quid servandum quoad iterandam professionem fidei propter iteratam causam in §° 1ª expressam, edicit § 2. *Qui, priore officio, beneficiove dimisso,* aut dignitate, quolibet cessationis modo, ergo secus, si prius retineat forsan compatibile, *aliud officium* vel « lato sensu » v. gr. consultoris dioecesani, vel « stricto sensu » v. gr. Superioris in religionibus clericalibus, *vel beneficium* « stricto

[1] 31 Dec. 1910, CO. III, 19.

sensu » etiam manuale, vel canonicatum, *aut dignitatem* in capitulis, *etiam eiusdem speciei* v. gr. dimisso Superioris officio in una domo, ad idem officium in alia nominetur, « qui ». ut declaratum est, quodlibet eorum *consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam huius canonis* in relativo numero. — Quandoque autem aptari poterit sequens Declaratio S. Congr.^s Const.^s [1] « I. Utrum qui, in praesenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusiurandum (praemissa fidei professione) praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia?... Ad I: sufficere unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei, qui ius habet aliud exigendi iuramentum ». Quae responsio ad omnes casus, in quibus eodem moraliter tempore urgeat professio fidei emittenda ob diversas causas extendenda est, quia iuxta omnes plura praecepta ecclesiastica circa idem, unico actu adimpleri possunt, ex. gr. sufficit unius Missae auditio pro festo de praecepto, quod in dominicam diem incidit. Et quando coram diversis personis emittenda esset fidei professio, haec circumstantia aequipollenter impletur per exhibitum testimonium.

Circa delegandum coram quo fiat professio fidei quaeri potest quibus debeat esse ornatus qualitatibus. In canone nulla designatur, quamvis decens sit, ut sit sacerdos sive saecularis cleri, sive religiosi, in aliqua dignitate vel officio constitutus iuxta declarationem S. Congr.^s Consist.^s [2], quin tamen sit necesse, ut delegatio fiat solum in casibus particularibus et data iusta causa, quae conditiones sunt alienae a tenore canonis.

E contra viget integre, utpote « a communi constantique sententia doctorum » non recedens, unde « norma sumenda est » (can. 20) de modo professionis fidei emittendae, Declaratio S. Congr.^s Consist.^s [3]: « IV. Utrum iuramenti formula (praemissa fidei professione) pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex eis recitetur;... ad IV sufficere ut, formula iuramenti (seu professionis fidei) ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur » idest: confirmetur. Cum respondeat S. Congr.: sufficere, alium modum non excludit, videlicet: quod ab omnibus simul re-

[1] 25 Oct. 1910, CO. II, 856. — [2] 25 Sept. 1910, ad VIII. CO. II, 856. — [3] 25 Oct. 1910, CO. II, 856.

citetur, unoquoque proprium nomen initio apponente, ac iusiurandum in fine singillatim adiungente.

298. **Conditiones pro adimplenda obligatione necessariae.** *Can. 1407. Obligationi* ad normam can. praec.[s] *fidei professionem emittendi,* utpote de actu omnino personali, *non satisfacit,* ita ut adhuc teneatur, *qui eam* a) *per procuratorem* etiam cum speciali mandato, ergo id ipsum concedere nequeunt Ordinarii, b) *vel coram laico,* cui proinde fieri nequit delegatio, *emittit.* Unde confirmatur quod diximus esse tantum decens, ut sacerdos delegetur, quia esset sufficiens ut delegetur clericus sive saecularis sive religiosus in quibuscumque casibus dicitur confessio fidei emittenda « vel coram eius delegato ».

299. **Consuetudo in contrarium.** *Can. 1408. Reprobatur quaelibet consuetudo* « sive vigens in praesens, licet sit immemorabilis », sive futura etiam « per annos quadraginta (et ultra) continuos et completos » servata, *contra canones huius tituli* duos, in singulis primi numeris, eorumque particularibus praescriptionibus. Illa enim « tanquam iuris corruptela corrigatur,... neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5), haec vero « non est rationabilis ».

300. **De sapientia huiusmodi statuti** catholicis sufficit auctoritas Ecclesiae, quae Spiritu Sancto regitur et de qua legitur dictum a Domino: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit » (Luc. X, 16). — Sed dicendum ss. canones « de fidei professione » sapiens statutum continere. Sapientis quidem est omnia ordinate peragere, ac disponere ut eorum, quae principaliora sunt ac fundamentum, firmitati ac custodiae magis provideatur. In Ecclesia vero catholica principium ac fundamentum est fides, ut patet in Petri confessione, et quia « sine fide impossibile est placere Deo » (Haebr. XI, 6), et « qui non crediderit, condemnabitur » (Marc. XVI, 16). Ecclesia ergo debuit fidei securitati ac stabilitati maxima cura prospicere.

Considerandum est autem triplicem personarum conditionem quoad hoc inveniri posse. Imprimis omnibus dicitur: « corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem » (ad Rom. X, 10). Quoties vero urgeat in vita hoc divinum praeceptum, non constat. Unde ab Ecclesia id fuit determinandum: in officio divino, quod nomine fidelium persolvitur, et in Missa, cui fideles intersunt.

Et frequenter iussit recitandum, ut radices figat tam necessaria virtus, secundum illud: « iustus autem ex fide vivit » (Rom. I, 17), atque ut Deo debitum mentis obsequium aliquantulum praestetur, Apostolo aiente: « et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi » (II ad Corinth. X, 5). [Nec sine ratione laudabili est quod Symbolum unum vel alterum adhibeatur, in quibusdam solum horis vel missis, submisse aut elata voce; sicut v. gr. videri potest apud D. Thomam] [1]. — Aliae personae sunt, qui Ecclesiam ingredi petunt per baptismi regenerationem. Quoad hos, memorans Ecclesia scriptum esse: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (Marci, XVI, 16) et (Haebr. XI, 6): « Accedentem ad Deum oportet credere », fidei professionem per symbolum Apostolorum exigit, antequam fidei sacramentum conferat. Cum vero quidam adulti erroribus antea decepti ad Ecclesiam convertuntur, eis praescribit determinatam formulam, qua non solum fidem profiteantur, sed adversus errores prius habitos directe insurgant, eos abiurando. Et quia semel fit ingressus, semel hac de causa fides profitetur. — Demum in S. Theologia demonstratur [2] quod « plura tenentur explicite credere maiores, qui habent officium alios instruendi, quam alii »; et magis roborata et illuminata fide indigent homines, qui non solum seipsos sed alios infirmiores in ea sustentare debent, quam simplices, quibus fides necessaria est, ut ipsi vivant per dilectionem operantes. Propterea ergo quicumque aliis praeponuntur scientia, ministerio aut pascendi officio, ad fidei formulam magis explicitam obligantur, et providens Ecclesia firmitati eorum in fide retinenda eos adigit pro subditorum bono ad promissionem dandam et iuramento fulcitam de ipsius fidei retentione ac de eiusdem in subditis custodia, ut novae obligationis vinculo ac religionis reverentia in recta via contineantur. Eo magis sunt probandae huius professionis conditiones, quod semel tantum in gradus officiive susceptione illa est facienda, dum haereses a maioribus in minores efficacius descenderent. Sic patet ss. canonum sapientia de professionis fidei instituto.

Nec dicatur iniuriosum profitenti fidem videri, ut ab eo exigatur iuramentum quod talem fidem mente retineat, ac si mendacium adeo perniciosum vellet proferre. — Nam Ecclesia non exigit praefatum

[1] II-II q. I a. 9 ad 6m et III q. LXXXIII a. 4 c. — [2] D. Th. II-II q. II a. 6.

iuramentum, velut dubitans de profitentis fide, quam prius humano modo perspectam habet, sed ut ostendat non satisfieri cultui Dei solum externo, sicut habebant illi de quibus scriptum est: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me » (Matth. XV, 8); et insuper ob rei gravitatem, quia « homo videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor » (I Reg. XVI, 7), exigit internae fidei probationem scilicet Dei testimonium, secundum illud: « ad confirmationem est iuramentum ». Nec ulla iniuria in hoc deprehendi potest, eo quod haec formula adhibetur pro capessendis gradibus et officiis, quae accipientibus necessaria non sunt: dispensans ergo ea, iure suo utitur in conditionibus apponendis.

301. **Iurisiurandi contra modernismum** formula edita est a Pio X s. m. in Motu proprio « Sacrorum Antistitum » [1], in quo « ad illud dandum, praeter fidei professionem » obligavit, non solum eos recensitos in canone 1406 sub num.s 5°. 7°. 8°. 9°. sed etiam quoscumque « III. Beneficiarios ante ineundam beneficii possessionem. IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus. V. Adlectos concionibus habendis per quadragesimae tempus. VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis. VII. Religiosarum familiarum Congregationumque... Doctores antequam ineant officium ».

[2] « Cum vero in Codice iuris Canonici, nulla fiat mentio *Consiliorum a vigilantia* et *Iuramenti antimodernistici*... propositum est dubium: An praescriptiones ad duo supra memorata capita spectantes,... in vigore manere pergant an non? — Emmi ac Rdmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales... expresse declarandum decreverunt: Praescriptiones praedictas (in const. « Pascendi Dominici gregis » et Motu-proprio « Sacrorum Antistitum » s. m. Pii PP. X) ob serpentes in praesenti modernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse ac transitorias, ideoque in Codicem Iuris Canonici referri non potuisse; aliunde tamen, cum virus Modernismi diffundi minime cessaverit, eas in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit ».

[1] 1 Sept. 1910. CO. II. 669. — [2] 22 Mart. 1918. CO. X, 136.

PARS QUINTA

De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus

TITULUS XXV.

De beneficiis ecclesiasticis.

CAN. 1409. - Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.

CAN. 1410. - Dotem beneficii constituunt sive bona quorum proprietas est penes ipsum ens iuridicum, sive certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis, sive certae et voluntariae fidelium oblationes, quae ad beneficii rectorem spectent, sive iura, ut dicitur, stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, sive chorales distributiones, exclusa tertia earundem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent.

CAN. 1411. - Beneficia ecclesiastica dicuntur:

1° *Consistorialia,* quae in Consistorio conferri solent; cetera *non consistorialia;*

2° *Saecularia* vel *religiosa,* prout ad solos clericos saeculares vel solos clericos religiosos spectant; omnia autem beneficia, erecta extra ecclesias vel domus religiosorum, in dubio saecularia esse praesumuntur.

3° *Duplicia* seu *residentialia,* vel *simplicia* seu *non residentialia,* prout, praeter officium beneficiale, adnexam habent, vel minus, obligationem residendi;

4° *Manualia, temporalia* seu *amovibilia,* vel *perpetua* seu *inamovibilia,* prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum;

5° *Curata* vel *non curata,* prout curam animarum adnexam habent vel non.

CAN. 1412. - Licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt:

1° Vicariae paroeciales non in perpetuum erectae;

2° Cappellaniae laicales, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica;

3° Coadiutoriae cum vel sine futura successione;

4° Pensiones personales;

5° Commenda temporaria, idest concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur.

CAN. 1413 – § 1. Nisi aliud appareat, canones qui sequuntur, de beneficiis tantum non consistorialibus proprie dictis intelligi debent.

§ 2. Canones 147-195 etiam officiis beneficialibus seu beneficiis applicantur.

302. **Inscriptio Partis quintae.** Iuxta divisionem huius Lib. III alias expositam, nunc *Pars Quinta* est explicanda, quae continet tractatum de personis quibusdam moralibus non collegialibus, nam plures ipsarum v. gr. ecclesiae, seminaria, in aliis partibus Libri huius locum alio sub respecto magis proprium sortitae sunt.

In hac parte agitur fere solum *de beneficiis ecclesiasticis,* quae statim definientur, et post haec dantur praescripta sex canonum, quae indicantur ab inscriptione sic prosequente *aliisque institutis ecclesiasticis,* quatenus existentiam obtinentibus ab Ecclesiae potestate, et *non collegialibus* per quae verba iuridica eorum natura statim a nobis cognoscitur.

Eadem Partis inscriptio dispescitur in duos Titulos qui complent illam, nempe *Titulus XXV. De beneficiis ecclesiasticis,* ac alter, qui erit *Titulus XXVI.*

303. **Canones praeambuli** tituli XXV sunt quinque, ita ut 1409 notionem beneficiorum tradat, cuius elementum temporale multiplex in can. 1410 evolvitur. Illorum divisiones exponuntur in can. 1411, ac per exclusionem similium institutorum in can. 1412 beneficii significatio canonica determinatur, dum animadversiones duas in toto hoc Titulo utiles can. 1413 memoratur.

304. **Beneficii ecclesiastici notionem** plenam et accuratam nobis offert *can. 1409. Beneficium* sic ex usu vocatum ac in iure quoque, additurque *ecclesiasticum,* quia historice constat et secundum huiusmodi originem idem vocabulum fuisse adhibitum ad designandas possessiones temporales, quas post bella distribuerunt reges suis benemeritis in exercitio armorum. Illud ergo *est ens iuridicum,* illud nempe quod a iure existentiam sortitum, seu a) *a competente* pro illorum diversitate *ecclesiastica auctoritate,* publica nempe, quae pro Ecclesiae fine aptius consequendo illis indiget. b) *in perpetuum,* ita ut successive a diversis possideri oporteat. c) *constitutum seu erectum* equidem « per formale decretum » ut « moralis personae rationem habeat », (can. 100, § 1), nam esse talem « non collegialem » patet ex canone 99. In eo formali decreto contineri debent designata in concreto, quae per ss. canones pro singulis beneficiis desiderantur, ac determinari, quae per illos nondum fuerunt determinata. — « Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta » [1], additur in canone, quod beneficium velut intrinsece est *constans* d *officio sacro* seu ecclesiastico, quod hic « accipitur stricto sensu » (can. 145, § 2), et est elementum, utpote spirituale, praecipuum, nam « propter illud beneficium ecclesiasticum datur » sicut ait Bonif. VIII [2].

[1] Conc. Trid. sess. XXI, cap. 3. — [2] Cap. 15 tit. III, Lib. I in 6°.

et « constans » uti ex elemento, quod temporalia respicit, *iure* subiectivo, proinde cum canonis fulcimento, *percipiendi* (quamvis illud impediatur) *reditus*, et « ad hoc clericis sunt ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeant » [1]. Vocantur autem in Decretalibus illi reditus « ecclesiastici », quia *ex dote* proveniunt *officio adnexos* per ecclesiasticam auctoritatem, et quae dotis bona sunt propterea sub Ecclesiae potestate.

305. **Diversae beneficiorum dotes** recensentur complete in *can. 1410. Dotem beneficii* ut originem huius redituum *constituunt* pro huiusmodi beneficiorum varietate a) *sive bona* temporalia intra Ecclesiam sita, *quorum* videlicet *proprietas* seu dominium *est penes ipsum ens iuridicum* in can. praec. declaratum, uti ipsius dominii subiectum, b) *sive certae*, quatenus aleae non sunt expositae etiam quoad earum quantitatem, *et debitae* propter aliquod praecedens factum iuridicum *praestationes* in adimplementum obligationis iustitiae *alicuius familiae* naturaliter consideratae, additur enim *vel personae moralis*, v. gr. communitatis cui pleno iure sit adnexa parochia; haec autem potest esse persona moralis iure canonico vel civili constituta, illa vero familia intelligenda est prout in suis descendentibus perseverat, quapropter non sufficerent praestationes quae a persona physica deberentur, si ad haeredes ipsius transire non deberet obligatio: c) *sive certae* eo quod experientia constat non deficere sub determinata quantitate, quamvis *et voluntariae* sint, nullo iure cogente, *fidelium oblationes*, *quae* semel ac dentur *ad beneficii rectorem* legitima saltem consuetudine *spectent*, « non enim beneficio carere debet dici (in utroque casu), cui competenter de perpetuis... proventibus est provisum » [2]. Idipsum urget si tales oblationes sint aliquo modo debitae, propter quod subditur: d) *sive iura*, eo quod « nemo militat suis stipendiis unquam », *ut dicitur, stolae* innuentis altaris et animarum servitium, *intra fines*, non enim exigi quidquam ultra potest, *taxationis dioecesanae* sive in Synodo sive extra Synodum, *vel legitimae consuetudinis*, ubi illa defuerit taxatio, nam [3] in Decretalibus praedicta omnia aequiparantur. « Sancitum est (enim) ut unicuique ecclesiae unus mansus integer, absque ullo servitio tribuatur. Et presbyteri in eis constituti,

[1] Cap. 10 tit. I « de vita et honestate clericorum », Lib. III. — [2] Cap. 27 tit. « De rescriptis » (I, 3) X. — [3] Cap. 1 « de censibus, exactionibus et procurationibus » (III, 39) X.

non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de areis, vel de hortis iuxta Ecclesiam positis, neque de praedicto manso aliquod servitium faciant praeter ecclesiasticum ».

Sub littera b) non est dubium comprehendi praestationes, quae a diversis Guberniis solvuntur annuatim personis ecclesiasticis iuxta Concordata vel alia ex obligatione, secundum seq. responsum S. Poenitentiariae 19 Ian. 1819: « A S. Poenitentiaria quaesitum fuit, an salaria, quae in Belgio solvuntur Pastoribus et canonicis, induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et adnexam habeant obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residendi sub poena non faciendi fructus suos. S. Poenitentiaria respondit iam alias a S. Sede rescriptum fuisse affirmative ».

Enimvero distinguuntur a canonistis ecclesiae numeratae, in quibus nempe singulis beneficiis sunt distincta bona coniuncta, unde illa ibidem in certo numero sunt constituta, et ecclesiae non numeratae, eo quod numerus beneficiorum pendet a bonis quae ecclesia in maiori vel minori copia possidet, ac quorum reditus inter illos distribuit pro eiusdem cultu peragendo. Has ecclesias respiciens canon, quem commentamur, sic explicit: e) *sive chorales distributiones*, sic dictae quia ob cultus divini exercitium dantur addictis psalmodiae publice recitandae, *exclusa tertia earumdem* pro singulis *parte*, quia haec amittitur iure a negligentibus assistentiam, *si omnes reditus* seu perceptiones ratione *beneficii choralibus distributionibus constent.* Quod si huiusmodi esset maior pars redituum, tunc aequitas suadet his beneficiis applicare normam praecedentem secundum parallelum § 2 in can. 421, scilicet: « tunc memorati (beneficiarii uti dotem) duas tantum tertias partes distributionum percipiant, cumulatas ex fructibus praebendae ac distributionibus »

306. **Divisiones beneficiorum** exhibet *can. 1411. Beneficia ecclesiastica* in can. 1409 definita *dicuntur* in iure atque ex usu canonistarum: — 1°. *Consistorialia*, *quae*, videlicet secundum eorum speciem, *in Consistorio* secreto post can. 231 explicato in Commentario Textus *conferri solent*, v. gr. Episcopatus, quaedam Abbatiae nullius, quamvis plura huiusmodi solummodo publicentur ibidem, quando prius per decretum S. Congr.ª Consistorialis iam fuerint provisa; *cetera non consistorialia*, etsi conferantur in Curia Romana v. gr. per Datariam, utpote S. Sedi reservata; — 2°. *Saecularia*

vel religiosa, ratione subiecti quod ea obtinet, *prout ad solos clericos saeculares* cum exclusione sequentium *vel solos clericos religiosos* exclusis iure praecedentibus *spectant*, ita ut ab alterutris tantum valide obtineantur. Utrum beneficium quodcumque sub alterutro membro contineatur ex eiusdem erectionis tenore esset eruendum, sed iuris praesumptio simpliciter subditur sic in canone: *omnia autem beneficia,* absque limitatione, *erecta* quoad locum ubi eorum exerceatur officium, *extra ecclesias* quoad illorum ministerium, *vel domus* formatas aut non formatas *religiosorum*, « qui nempe vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), circa cetera illorum munia, *in dubio* de natura uniuscuisque beneficii sub hac divisione, *saecularia esse praesumuntur*, « contra quam praesumptionem admittitur probatio tum directa tum indirecta » (can. 1826) ad dubium excludendum.

Sublata verborum distincta in theoria parvi momenti significatione, vult Codex ut indifferenter dicantur *3°*. *Duplicia* ob duplex munus *seu residentialia, vel simplicia* propter unicum recitandi breviarii munus vel ad summum celebrandi quasdam Missas, *seu non residentialia*, sumpta distinctione ex verbis posterioribus, *prout*, *praeter officium beneficiale*, quamvis uno vel pluribus muniis constet, *adnexam habent* illa, *vel minus* ista, *obligationem residendi* penes aliquam ecclesiam vel in aliquo territorio causa illius officii exequendi.

Dicitur in can. 1409 « beneficium ecclesiasticum esse *in perpetuum* erectum », et haec vocatur perpetuitas beneficii seu obiectiva huic essentialis, requirens ut deficiente uno eiusdem subiecto, alteri beneficium conferatur. Sed haec provisio fieri potest ad totam provisi vitam seu indefinite, vel secus, quae perpetuitas vocatur subiectiva, nec omnibus beneficiis iure competit, hinc distinctio eorum sub n.° *4°*. *Manualia*, veluti facile transitura in aliud subiectum, *temporaria*, non ad provisi vitam, *seu amovibilia,* quia eorum retentio pendet a rationabili Superioris ecclesiastici arbitrio, *vel* e contra *perpetua* ita ut vita durante provisus queat beneficio frui, *seu inamovibilia* ex sola Superioris competentis voluntate, *prout conferuntur* illa *revocabiliter* sub hac nempe saltem tacita conditione, *vel in perpetuum* ista; — *5°*. *Curata vel non curata* sic explicato vocabulo, prout illa *curam animarum* saltem in foro interno non sacramentali *adnexam habent* ut partem officii, *vel non* v. gr. canonicatus simplex.

307. **Limitationes verbi beneficii.** Quae diversis sub litteris distinximus in can. 1409 simul sumpta beneficium ecclesiasticum constituunt. Eapropter, ne in errorem quis incidat, monet *can. 1412. Licet aliquam* secundum diversas citati canonis clausulas *cum beneficiis* de quibus est hic Titulus *similitudinem praeseferant*, et hoc est motivum utilitatis quoad hunc canonem, *in iure tamen* Codicis, praesertim sub hoc Titulo, cui optime se conformarent usus canonistarum et Romanae Curiae documenta, *beneficii* simpliciter dicti ast ecclesiastici *nomine non veniunt: — 1°. Vicariae paroeciales* noscendae ex earum officiis sub Cap. X « de vicariis paroecialibus » in Tit. VIII, Lib. II, etsi tantum deficiat eis obiectiva perpetuitas, eo quod *non in perpetuum* fuerunt *erectae,* secundum illarum naturam vel ex erigentis voluntate. Hinc vicarius oeconomus, substitutus, adiutor, qua tales beneficium non habent. Vicarius « qui debet constitui ut actualem curam gerat animarum » ex can. 471, § 1, semper habet beneficium, vicarius vero cooperator, non semper, potest tamen qua talis beneficium possidere, propter quod praescribit can. 477, sub § 2 « si vicaria (huiusmodi) sit beneficialis »; — *2°. Cappellaniae* videlicet: cum onere sacri ministerii, sed *laicales, quae scilicet*, ut explicatur a canone secundum invectum vocis usum, *erectae non sunt a competente* quoad locum in quo exerceantur *auctoritate ecclesiastica* in materia beneficiali. Et hoc sufficeret ut a nomine beneficii sint exclusae, quamvis retributio sit ex bonis ecclesiasticis et a rectore ecclesiae constituta; — *3°. Coadiutoriae*, seu intuitu iuvandi Episcopos vel alios beneficiarios, non parochos, constitutae, *cum* futura successione, quando haec nondum evenit, vel *sine futura successione*, desit namque ipsis proprium officium beneficio essentiale; — *4°. Pensiones*, quamvis tributae ratione muneris ecclesiastici atque ex bonis Ecclesiae, seu beneficii, dummodo sint *personales*, videlicet: quae non gravant in perpetuum Ecclesiam seu beneficium, sed extinguitur onus illud cum morte personae; — *5°.* Propter perpetuitatis saltem defectum, *Commenda temporaria*, praescindendo utrum haec secumferat participationem potestatis ordinis aut iurisdictionis, proinde subditur declaratio: *idest concessio* legitima *redituum alicuius ecclesiae, aut monasterii* (prout ex historia scimus fuisse medio aevo frequentes illas concessiones) *alicui facta*, ut plurimum personae in dignitate constitutae, *ita ut, eo deficiente* qua subiecto, *reditus ipsi*

ad ecclesiam vel monasterium, cuius utilitati erant destinati, *revertantur.*

308. **Restrictio eiusdem vocis** traditur in *can. 1413*, sed in § *1* sub distinctione: *Nisi aliud* certo *appareat* ex contextu, *canones qui sequuntur*, nempe sub hoc Titulo vel posterius cum relatione ad ipsum, *de beneficiis tantum* a) *non consistorialibus* declaratis in can. 1411, 1°, b) *proprie dictis*, proindeque exclusis quae sub can. 1412 recensentur, *intelligi debent.* De consistorialibus nempe agitur in libro II Codicis, quia utpote maiora non veniunt communi nomine beneficii ex canonistarum quoque sententia; secunda vero exclusio requirebatur ex can. 18, quia « leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem ».

Propter utilitatem practicam memoratur legislator sub § *2. Canones 147-195*, seu omnia praescripta « de officiis ecclesiasticis », *etiam officiis* (ut patet, sed) *beneficialibus seu* quod idem est *beneficiis applicantur*, ne quis stulte dubium moveret.

309. **Distributio Tituli in Capita.** Quia beneficium ecclesiasticum est « ens iuridicum » origine sua, et constat officio ecclesiastico singulariter dicto cum dotis eiusdem coniunctione, haec omnia in singulis beneficiis determinare ad auctoritatem ecclesiasticam pertinet, quae huiusmodi normas tradit in *Cap. I. De constitutione seu erectione beneficiorum.* Haec vero primaeva constitutio mutationes varias subire potest progressu temporis ob vicissitudines hominum, et illis providet legislator per canones sub *Cap. II. De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum.* Iura et obligationes in beneficii natura invenire licet, quae nisi a persona physica exerceri nequeunt, propter quod agit *Cap. III. De beneficiorum collatione,* ut quis legitime praelatum exercitium obtineat, in qua collatione nonnumquam alii praeter Praelatum ex iure obtinuerunt interventum, quod respicit primario *Cap. IV. De iure patronatus.* Statim necesse fuit cognoscere *Cap. V. De iuribus et obligationibus beneficiariorum*, ne ex ignorantia hi peccent; sed quia multipliciter beneficium derelinquere possunt, ut hoc recte fiat, non defuit legislator adiungens *Cap. VI. De dimissione et permutatione beneficiorum.*

CAPUT I.

De constitutione seu erectione beneficiorum.

Can. 1414. – § 1. Beneficia consistorialia una Sedes Apostolica erigit.

§ 2. Praeter Romanum Pontificem, Ordinarii in suo quisque territorio beneficia non consistorialia erigere possunt, salvo praescripto can. 394, § 2.

§ 3. Attamen Vicarii Generales nequeunt beneficia erigere nisi ex peculiari mandato.

§ 4. Etiam Cardinalis in proprio titulo vel diaconia potest beneficia non curata erigere, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae.

Can. 1415. - § 1. Beneficia ne erigantur, nisi constet ea stabilem et congruam dotem habere, ex qua reditus perpetuo percipiantur ad normam can. 1410.

§ 2. Si dos in numerata pecunia constituatur, Ordinarius, audito dioecesano administrationis Consilio de quo in can. 1520, curare debet ut quamprimum collocetur in tutis et frugiferis undis vel nominibus.

§ 3. Non prohibetur tamen, ubi congrua dos constitui nequeat, paroecias aut quasi-paroecias erigere, si prudenter praevideat ea quae necessaria sunt aliunde non defutura.

Can. 1416. - Ante erectionem beneficii vocentur et audiantur, si qui sint, ii quorum interest.

Can. 1417. – In limine fundationis fundator potest, de consensu Ordinarii, conditiones etiam iuri communi contrarias apponere, dummodo sint honestae et naturae beneficii ne repugnent.

§ 2. Conditiones semel admissae supprimi aut immutari ab Ordinario loci valide nequeunt, nisi agatur de mutationibus Ecclesiae favorabilibus et accedat consensus ipsius fundatoris, vel, si agatur de iure patronatus, patroni.

Can. 1418. - Erectio beneficiorum fiat per legitimum instrumentum, in quo definiatur locus ubi beneficium erectum est, et describantur dos beneficii ac iura et onera beneficiarii.

310. **Inscriptio Capitis ordoque canonum.** Quia beneficium ex pluribus conflatur elementis, *Caput I* recte inscribitur *De constitutione*, sed cum illa ei dentur iure solum ecclesiastico, additur *seu erectione beneficiorum* quorumlibet, ut patebit ex canonibus eius, qui sic coordinantur. Competens auctoritas ecclesiastica plene designatur in can. 1414, conditionem praeviam omnium beneficiorum constitutioni praescribit can. 1415, subsequente can. 1416, qui edicit formalitatem pro aliqua erectione necessariam. Quid fundator beneficii exsistens iure possit, edicitur in can. 1417, dum can. 1418 ipsum erectionis actum moderatur.

311. **Legitimus erector uniuscuiuslibet beneficii** edicitur in *can. 1414*. Sic ait Bened. XIV in const. « Iniuncta Nobis » [1]: « De Aplcae. potestatis nostrae plenitudine, qua Nobis datum est, iustis concurrentibus causis, Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales et Episcopales erigere, transferre, supprimere, et extinguere,

[1] 6 Iul. 1751, § 9.

earumque Dioeceses dividere ac separare, prout in Domino expedire noverimus ». Hoc principium quoad partem huc attinentem sic ampliatur in § 1. *Beneficia consistorialia* sic dicta propter eorum collationem (can. 1411, 1°) *una*, cum alterius potestatis civilis ac ecclesiasticae exclusione, *Sedes Apostolica* scilicet: per S. Congr. Consistorialem et Cancellariae Bullam *erigit*, determinans illorum elementa in praefato documento.

De ceteris providet § 2 sic incipiens: *Praeter Romanum Pontificem*, qui propter supremam et immediatam potestatem in singulas dioeceses potest idem, *Ordinarii* locorum singuli sub can. 198 § 1 recensiti, sed *in suo quisque territorio*, seu quod limitat suam iurisdictionem, *beneficia* quaelibet, etiam in ecclesia cathedrali, *non consistorialia* e § 1° exclusa, *erigere possunt*, quin ad hoc sint generaliter obligati, et *salvo praescripto can. 394, § 2,* scilicet: « erectio dignitatum (in Capitulis) Sedi Apostolicae reservatur », nisi agatur de extinctarum forsitan restitutione.

Propter can. 198 cit. necesse fuit addere iuxta legislatoris voluntatem § 3. *Attamen*, quamvis Ordinarii sunt, *Vicarii generales nequeunt* ob potestatis defectum ac proinde quoad validitatem *beneficia* etiam simplicia, quae tamen sint vera iuxta can. 1409, *erigere* per formalem actum *nisi ex peculiari* seu ad hoc *mandato*.

E contra de personis, quae non sunt Ordinarii, additur in § 4. *Etiam Cardinalis* presbyter vel diaconus, prius non comprehensus sub canone, quatenus subditur *in proprio titulo*, seu ecclesia illi assignata in Urbe, *vel diaconia* pro isto, *potest beneficia* etiam canonicalia, dummodo *non curata erigere* per formale decretum, cum subiecta limitatione: *nisi ecclesia*, modo praedicto propria, *sit religionis clericalis exemptae*, etiam Congregationis religiosae, nempe: huius domui adiuncta.

312. **Dos necessaria in beneficii erectione.** Innoc. III in cap. 26 « de praebendis et dignitatibus » (III, 5) invocat iuris principium: « ac tot sint utriusque (praebendae) proventus, quod per utramque sit utrique (beneficiario) provisum in beneficio competenti ». Hoc undequaque determinatur in *can. 1415.* Et prius loquitur in genere § 1. *Beneficia* equidem ad normam can. 1409, sed quaecumque *ne erigantur*, et cum supponatur de beneficii natura esse dotem, qua deficiente non valeret erectio, ad liceitatem quoque exigitur: *nisi constet* ex sufficientibus motivis extraiudi-

cialiter cognitis *ea* « beneficia » erigenda *stabilem*, ut in perpetuum stet erectio, *et congruam* respectu officii adimplendi *dotem* ad normam can. 1410 constituendam *habere*, ita ut in erectione ipsi beneficio adiudicari possit, *ex qua* uti ex iuridico fonte *reditus* sufficientes beneficiario *perpetuo* pro beneficii natura *percipiantur* ob ius possessionis. Explicit §us innuens dotis huiusmodi diversitatem iam declaratam, dum ait: *ad normam can. 1410*.

Cum « dotem beneficii constituant bona » (can. 1410), sub quorum nomine certo venit, nostris praesertim temporibus, pecunia ob huius interesse, cavet § 2. *Si dos in numerata pecunia*, prout haec a syngraphis obligationum distinguitur, *constituatur* in erectione, *Ordinarius* erigens, *audito* « ad valide agendum » (can. 105, 1°) *dioecesano administrationis Consilio de quo* lex et explicatio invenientur *in can. 1520, curare debet*, seu eidem incumbit obligatio huius §i, *ut quam primum* pro huius praescripti natura, non solum intra tres dies, *collocetur*, tanquam subsequentium pretium *in tutis* pro dotis stabilitate *et frugiferis* quoad redituum perceptionem *fundis* v. gr. agris, domibus, etc. idest: bonis vere immobilibus *vel nominibus* scilicet: syngraphis pro posse cum beneficii denominatione.

Quia beneficia curata sunt constituenda praesertim ob animarum bonum, quod praevalet ecclesiasticis praescriptis, animadvertit circa praec. §um legislator in § *3. Non prohibetur tamen*, seu sub illo §o non comprehenditur, *ubi congrua dos* illa supradicta *constitui nequeat*, secus enim praescriptum illud servandum esset, *paroecias aut quasi-paroecias*, quarum mutuam distinctionem exhibet can. 216, § 3, *erigere*, et quas supponit canon esse semper beneficia, *si prudenter* idest: cum ratione in circumstantiis fundata *praevideat* humano modo illas erigens, *ea quae necessaria sunt* ad sufficientes ac perpetuos reditus *aliunde non defutura* v. gr. ex iuribus stolae vel fidelium largitate, etc. « et, si necesse fuerit, (eo quod Episcopus) compellere possit (pro rei natura) populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam sacerdotum (animarum curam gerentium) sustentandam », uti ait Conc. Trid. [1].

313. **Conditio erectioni praevia** statuitur in *can. 1416*. Huius praescripti accuratum adimplementum exposcit erectionis

[1] Sess. XXI, cap. 4.

futura tranquillitas, nam huic canoni suffulti possent ob contemptum erectionem factam impugnare. Igitur *ante erectionem* formalem *beneficii* stricto sensu (can. 1409), *vocentur*, vel personaliter, si cogniti, vel saltem per edictum, *et audiantur* « ad valide agendum » (can. 105, 1°), *si qui sint*, tum ex consequenti damno, quod ab Ordinario praevideri queat, tum pro beneficiorum diversitate iuxta diversos canones, *ii quorum interest.*, v. gr. parochus pro cuius territorio novum erigitur beneficium, forsan ecclesiae patronus, etc.

314. **Conditiones ab homine in erectione superadditae.** In beneficiorum erectione intervenire potest vera fundatio iuxta can.s 1544 notionem. Quia igitur ibi dictum est in § 2, « fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici: *do ut facias* », atque in omni contractu a partibus prodeunt conditiones deinde servandae, hoc fieri posse in praefata erectione congruens iuri praecedenti statuit *can. 1417. § 1. In limine fundationis*, quando nempe donantur bona, quae « dotem beneficii constituant » erigendi (can. 1410), dans illa seu *fundator potest*, sive ipse sit Ordinarius, sive alius, sed tunc *de consensu Ordinarii*, qui repraesentat alteram partem in contractu, seu Ecclesiam, *conditiones* quaslibet pro natura pacti, *etiam iuri communi* non solum superadditas ut planum est, sed *contrarias* quoque ob iuris concessionem, secus « contra ius commune pacta privatorum praevalere nequeunt », *apponere* verbis expressis, non enim praesumuntur illae. Sed duae limitationes hic adduntur, ceteroquin contractui praedicto inhaerentes: *dummodo* a) *sint honestae* illae conditiones, idest: conformes legi divinae atque iuri canonico cuius contrariae consuetudines reprobentur, *et naturae beneficii* ad normam can. 1410 et aliorum de singulis beneficiis, ad quod ordinatur contractus, *ne repugnent*, illam proinde non inficientes.

Conc. Trid. sic decrevit [1]: « Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur ». Hoc autem est ita intelligendum secundum S. Congr. Conc. declarationes, ut valeat

[1] Sess. XXV, cap. 5.

quoque de conditionibus Ecclesiae favorabilibus, sed quando in fundatione non fuit collata loci Ordinario talis facultas. Hac enim posita, iustum manet quidquid in futurum secundum fundationis contractum ob resolutivam clausulam fieret.

Hoc praesupposito ac etiam nunc vim habente, statuit §. 2. *Conditiones* illae de quibus in § 1° *semel admissae* absolute in limine fundationis per beneficii erectionem completae, *supprimi* singulae, *aut immutari* quomodolibet *ab Ordinario loci*, secus dicendum de Sede Apostolica ob argumentum a sensu contrario, *valide nequeunt*, seu etiam ab ipso erigente beneficium illiusque successoribus servandae sunt vi huius canonis, *nisi agatur* a) *de mutationibus*, etiam per partialem suppressionem illarum conditionum, *Ecclesiae favorabilibus* post mutationem, *et* b) *accedat* disiunctive *consensus* a) *ipsius fundatoris* adhuc viventis, ne ipsius voluntas pacto acceptata fraudetur, quapropter eo demortuo, nec consentiente alias in limine fundationis, ut dictum est supra, omnino nequeunt illae fieri mutationes per loci Ordinarium, *vel*, b) excepto casu, *si agatur de iure patronatus* quod ex illo fundatore proveniat, « accedat consensus » *patroni*. Alteriusutrius ergo consensus exigitur, ita ut Ordinarius loci « contra huiusmodi votum invalide agat » (can. 105, 1°).

315. **Actus erectionis** sic describitur in *can. 1418*. *Erectio beneficiorum* sub inscriptione Tituli explicata, cum beneficia sint « personae morales non collegiales », ut patet ex can. 99, et « moralis personae rationem (non) sortiantur ex ipso iuris praescripto (sed) ex speciali concessione data per formale decretum » (can. 100, § 1), *fiat* idipsum *per legitimum* seu « authentica forma exaratum » (can. 1813, § 1, 1°) *instrumentum*, cuius elementa sic describuntur: *in quo definiatur* sic, ut excludatur probabile dubium, a) *locus* seu ecclesia forsitan cum territorio *ubi beneficium* veluti fixe secundum canones situm seu ab initio *erectum est*, *et describantur* singulatim et cum circúmstantiis b) *dos beneficii*, una ex illis designatis sub can. 1410 vel cumulata ex diversis, *ac* c) *iura* omnia saltem per clausulam certam d) *et onera* omnia, ea etiam quae fundator apponere voluerit, *beneficiarii*, seu a beneficii possessore haec adimplenda, illa exercenda.

CAPUT II.

De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum.

CAN. 1419. - Unio beneficiorum est:

1° *Exstinctiva,* cum aut ex suppressis duobus vel pluribus beneficiis novum atque unicum beneficium efficitur, aut unum vel plura ita alii uniuntur ut esse desinant;

2° *Aeque principalis,* cum unita beneficia ramanent prout sunt, neque alterum alteri subiicitur;

3° *Minus principalis*, seu per *subiectionem* vel *accessionem*, cum beneficia remanent, sed unum aut plura alii tanquam accessorium principali subiiciuntur.

CAN. 1420. - § 1. In unione exstinctiva, beneficio quod emergit aut remanet, omnia iura et onera exstinctorum competunt, et, si inter se componi nequeant, meliora ac favorabiliora.

§ 2. In aeque principali, quodlibet beneficium conservat suam naturam, iura et onera, sed, vi peractae unionis, uni eidemque clerico unitorum beneficiorum tituli conferri debent.

§ 3. In minus principali, beneficium accessorium sequitur principale, ita ut clericus, qui principale obtinet, eo ipso et accessorium consequatur atque utriusque onera implere debeat.

CAN. 1421. - *Translatio* beneficii habetur cum beneficii sedes de alio in alium locum deducitur; *divisio*, cum ex uno duo vel plura beneficia fiunt; *dismembratio,* cum pars territorii aut bonorum alicuius beneficii ex eodem detrahitur et alii beneficio vel causae piae aut ecclesiastico instituto assignatur; *conversio,* cum beneficium in aliam speciem mutatur; *suppressio,* cum prorsus exstinguitur.

CAN. 1422. - Unio exstinctiva beneficiorum, eorum suppressio, aut dismembratio quae detractis bonis beneficialibus fiat quin novum erigatur beneficium; unio aeque aut minus principalis beneficii religiosi cum saeculari et contra, itemque beneficii religiosi translatio, divisio et dismembratio quaelibet uni Sedi Apostolicae reservantur.

CAN. 1423 - § 1. Ordinarii locorum, non autem Vicarius Capitularis, nec Vicarius Generalis sine mandato speciali, possunt, ob Ecclesiae necessitatem vel magnam et evidentem utilitatem, aeque aut minus principaliter unire quaslibet paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato, ita tamen ut, altero in casu, si unio fiat minus principalis, beneficium non curatum sit accessorium.

§ 2. Nequeunt vero paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali, neque cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae; sed possunt eam cum ecclesia cathedrali aut collegiali, quae in territorio paroeciae sita sit, ita unire ut reditus paroeciae cedant in commodum ipsius ecclesiae, relicta parocho vel vicario congrua portione.

§ 3. Unio beneficiorum a locorum Ordinariis fieri non potest, nisi in perpetuum.

CAN. 1424. - Ordinarii nunquam possunt beneficia quaevis unire sive curata sive non curata, cum detrimento eorum qui eadem actu obtinent, ipsis invitis; neque beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis sine patronorum consensu; neque beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis, etiamsi ambae dioeceses aeque principaliter unitae ab uno Episcopo regantur; neque beneficia exempta vel Sedi Apostolicae reservata cum aliis quibuslibet.

CAN. 1425. - § 1. Si a Sede Apostolica paroecia domui religiosae uniatur *ad temporalia tantum* quod attinet, domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae, et Superior religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum, assignata congrua portione, Ordinario loci praesentare debet.

§ 2. Sin autem *pleno iure*, paroecia

fit religiosa, et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis rebus quae ad curam animarum pertinent, ad normam can. 631.

Can. 1426. - Propter canonicas causas de quibus in can. 1423, § 1, Ordinarii possunt quoque beneficii saecularis paroecialis sedem de alio in alium eiusdem paroeciae locum transferre; alia autem beneficia, tunc solum cum ecclesia, in qua fundata erant, collapsa sit et restaurari nequeat, possunt in matrices vel alias ecclesias locorum eorundem seu vicinorum, erectis, si fieri possit, altaribus vel sacellis sub iisdem invocationibus, transferre cum omnibus emolumentis et oneribus priori ecclesiae adiunctis.

Can. 1427. - § 1. Possunt etiam Ordinarii ex iusta et canonica causa paroecias quaslibet, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, dividere, vicariam perpetuam vel novam paroeciam erigentes, aut earum territorium dismembrare.

§ 2. Causa canonica ut divisio aut dismembratio paroeciae fieri possit, ea tantum est, si aut magna sit difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem, aut nimia sit paroecianorum multitudo, quorum bono spirituali subveniri nequeat ad normam can. 476, § 1.

§ 3. Paroeciam dividens, Ordinarius debet vicariae perpetuae aut paroeciae noviter erectae congruam portionem assignare, servato praescripto can. 1500; quae, nisi aliunde haberi queat, desumi debet ex reditibus ad ecclesiam matricem quoquo modo pertinentibus, dummodo sufficientes reditus eidem matrici ecclesiae remaneant.

§ 4. Si vicaria perpetua aut nova paroecia dotetur ex reditibus ecclesiae a qua dividitur, debet matrici honorem deferre modo et finibus ab Ordinario praestituendis; qui tamen vetatur baptismalem fontem matrici ipsi reservare.

§ 5. Divisa paroecia quae ad aliquam religionem iure spectat, vicaria perpetua aut paroecia noviter erecta non est religiosa; pariter divisa paroecia iuris patronatus, nova paroecia est liberae collationis.

Can. 1428. - § 1. Locorum Ordi-

Caput II. De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum —	— diversa —	— definitiones		Can. 1419
		— effectus iuridici		» 1420
	— singulis —	— notiones		» 1421
		— Sedi Apostolicae reservatis		» 1422
	— circa uniones —	— Ordinariis locorum —	— relictas cum limitationibus	» 1423
			— vetitas	» 1424
		— quasdam a Sede Aplca. factas		» 1425
	— iuris Ordinariorum —	— cum limitatione —	— quoad translationes	» 1426
			— circa divisiones ac dismembrationes	» 1427
		— cum formalitatibus servandis		» 1428
	— quoad diversas pensiones imponendas			» 1429
	— circa conversiones Ordinariis denegatas vel concessas			» 1430

narii uniones, translationes, divisiones, dismembrationes beneficiorum ne faciant nisi per authenticam scripturam, auditis Capitulo cathedrali et iis, si qui sint, quorum intersit, praesertim rectoribus ecclesiarum.

§ 2. Unio, translatio, divisio, dismembratio facta sine canonica causa irrita est.

§ 3. Adversus decretum Ordinarii unientis, transferentis, dividentis aut dismembrantis beneficia, datur in devolutivo tantum recursus ad Sanctam Sedem.

Can. 1429. - § 1. Beneficiis quibuslibet nequeunt Ordinarii locorum pensiones perpetuas aut temporarias imponere quae ad vitam pensionarii durent, sed possunt, dum beneficium conferunt, ex iusta causa in ipso collationis actu exprimenda, eisdem imponere pensiones temporarias, quae durent ad vitam beneficiarii, salva huic congrua portione.

§ 2. Beneficiis autem paroecialibus non possunt, nisi in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis, imponere pensiones, quae tamen ne excedant tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus.

§ 3. Pensiones beneficiis sive a Romano Pontifice sive ab aliis collatoribus impositae, cessant morte pensionarii, qui tamen nequit eas alienare, nisi id expresse concessum sit.

Can. 1430. – § 1. Beneficia curata ab Ordinariis in non curata converti nequeunt, nec beneficia religiosa in saecularia, nec saecularia in religiosa.

§ 2. E contrario possunt beneficia simplicia ab Ordinariis locorum in curata converti, dummodo ne obstent conditiones a fundatore expressae.

316. **Capitis inscriptio.** Beneficia semel erecta, eo quod sunt entia iuridica, idest cum a ss. canonibus pendeant in eorum existentia, possunt mutationes plures subire. Et primo quidem quando duo saltem beneficia in mutationem concurrunt agitur *De unione*, dum beneficium autem in se immutatum permanet, agitur de *translatione*, si autem in seipso unico mutationes locum habent, vel diminutionem patitur, prout accidit sub *divisione* ac *dismembratione*, vel quoad naturam specificam variatur, ut contingit in *conversione*, vel demum per ipsius interitum desinit, et hoc fit *suppressione beneficiorum.*

317. **Ordo canonum** respondet inscriptioni. Et sic multiplex beneficiorum unio describitur in can. 1419, queis effectus diversi attribuuntur in can. 1420. Ceterae mutationes explicantur in can. 1421, et quaenam Sedi Aplcae. sint reservatae per can. 1422 discitur. In sequentibus canonibus Ordinariorum ius circa singulas mutationes traditur, et quoad uniones positive in can. 1423, per prohibitiones in can. 1424 restrictum. Incidenter subiectus est can. 1425 de effectibus quarumdam unionum per Aplcam. Sedem factarum, ut ad translationes et divisiones cum dismembrationibus fiat transitus quoad Ordinariorum ius idque in duobus canonibus (1426, 1427), quibus ut complementum praecedentium quoque additur can. 1428 de servandis per Ordinarios solemnitatibus. Pensiones

autem dismembrationibus affines, sicut et conversiones beneficiorum moderatae sunt in postremis can. 1429, 1430.

318. **Distinctio unionis beneficiorum ac uniuscuiusque notio** datur in *can. 1419. Unio beneficiorum* declarata in Tituli inscriptione *est* triplex, nempe:

1.° Exstinctiva, sic vocata proprie ab Auctoribus, et nunc iure, ac est *cum* a) *aut ex suppressis* legitime quoad iuris exsistentiam, seu ut entia iuridica, *duobus* saltem *vel pluribus beneficiis* stricto sensu dictis *novum* eodem actu ecclesiastici Superioris et propter elementorum complexum *atque unicum*, quia singularis unio definitur, *beneficium* ad normam cap. I *efficitur*, b) *aut unum* praeexistens beneficium proprie dictum *vel plura* huiusmodi *ita alii* beneficio praeexistenti *uniuntur* quoad dotem, iura et officia, *ut esse desinant* illa quoad personalitatem propriam;

2.° Aeque principalis iuxta Doctorum denominationem nunc canonicam, *cum unita beneficia* praesupposita unioni *remanent* in omnibus *prout sunt* ex eorum erectione, *neque alterum* ex unitis *alteri subiicitur*, quatenus aliquid detrimenti ut persona sustineat;

3.° Minus principalis, *seu per subiectionem vel accessionem*, verba quae praecedenti sub n.° 2° denominationi opponuntur, *cum beneficia* post unionem *remanent* ut entia iuridica, *sed unum aut plura alii* beneficio, cui uniuntur, *tamquam accessorium principali subiiciuntur*, et hinc illorum personalitas minus attenditur in provisione ipsorum, et quandoque damnum sustinere cogitur.

319. **Praecedentium unionum canonici effectus** referuntur iuxta eorum ordinem in *can. 1420. § 1. In unione exstinctiva* pro duplici eiusdem hypothesi, *beneficio* « novo atque unico » *quod* a) *emergit* « ex duobus vel pluribus » *aut* b) *remanet*, desinentibus quae illi uniuntur, *omnia iura* erga dotem et officii *et* huius *onera* forsan superaddita tum in limine fundationis tum alias legitime *exstinctorum* pro unionis huius natura *competunt*, ex quibus elementis natura novi conflatur, *et, si inter se* post unionem *componi nequeant*, quatenus per eumdem beneficiarium exercenda, *meliora* in seipsis ratione spirituali vel temporali pro elementorum natura *ac favorabiliora* beneficiario. Proinde si dubium exurgere possit, Superioris unientis est illud exsolvere in unionis instrumento.

§ 2. *In aeque principali* unione, pro eiusdem notione *quodlibet* ex unitis *beneficium conservat suam naturam* ad normam

can. 1411 et aliorum, *iura et onera* tam spiritualia quam temporalia, *sed*, *vi peractae unionis*, uti effectus proprius, *uni* veluti unicum beneficium *eidemque* ob duo vel plura unita *clerico unitorum beneficiorum tituli* diversi, quibus illa propria fiunt, *conferri debent* equidem eodem actu.

§ 3. *In minus principali* unione per can. 1419, 3° definita, efficitur quod *beneficium* distinctum manens sed *accessorium sequitur principale, ita* applicata reg. 42 iuris in 6°, *ut clericus, qui* principale ob unionem *obtinet* per eiusdem collationem, *eo ipso*, quin opus sit exprimere hoc, a) *et accessorium* simul *consequatur* canonice quoad omnia iura, *atque utriusque* idest: principalis et accessorii *onera* ex eorum erectione orta *implere* per se vel per alium *debeat*, uti beneficiarius.

320. **Ceterarum mutationum beneficii notiones** propriae dantur *can. 1421.* Cum in erectionis documento « definiatur (oporteat) locus ubi beneficium erectum est » (can. 1418), *Translatio beneficii* proprie dicti *habetur cum beneficii sedes* ex instrumento erectionis obtenta *de alio* ubi est *in alium* diversum *locum* seu ecclesiam *deducitur* iure ab auctoritate competenti; — *divisio* « beneficii » est, *cum ex uno* idest: ex eius omnibus elementis *duo vel plura* a tot clericis obtinenda *beneficia* stricto sensu dicta *fiunt* secundum ss. canones; — *dismembratio* habet locum in beneficiis parochialibus, episcopalibus, etc. *cum pars territorii* erga cuius incolas vel advenas potestas exercetur, *aut* in quibuslibet beneficiis « pars » *bonorum* quae dotem constituunt *alicuius* ex praedictis *beneficii ex eodem* legitime *detrahitur et alii beneficio* uti eius elementum partiale *vel causae piae* sic dictae propter eius scopum religionis vel charitatis *aut ecclesiastico instituto*, fortassis personae morali non collegiali, *assignatur*, v. gr. pro eiusdem necessitatibus subveniendis, equidem in perpetuum; — *conversio cum beneficium* aliquod distinctum in can. 1411 *in aliam speciem* v. gr. non curatum in curatum *mutatur* servatis servandis; *suppressio* demum est proprie, *cum* beneficium *prorsus extinguitur* per auctoritatis ecclesiasticae actum.

In commentario adiunximus verba, quae tales actus undequaque determinant, videlicet ex parte agentis ac circumstantiarum ex iure, sed non indigitant canonis defectum, eo quod huius intentio

est actum solummodo exponere, quin attingat alia per sequentes canones moderanda.

321. **Beneficiorum mutationes Sedi Aplcae. reservatas** recenset *can. 1422.* Honorius III in cap. 12 « de constitutionibus » (I, 2) contra numeri praebendarum restrictionem statuens, ait: « Nolentes igitur divini numinis minui cultum, sed potius augmentari ». Haec ratio urget in beneficiorum conservatione propter eorum officium, propter quod sic incipit aeque canon. *Unio* a) *exstinctiva beneficiorum*, quam noscimus ex can. 1419, 1°, et cui est similis in effectu b) *eorum suppressio* definita in can. praec. simul ac sequens c) *aut dismembratio*, non quaelibet, sed solum *quae detractis bonis beneficialibus* aliquibus *fiat quin novum erigatur* cum eis *beneficium*, unde ea cuius notio data est in can. 1421, quo in casu gravior esset violatio illius rubricae (III, 12) : « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur ». His adduntur quaedam mutationes in quibus laeditur ius quaesitum aliqualiter ab alterutro clero, vel a familia religiosa fortassis exempta. Subditur igitur *unio* d) *aeque* e) *aut minus principalis*, et ex consequenti ad can.[s] initium omnes uniones ad normam can. 1419, dummodo sint *beneficii religiosi cum saeculari*, quorum distinctio est tradita in can. 1411, 2°, additurque: *et contra*, ut innuatur valere praescriptum, etiamsi alterutrum beneficium maneat principale in unione, *itemque* ex supradicta causa *beneficii* tantum *religiosi* f) *translatio* solummodo, quae minima est mutatio, g) *divisio et* h) *dismembratio quaelibet*, tum antea in canone hoc expressa, tum alia: mutationes igitur octo hucusque recensitae *uni Sedi Apostolicae* ad normam can. 7 *reservantur*. Verbum « uni » exclusivum, hoc in loco non vane positum, tantam vim habet, ut cuiuslibet praedictae mutationis positum a quolibet alio Superiore « actum esse nullum aequivalenter statuatur » (can. 11), etiamsi ille dicatur ac sit Legatus a latere. Atque id confirmatur ex contextu sequentium canonum.

322. **Uniones beneficiorum non reservatae** aut explicite dicuntur aut implicite permittuntur in *can. 1423. § 1. Ordinarii locorum* ad normam can. 198, § 2, quapropter nectitur limitatio: *non autem Vicarius Capitularis* equidem absolute, ut congruat can.[i] 436 « Sede vacante nihil innovetur », *nec Vicarius Generalis* sub conditione *sine mandato speciali*, quod explicavimus ad can.

368, § 1; illi ergo *possunt* valide, atque *ob Ecclesiae,* scilicet dioecesis vel quasi-dioecesis saltem in aliqua parte a) *necessitatem* ob bonum animarum b) *vel magnam* equidem *et evidentem* seu certam *utilitatem* pro animabus, ac tunc licite « possunt » a) *aeque aut* b) *minus principaliter* idest: ad normam can. 1419, 2°, 3°, *unire quaslibet* sive saeculares sive religiosas *paroeciales ecclesias* seu beneficia curata a) *inter se* ut ab uno parocho regantur, b) *aut cum beneficio non curato, ita tamen* ut in alterutro casu non agant adversus canonem 1422, et *altero in casu* videlicet sub littera b), *si unio fiat minus principalis*, quando nempe « beneficium accessorium sequitur principale » (can. 1420 § 3), *beneficium non curatum* in tali unione *sit accessorium*, ita ut obtinens ea debeat possidere omnes parochi qualitates.

Hoc multiplex praescriptum a iure Codicem praecedenti non differt. Sic enim legitur in cap. 8 « de excessibus praelatorum et subditorum » (V. 31): « Sicut unire episcopatus atque potestati subiicere alienae, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur: ita Episcopi est ecclesiarum suae dioecesis unio et subiectio earundem », Et ampliori modo decrevit Conc. Trid. [1]: « Ut etiam ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur, possint Episcopi,... iuxta formam iuris, sine tamen praeiudicio obtinentium facere uniones perpetuas quarumcumque ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem (quae sub clausula §[i] bene contineri deprehenditur), et in ceteris casibus a iure permissis ».

In cap. vero 2 « de rebus ecclesiae non alienandis » (III, 4) in Clem. scriptum est: « Quod si Episcopus (sui etiam capituli accedente consensu) mensae suae, vel ipsi capitulo aliquam duxerit ecclesiam uniendam: hoc irritum esse decernimus et inane, contraria quavis consuetudine non obstante ». Et his superaddens Conc. Trid. decrevit [2]: « In unionibus vero quibuslibet, seu ex supra dictis (nempe: « in parochialibus ecclesiis, quarum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere », quae verba concordant cum declaratione §[i] praec.), seu aliis causis faciendis, ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu

[1] Cap. 5 sess. XXI de Ref. — [2] Cap. 13 sess. XXIV de Ref.

dignitatibus, sive praebendis ecclesiae cathedralis, vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur »... Haec statuta plenius expressa iuxta disciplinam Codici praeviam continentur in § 2. *Nequeunt vero* « Ordinarii locorum » quicumque, ita ut ex consequenti « irritum sit et inane », *paroeciam* iam existentem vel nunc erigendam *unire* ad similitudinem unionis beneficiorum a) *cum mensa capitulari,* tum doti communi capituli, tum distributionibus quae a capitularibus recipiantur, *vel episcopali*, seu doti huiusmodi beneficii, b) *cum monasteriis*, quae sunt personae collegiales, relicto vocabulo Conc. Trid., sed eius ampliata significatione, dum ait canon: c) *ecclesiis*, quae considerentur tanquam personae morales non collegiales, *religiosorum,* « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), *aut* d) *alia persona morali,* quae ob relationem contextus ad expressas subintelligenda est prout « distinguitur in personam moralem collegialem » v. gr. confraternitatem « et non collegialem » v. gr. « hospitalem », quae habetur in textu cit. Conc.[i] Trid.[1], sicut inde sumptum est sequens comma: *neque cum* e) *dignitatibus et beneficiis* sive canonicalibus sive minoribus *ecclesiae cathedralis* ex loco ubi sedem habent haec beneficia *vel collegiatae*, quae cognitae sunt ex Commentario ad Cap. V, Tit. VIII Libri II.

Caput XIII sess. XXIV de Ref. in Conc[i]. Trid[i]. Actis sic exorditur: « Quoniam pleraeque cathedrales ecclesiae tam tenuis reditus sunt, et angustae, ut episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque ecclesiarum necessitati sufficiant..... summus Pontifex, ex prudentia sua, prout expedire iudicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat ». Huic postremae clausulae respondet concessio sic expressa in canone, quem commentamur: *sed possunt* valide ac licite « Ordinarii locorum » ut supra in §° 1° *eam* idest « paroeciam » a) *cum ecclesia cathedrali aut collegiali* prout alterutrae deservit capitulum canonicorum, b) *quae in territorio* materiali *paroeciae sita sit, ita unire* quoad curam animarum habitualem vel saltem quoad temporalia, *ut reditus paroeciae* qua constituunt ipsius dotem *cedant in commodum ipsius ecclesiae*, v. gr. quia ex auctis distributionibus augeatur decor functionum episcopalium et assiduitas divini cultus, *relicta parocho* in casu unionis quoad temporalia *vel vicario*, qui in altero casu « debet

constitui » (can. 471 § 1), *congrua portione* secundum diversas circumstantias designanda.

Ceterae uniones beneficiorum non exclusae ab Ordinariorum potestate in hoc canone ac in praec. fieri queunt ab eis, servato tamen in omnibus quod praescribit § *3. Unio* « aeque aut minus principalis » *beneficiorum a locorum Ordinariis* omnibus vel aliquibus competentibus *fieri non potest* valide, « si incompatibilia sunt » (can. 1439), aut licite si compatibilia, *nisi in perpetuum*, nam temporalis unio secum ferret palliatam collationem plurium beneficiorum eidem clerico contra legislatoris mentem saepius in decursu temporum propugnatam.

323. **Aliae limitationes facultatis uniendi beneficia**. Conc. Trid. in cap. 5 sess. XXI supra cit. loquens de unionibus perpetuis, ait: « possint episcopi, sine tamen praeiudicio obtinentium, facere » illas: et in cap. 9 sess. XXV decrevit: « accessiones, per viam unionis factae de beneficiis liberis, ad ecclesias iuris patronatui, etiam laicorum, subiectas, tam ad parochiales, quam ad alia quaecumque beneficia, etiam simplicia,... ita ut praedicta beneficia libera eiusdem naturae cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, ... quacumque auctoritate, etiam apostolica, concessae fuerint, simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentae intelligantur », proindeque nullius valoris. His congruit *can. 1424* sic incipiens: *Ordinarii* (can. 198) *nunquam possunt* valide, seu ut subiungit Decretum ultimo cit. « beneficia ipsa unita, cum vacaverint, libere, ut antea, conferantur », *beneficia* proprie dicta *quaevis* ad invicem *unire* (etiamsi unio sit « aeque aut minus (can. 1422) principalis ») *sive curata* inter se, *sive non curata* mutuo aut cum aliis, quando fuerit a) *cum detrimento eorum qui eadem actu retinent*, v. gr. quia deficiente ipsis aliqua qualitate, ut obtineant aliud, resignare deberent proprium, vel quia sustinerent grave onus, cui primo non subdebantur, propter quod additur: *ipsis invitis*, et propter iuris detrimentum vitandum dicitur: b) *neque beneficium iuris patronatus*, quia « privilegium patroni est: Praesentandi clericum ad illud beneficium vacans » (can. 1455, 1°), *cum beneficio liberae collationis* seu in quo conferendo, dum vacat, Ordinarius non coarctatur iure per aliquam personam, *sine patronorum consensu*, quo illud « privilegium cesset per renunciationem » sic im-

plicitam et « a competente Superiore acceptatam » (can. 72, § 1)[1]. « Et, quia iure optimo distinctae fuerunt dioeceses, et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi pastores, et inferiorum ecclesiarum rectores, qui, suarum quisque ovium, curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una, et eadem ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint », decernitur sequens canonis prohibitio, « etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa ». Prohibitio vero manens est: c) *neque* « Ordinarii unquam possunt unire » *beneficia unius dioecesis*, « etiam si parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae, aut simplicia beneficia fuerint », (Conc. Trid. loc. cit.), *cum beneficiis alterius dioecesis*, quod intelligendum est iuxta praecedentem disciplinam hic confirmatam, *etiamsi ambae dioeceses* supra expressae *aeque principaliter unitae* secundum proprium talis unionis effectum *ab uno Episcopo regantur* ad normam can. 1420, § 2; ac demum ratione iuris quaesiti non tollendi, d) *neque beneficia exempta* proinde non conferenda per loci Ordinarium, *vel Sedi Apostolicae reservata* quoad collationem *cum aliis* per Ordinarium videlicet conferendis *quibuslibet* quoad eorum naturam.

324. **Uniones paroeciae cum domo religiosa** considerantur in *can. 1425*. *Si*, quod « Ordinarii locorum nequeunt » (can. 1423 § 2), *a Sede Apostolica* (can. 7) scilicet: a S. Congr. Concilii cum S. Congr. de Religiosis, si huius licentia opus sit, iuxta declar. S. Congr. Cons.[2] « proposito dubio: utrum facultas concedendi Religiosis poroecias saeculares spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de Religiosis. Emi Patres respondendum censuerunt: spectare ad S. C. Concilii, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulae eis prohibeant paroecias retinere et regere ». Sequitur in canone: *paroecia* beneficium per se saeculare *domui religiosae* seu « alicuius religionis in genere » (can. 488, 5°) *uniatur ad temporalia tantum quod attinet*, verbis saltem aequipollentibus, haec unio quoad effectum sic intelligenda est: *domus* illa *religiosa particeps fit*, quia non omnes fructus illi obveniunt, *solummodo fructuum*, seu tempo-

[1] Conc. Trid. sess. XIV, cap. 9. — [2] 5 Jul. 1915. CO. VII, 327.

ralium redituum *paroeciae* idest beneficii paroecialis, et hoc erit indirecte obveniens domui religiosae ex praefata unione, et alterum consequens est, quod *Superior religiosus* illius domus, vel maior secundum constitutiones *sacerdotem* ad validitatem ex can. 154 *e clero saeculari* secundum beneficii naturam *in eadem* paroecia, qua officium est, *instituendum* proprie ob praedictum Superioris actum, *assignata congrua* ex paroeciae fructibus iuxta Ordinarii loci approbationem *portione*, *Ordinario loci*, non alii Praelato, *praesentare* veluti personam designans *debet.*

Hic et sequens §^us referunt in hac parte determinationem decreti Conc.[1] Trid.[1] [1]: « Beneficia ecclesiastica curata, quae... monasteriis... perpetuo unita, et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super re certa assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur ». Sed hoc ius praecedens impraesentiarum refertur partialiter in can. 471, ad cuius Commentarium recurrat lector.

§ 2. *Sin autem* « paroecia domui religiosae uniatur » *pleno iure*, seu quoad omnia ipsius ut beneficii elementa, a) *paroecia fit religiosa*, quae denominatio can. 1411, 2° patet, b) *et Superior* ut in §° 1° *potest sacerdotem* ob can. 154, *e sua religione* iuxta beneficii naturam *ad curam animarum exercendam,* quod verbum ipsam denotat « actualem ac totam ad hunc exclusive pertinentem » (can. 471, §§ 1, 4), *nominare*, seu praesentare ut in §° 1°, « excepto casu » (can. 471, § 2), si occurrat, *sed* a) *Ordinarii loci est* ius et officium *eundem* sic nominatum *probare et*, « si idoneum, servato praescripto can. 459, repererit » (can. 471, § 2) *instituere* per illius officii provisionem canonicam, *eiusque* « Ordinari loci » *iurisdictioni* seu « potestati regendi » (can. 196), *correctioni* etiam per ecclesiasticas poenas, *et visitationi ipse* vicarius *subesse* « immediate ac omnino, non secus ac parochi saeculares » (can. 631, § 1), proinde *in iis rebus quae ad curam animarum pertinent,* atque

[1] Cap. 7 sess. VII de Ref.

addita in Commentario innuuntur addente hoc canone *ad normam can. 631* ibidem declaratam.

325. **De translatione beneficiorum** sic statuit *can. 1426. Propter canonicas causas* nempe comprehensas sub generali formula « ob Ecclesiae necessitatem vel magnam et evidentem utilitatem », propter quod dicitur *de quibus in can. 1423*, *§ 1* ibi declaratas, v. gr. ex Conc. Trid. [1]: « Quod si nimia egestate omnes (qui adiuvare deberent ad parochiales ecclesias collapsas reficiendas et instaurandas) laborent, ad matrices, seu viciniores ecclesias (illae) transferantur », seu, ut ait canon: *Ordinarii* locorum ex contextu (can. 198, § 1) *possunt quoque*, seu alias non, *beneficii saecularis*, nam « beneficii religiosi translatio Sedi Apostolicae reservatur » (can. 1422), *paroecialis sedem* propter « suam peculiarem ecclesiam » (can. 216, § 1), *de alio* ubi sita est formaliter, ut « sedem » ubi officia parochialia exerceantur, *in alium eiusdem paroeciae* sumptae pro territorio *locum* idest: ecclesiam erectam vel perfecte erigendam *transferre*, unde casu quo haec ecclesia vicinior in alterius paroeciae territorio esset aedificata, daretur « canonica causa » ad dismembrationem, de qua in seq. canone.

Conc. Trid. in cap. ultimo citato decrevit: « cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant, et ex hominum memoria excidant: episcopi... transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria, vel capellas sub eisdem invocationibus; vel in iam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis, et oneribus, prioribus ecclesiis impositis ».

Quo modo sit hoc decretum transumptum videri poterit in canone sic prosequente: *alia autem beneficia* « non curata seu residentialia vel simplicia, manualia vel perpetua », *tunc solum* seu taxative « Ordinarii (can. 1411, 5° 3° 4°) « etiam iuris patronatus » (Conc. Trid. loc. cit.) possunt transferre », *cum ecclesia*, *in qua fundata erant* iuxta erectionis « legitimum instrumentum » (can.

[1] Cap. 7 sess. XXI de Ref.

1418), *collapsa sit* simul *et restaurari nequeat*, seu (can. 1187) «omnes aditus interclusi sint ad eam reficiendam», quos discere oportet ex can. 1186, 2° 3°, *possunt in matrices ecclesias*, quibus collapsa subdatur aliqualiter, *vel alias ecclesias* «Ordinarii arbitrio» *locorum eorumdem*, oppidi, civitatis, *seu* illis *vicinorum, erectis*, quatenus deficiant in ecclesia ad quam fit translatio atque *si fieri possit*, quatenus non obstent leges liturgicae vel aliae causae, *altaribus vel sacellis* in ordine ad ecclesiam ex qua fit translatio, *sub eisdem invocationibus*, nam beneficia in eorumdem titulorum cultum ordinantur, *transferre cum omnibus emolumentis* causa beneficiorum *et oneribus* inde *priori ecclesiae* quoad utilitatem *adiunctis*.

326. **De paroeciarum divisione vel dismembratione** complete agit *can. 1427* cuius ex praec. iure fundamentum traditur in toto cap. 4 sess. XXI de Ref. Conc.[i] Trid.[i].

Tenor est huiusmodi: « Episcopi. ... in omnibus ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, (distinctio nunc sublata in can. 774, § 1), in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet; sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. (Et hoc translatum est in can. 476, sed complendum per interpretationem praes. can. 1427 § 2). In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani, sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt; novas parochias, etiam invitis rectoribus, (quod legitur in §° 1°), iuxta formam constitutionis Alex. III quae incipit: *Ad audientiam*[1], constituere possint. (Et haec forma in §§ 3, 4 proponitur, ubi etiam invenire licet comma sequens). Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus; et, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam ».

Transeamus ad can.[s] 1427 interpretationem. § *1. Possunt etiam* praeter translationem *Ordinarii* locorum ex contextu (can. 198, § 2)

[1] Cap. 3, X « de ecclesiis aedificandis vel reparandis » III. 48.

ex iusta et canonica causa, quae multiplex in § 2 refertur, *paroecias quaslibet,* nempe: etiam religiosas, sic limitando can. 1422 quoad « beneficii religiosi divisionem », iuxta disciplinam praecedentem in responso Leonis XIII sic expressam: « licere Episcopis missiones (regularium) dividere, servata forma S. Conc.[i] Trid.[i], quoad missiones quae sunt verae proprieque dictae paroeciae » [1], *invitis quoque rectoribus,* qui curam etsi solum habitualem habeant, qui tamen « vocentur et audiantur » ad normam can.[s] 1416, *et sine populi consensu,* quem audiri nec iubetur, a) *dividere* quoad omnia beneficii paroecialis elementa, excepta dote, quam specialiter considerant seq. §§[i], proinde dicitur: *vicariam perpetuam* propter dependentiam a parochia, *vel novam* indeque independentem *paroeciam* descriptam in can. 216 § 1, *erigentes* ad normam can. 1418, utpote « erectio beneficiorum » in utroque casu, b) *aut earum territorium* cum parochianis et iura obligationesque erga hos *dismembrare,* scilicet: « cum illud alii paroeciae assignatur » iam existenti (can. 1421).

§ 2. *Causa canonica* existens ac necessaria ex praescripto §[i] praec.[s] *ut* a) *divisio aut* b) *dismembratio,* alterutra iuxta Ordinarii prudentiam, *fieri possit, ea tantum est,* exclusa proinde omni alia quae sub sequentibus non comprehendatur, *si* a) *aut magna sit difficultas* pro parochianis physica vel moralis *accedendi* etsi ad periodicum tempus *ad ecclesiam paroecialem* qua talem iuxta fines, quos exprimit Conc. Trid. Huiusmodi difficultatis exemplum nobis offert cap. « Ad audientiam » citatum, dicens: « quod villa, quae dicitur H tantum perhibetur ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hyemali cum pluviae inundant, non possunt parochiani sine magna difficultate ipsam adire: unde non valent congruo tempore ecclesiasticis officiis interesse ». — Sequitur in canone causa initio cit. capitis Tridentini expressa: b) *aut nimia sit paroecianorum multitudo,* sed, quod ibidem omissum erat, *quorum bono subveniri nequeat,* etiamsi propter illam multitudinem, non ob alias causas, « eidem (parocho) detur unus vel plures vicarii cooperatores », idest *ad normam can. 476, § 2.*

§[us] 3 beneficii paroecialis erigendi doti consulit sequenti modo. *Paroeciam dividens,* seu talis *Ordinarius* loci *debet* congruenter

[1] Const. « Romanos Pontifices » VIII Id. Maii 1881.

can. 1415 §§ 1 et 3, *vicariae perpetuae aut paroeciae* ut in §° 1°, alterutrae *noviter* ob divisionem *erectae congruam* parocho cultuive divino *portionem*, quia ut plurimum ex stanti dote constituenda est, *assignare* ut illius dotem, *servato praescripto can. 1500*, scilicet: « bona communia quae in commodum totius territorii (seu paroeciae) erant destinata, et aes alienum quod pro toto territorio (seu paroecia) contractum fuerat, ab auctoritate ecclesiastica (illam dividente) cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis piorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus, quibus persona moralis (seu paroecia divisa) regatur ». — Sequitur praescriptum: *quae* « congrua portio », *nisi aliunde haberi queat*, ob dictum impletum praescriptum, ex iuribus forsan stolae, ex reditibus in bonum dioecesis destinatis, etc. tunc solum *desumi debet* iuxta Conc. Trid. et cap. « Ad audientiam » *ex reditibus ad ecclesiam matricem,* atque sic vocatur paroecia ex cuius divisione nova oritur, *quoquo modo pertinentibus*, sed in cit. cap. « dicta ecclesia (dividenda) ita dicitur reditibus abundare, quod praeter illius villae proventus (novae paroeciae seu vicariae conferendos) minister illius convenienter valeat sustentationem habere », quapropter additur in canone: *dummodo sufficientes reditus* tanquam dos *eidem matrici ecclesiae*, seu antiquae paroeciae *remaneant* secundum beneficii naturam. Secus parochiani essent iuxta Conc. Trid. urgendi ad propriam obligationem parochum sustentandi adimplendam.

Alex. III sic adloquitur in cit. cap. Eboracensi Archiepiscopo: « providens tamen, ut competens in ea (nova ecclesia) honor pro facultate loci, matrici ecclesiae servetur », quod statim explicat de fructibus terrae ad usus sacerdotis conferendos. Non aliter praescribit § *4. Si vicaria perpetua aut nova paroecia* relate ad § 1, *dotetur ex reditibus ecclesiae* ceu paroecialis *a qua dividitur*, et hac sola in hypothesi *debet matrici* ecclesiae supra declaratae *honorem deferre*, qui potius quam utilitas respiciendus est, *modo* quoad rem *et finibus* quoad circumstantias *ab Ordinario* paroeciam dividente *praestituendis* in divisionis instrumento; *qui tamen* Ordinarius *vetatur baptismalem fontem* pro incolis novae paroeciae aut vicariae, *matrici ipsi reservare,* etiam cum iure cumulativo, seu quod idem est: salvo praescripto can. 774, § 1.

In Epistola S. C. pro Neg. Eccles. Extraord.[1] refertur « Dubium sequentis tenoris: utrum data necessitate dimembrandi nonnullas paroecias, *pleno iure* creditas Missionariis religiosis, novae paroeciae filiales habendae sint ceu affectae eodem iure favore religiosorum eorumdem, quatenus ipsi, cum populo respectivo, onera cuncta suscipiant: cui dubio respondebatur..... 2. Religiosos ius non habere ad novam paroeciam, neque illam Episcopum eisdem concedere posse. 3. Quatenus Episcopus eidem paroeciae consulere nequeat, recurrendum ei esse ad Apostolicam Sedem pro opportunis facultatibus, ut Religiosis provisorie eam concedere valeat, eadem permanente saeculari et liberae collationi ». Huiusmodi disciplina manet salva in § 5. *Divisa paroecia quae ad aliquam religionem spectat*, etsi « domui religiosae pleno iure unitam » (can. 1425, § 2), *vicaria perpetua aut paroecia* relate ad § 1 ex divisione *noviter erecta non est religiosa*, sed saecularis, unde plene viget ex consequenti declaratio praefata; cuius postremis verbis concors est pars sequens in §° *pariter divisa paroecia iuris patronatus* sive ecclesiastici sive laicalis, *nova paroecia* ex divisione, ac ob verbum « pariter » vicaria perpetua quoque *est liberae collationis*, cum utraque sit novum beneficium.

327. **Praescripta mutationibus beneficiorum communia.** *Can. 1428.* § *1* uniformem reddit legislationem sic statuens. *Locorum Ordinarii* competentes iuxta commentarium canonum praec.m *uniones* de quibus can. 1423, §§ 1, 2, *translationes* ut in can. 1426, *divisiones* tum paroeciarum (can. 1427 § 1) tum beneficiorum saecularium, *dismembrationes* paroeciarum, unde generaliter dicitur *beneficiorum, ne faciant,* prohibitio tantum, *nisi per authenticam* ob signa vel auctoritatem publicam exarantis *scripturam,* quae dictas mutationes referat uti medium peragendi illas, *auditis* ad validitatem in can. 105, 1° a) *Capitulo Cathedrali* semper, ut videtur, *et* b) *iis,* v. gr. patrono, beneficiario actuali, propter quod dicitur: *si qui sint, quorum intersit,* nec talis reputandi sunt parochiani quoad paroeciae divisionem (can. 1427 § 1), sed pro his divisionibus additur: *praesertim rectoribus ecclesiarum* vel paroecialium, vel ubi beneficia erunt sita.

Sequitur § *2*, qui canones praecedentes constituit in hac parte

[1] 16 Nov. 1896. A. S. S. XXX, 128.

« leges irritantes » (can. 11). Videlicet: *unio* (can. 1423, § 1), *translatio* (can. 1426), *divisio* (can. 1427, § 2), *dismembratio*, *facta* etiam a competente Ordinario, sed *sine canonica causa*, idest: sub cit.ˢ canonibus comprehensa, vel alias « sine rationabili causa » ex § 14 const. « Supernae dispositionis » [1], *irrita est* talis beneficii mutatio.

§ 3. *Adversus decretum*, quia res extraiudicialis semper, *Ordinarii* pro casus diversitate *unientis*, *transferentis*, *dividentis aut dismembrantis beneficia*, *datur* a iure eidem, cuius intersit, in *devolutivo tantum* effectu, hoc est: ad cognoscendum et decernendum legitimitatis defectum in beneficii mutatione *recursus* directe *ad Sanctam Sedem*, scilicet: ad S. Congregationem Concilii, vel de religiosis pro beneficiorum alterutra specie.

328. **De pensionibus**. Pensio est [2] « ius percipiendi certam portionem fructuum ex alieno beneficio auctoritate legitima, et iusta interveniente causa alicui concessum ». Pensio sic definita est proprie dicta et ecclesiastica. « [3] Dividitur autem haec in pensionem datam solummodo ad tempus vitae beneficiarii, aut ad vitam pensionarii; aut absolute in perpetuum. Prima pensio est onus mere personale, quod personae beneficiati, non ipsi officio est impositum, ideoque... cum morte beneficiati extinguitur ». Hae sunt proprie « pensiones personales, quae in iure beneficii nomine non veniunt » (can. 1412, 4°). « Altera pensio est onus reale ipsi officio impositum, etenim transit etiam ad successorem beneficiati, quia sola morte pensionarii cessat.... Tertia est onus pariter reale ipsi officio, sed absolute et in perpetuum impositum, ita ut ad omnes successores transeat et mortuo pensionario in novum pensionarium sit transferendum ».

Pensiones quandoque imponuntur beneficiis consistorialibus, equidem per S. Congr. Consistorialem, quandoque beneficiis aliis S. Sedi reservatis, quod fit per Datariam Apostolicam, demum quandoque aliis beneficiis non reservatis, sive illud fiat a Sede Apostolica sive ab Ordinariis.

Principium canonicum est: « ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur » (III, 12), congruenter regulae iuris LV in

[1] Leo X in Conc. Lat. V, 5 Maii 1545. — [2] Santi. Praelectiones iuris can. Lib. III, Tit. XII, n. 11. 14. — [3] Wernz. Ius Decretalium. Tom. II, n. 321, III, β. Ed. I.

6°: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra ». Quapropter sic statuit *can. 1429.* § *1. Beneficiis quibuslibet* scilicet: non solum diversis ratione speciei ex can. 1411, sed quaecumque talia sint ad normam can. 1409, et quantumvis ditiora, α) *nequeunt Ordinarii locorum pensiones*, uti onus, *perpetuas* absolute seu absque signato termino, *aut temporarias*, valide *imponere quae*, illae ob § 3, et hae *ad vitam pensionarii*, uti designatus temporis finis, *durent*, *sed* β) *possunt* valide, a) *dum beneficium conferunt*, seu in ipso conferendi actu, b) *ex iusta causa* per ipsos iudicanda et c) *in ipso collationis actu* seu documento *exprimenda* peculiariter, *eisdem* beneficiis, proinde nec consistorialibus nec reservatis, *imponere* d) *pensiones temporarias*, sic expresso tempore, *quae durent ad vitam beneficiarii*, scilicet: non prius mortuo pensionario, e) *salva huic*, nempe: beneficiario onerato *congrua* eiusdem sustentationi *portione* dotis sui beneficii.

In cap. 4, X « de clerico aegrotante vel debilitato » (III, 6) ait Clemens III... « De sacerdote qui divino iudicio leprae morbo percussus, in parochiali ecclesia praelationis officio fungitur. Dicimus, quod pro scandalo, et abominatione populi, ab administrationis debet officio removeri: ita quod iuxta facultates ecclesiae, sibi necessaria quamdiu vixerit, ministrentur ». Eo quod « a veteri iure non est recedendum » (can. 6, 4°), sic putamus interpretandum esse § *2. Beneficiis autem*, adversative respectu ad §m praec. in utraque ipsius parte, non « quibuslibet », sed *paroecialibus non possunt* « Ordinarii locorum ad vitam pensionarii », *nisi in commodum* uti pensionem percepturi *parochi vel vicarii eiusdem* pensione onerandae *paroeciae* seu vicariae *a munere* alterutro *abeuntis* ob renunciationem, amotionem, etc. iuxta casus, ac tunc « possunt » equidem sub conditionibus § 1[i] in litteris a) b) « ex iuxta causa » quae potest esse eadem abeundi, c) *imponere pensiones*, attamen loco litterae d) « quae ad vitam pensionarii durent », ut congruat canon iuri Decretalium citato, et quoad litteram e), *quae tamen* « pensiones » *non excedant tertiam partem reditus paroeciae* gravatae pensione, atque huius officii causa vere percipiendos, et propterea *quibusvis deductis* ante divisionem a) *expensis* revera sustinendis *et* b) *incertis* quoad perceptionem, seu non solummodo quoad quantitatem, *reditibus*, sub quorum censu iura stolae non veniunt.

§ *3. Pensiones* etiam perpetuae vel temporariae « quae durent

(per se) ad vitam beneficiarii » *beneficiis sive a Romano Pontifice*, qui solus est competens ad illas, *sive ab aliis collatoribus*, etsi non fuerint locorum Ordinarii, *impositae* legitime, tamquam correlativae ad ius percipientis eas, *cessant* semper *morte pensionarii*, uti modo peculiari praeter alios modos amittendi iura, aliasque pensiones. Secundum §^i praescriptum est: *qui tamen* supple « pensionarius » *nequit* valide *eas* pensiones quaslibet *alienare*, etiamsi « unice commoditas pensionis percipiendae in alium transferatur », *nisi id*, scilicet: potestas alienandi, *expresse concessum sit* a competente ad hoc auctoritate. Ante Codicem hoc ultimum praescriptum quoad pensiones a Sede Apostolica concessas vigebat ex Dec.^o « Cum ad Ssm̃um » S. C. EE. et RR. [1]: « cum pactiones huius modi pro contrahentium arbitratu licentius conciliatae indecorum quoddam de iis commercium videantur inducere, quod fideli populo admirationi quandoque est, viamque sternant forensibus actionibus, quae non sine ecclesiasticae rei dedecore publice instituuntur, atque illud praeterea ut plurimum inferant damni ut brevi insumantur, quae in totius vitae commodum liberalitas Pontificum impertiverat ».

329. **De beneficiorum conversione** est unicus et ultimus *can. 1430*. *§ 1*. Quod « statuit S. Synodus Tridentina » in cap. 16 sess. XXV de Ref., *Beneficia* a) *curata* (can. 1411, 5°) *ab Ordinariis* (can. 198 § 1) *in non curata* vel « in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione », *converti* proprie ad normam can. 1421 *nequeunt*, ita ut actus contrarius ob defectum potestatis irritum sit, ac similiter b) *nec beneficia religiosa in saecularia* secundum ius quaesitum familiae religiosae, c) *nec saecularia in religiosa*, namque obstat alienatio implicita vel defraudatio iuris futuri Superioris quoad collationem.

§ *2*. *E contrario* sicut in praec. iure *possunt beneficia* saecularia, sed *simplicia* « seu non residentialia » (can. 1411, 3°), ex quo « non curatis » accensentur, *ab Ordinariis locorum*, quibus animarum in dioecesi cura commissa est, *in curata converti*, *dummodo* quoad hoc *ne obstent* ex aliquo motivo *conditiones a fundatore expressae*, iuxta explicationem huius clausulae in § 1 can.^s 1417 datam et praescriptum § 2^i eiusdem canonis.

[1] 12 Mart. 1840.

CAPUT III.

De beneficiorum collatione.

Can 1431. - Ius Romano Pontifici est beneficia in universa Ecclesia conferendi eorumque collationem sibimet reservandi.

Can. 1432. - § 1. Ad collationem beneficiorum vacantium, Cardinalis in proprio titulo vel diaconia et Ordinarius loci in proprio territorio habent intentionem in iure fundatam.

§ 2. Conferre autem beneficia nequit Vicarius Generalis sine speciali mandato; Vicarius autem Capitularis nec paroecias vacantes, nisi ad normam can. 455, § 2, n. 3, neque alia beneficia perpetua liberae collationis.

§ 3. Si Ordinarius intra semestre ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, huius collatio devolvitur ad Sedem Apostolicam, salvo praescripto can. 458.

Can. 1433. - Coadiutores in beneficiis cum vel sine futura successione ab una Sede Apostolica constitui possunt, salvo tamen praescripto can. 475, 476.

Can. 1434. - Beneficia Sedi Apostolicae reservata ab inferioribus invalide conferuntur.

Can. 1435. - § 1. Praeter omnia beneficia consistorialia et omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ad normam can. 396, § 1, sunt reservata Sedi Apostolicae, quanquam vacanti, sola beneficia quae infra memorantur:

1.º Omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum Romani Pontificis, officialium maiorum Sacrarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii;

2.º Quae, fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe;

3.º Quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint;

4.º Denique beneficia quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit his qui sequuntur modis: si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere; si renuntiationem admiserit; si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit; si beneficium in commendam dederit.

§ 2. At nunquam sunt reservata, nisi id expresse dicatur, beneficia manualia aut iuris patronatus laicalis vel mixti.

§ 3. Quod attinet ad collationem beneficiorum quae Romae fundata sint, leges peculiares de eisdem vigentes serventur.

Can. 1436. - Beneficium ecclesiasticum clerico invito et provisionem non expresse acceptanti valide conferri nequit.

Can. 1437. - Nemo potest beneficium sibi ipse conferre.

Can. 1438. - Omnia beneficia saecularia ad vitam beneficiarii conferenda sunt, nisi aliud ferat vel lex fundationis, vel consuetudo immemorabilis vel peculiare indultum.

Can. 1439. - § 1. Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura beneficia incompatibilia. ad normam can. 156.

§ 2. Incompatibilia sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat.

Can. 1440. - Beneficia ecclesiastica sine deminutione conferantur, salvo praescripto can. 1429, §§ 1, 2.

Can. 1441. - Tanquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant.

Can. 1442. - Beneficia saecularia nonnisi clericis e clero saeculari conferenda sunt; religiosa sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent.

Can. 1443. - § 1. Nemo possessionem beneficii sibi collati aut propria auctoritate capiat, aut non emissa fide

professione, si agatur de beneficiis pro quibus haec fidei professio praescripta sit.

§ 2. Si agatur de beneficiis non consistorialibus, missio in possessionem, seu institutio corporalis, ad loci Ordinarium spectat, qui ad id alium ecclesiasticum virum delegare poterit.

Can. 1444. - § 1. Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum iure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae pessessionis.

§ 2. Loci Ordinarius praefiniat tempus intra quod possessio beneficii capi debeat; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, beneficium vacare declaret ad normam can. 188, n. 2.

Can. 1445. - Possessio beneficii etiam per procuratorem, speciale mandatum habentem, capi potest.

Can. 1446. - Si clericus qui beneficium possidet, probaverit se in eiusdem beneficii possessione pacifice per integrum triennium fuisse bona fide, etsi forte cum titulo invalido, dummodo absit simonia, beneficium ex legitima praescriptione obtinet.

Can. 1447. - Qui beneficium postulat ab alio pacifice possessum, quod certo modo vacare contendat, debet in supplici libello exprimere nomen possessoris, tempus possessionis et causam specialem ex qua constet nullum possessori in eo beneficio ius competere; beneficium autem postulanti conferri non potest, nisi prius causa in petitorio fuerit, ad normam iuris, definita.

Caput III. De beneficiorum collatione —

- — per Superiorem ecclesiasticum —
  - — in universa Ecclesia — Can. 1431
  - — in singulis locis — » 1432
  - — quoad eorum Coadiutorias — » 1433
- — reservatorum —
  - — invalide facta — » 1434
  - — Sedi Apostolicae — » 1435
- — quoad providendum —
  - — clericum non invitum — » 1436
  - — distinctum a conferente — » 1437
  - — ad vitam — » 1438
- — non incompatibilium — » 1439
- — in seipsa —
  - — sine illorum deminutione — » 1440
  - — non simoniaca — » 1441
  - — saecularium et religiosorum — » 1442
- — quam sequatur possessio —
  - — et ad quem spectet — » 1443
  - — secundum qualem modum — » 1444
  - — etiamsi per procuratorem — » 1445
- — effectus ex possessione —
  - — pacifica per triennium — » 1446
  - — quoad postulantem beneficium ab alio possessum — » 1447

330. **Inscriptio Capitis.** — Iam considerandum est *Cap. III. De beneficiorum collatione*, quae proprie est horum officiorum provisio canonica, et cuius necessitas sic exprimitur in regula iuris 1ª in 6°. « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri », imo nec « valide » ut dicitur in can. 147, § 1. — Nomine igitur « collationis » venit « concessio beneficii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta », seu « actus competentis Superioris ecclesiastici quo, servatis ss. canonibus, tribuuntur tanquam propria clerico (can. 118) vel (si curam animarum beneficia secumferunt) sacerdoti (can. 154) iura et officia sive spiritualia sive temporalia quae integrant beneficium ». — Huiusmodi *collatio* appellatur *libera*, quando actus pendet unice a Superiore ecclesiastico, vocatur proprie *confirmatio*, quando sequitur *electioni canonicae* de clerici vel sacerdotis providendi persona, ita ut si haec subeat defectum dispensandum, illa vocetur proprie *admissio postulationis*, ac demum si praecesserit dictae personae providendae *praesentatio* ex iure patronatus vel *nominatio* ex privilegio, tunc collatio beneficii proprie dicitur *institutio*, quae ut secernatur ab aliis institutionibus est *collativa tituli*.

Hic memorandus est can. 146 « De officiis ecclesiasticis » in Tit. IV Lib.[1] II, qui respicit diversos collationis modos et actus: « De beneficialibus officiis in specie, praeter canones qui sequuntur, custodiantur insuper praescripta can. 1409 seqq. ».

331. **Canonum coordinatio** talis deprehenditur. Primo de Superiorum competentia praescribunt tres canones, nempe can. 1431 in universa Ecclesia, can. 1432 in singulis locis atque can. 1433 de Coadiutoriis beneficiorum. Postea de beneficiorum reservatione ponitur effectus in casu 1434, antequam beneficia reservata recenseantur in can. 1435. Providendus clericus est moderatus in sequentibus tribus, videlicet: ut voluntarie suscipiat beneficium, sit a conferente Superiore distinctus, eique ad vitam illud conferatur. Subiungitur alius can. 1439 de incompatibilitate beneficiorum in eodem subiecto. Collatio vero ut actus consideratur, tum respectu ad beneficii integritatem in can. 1440, tum quoad vitandam simoniam in can. 1441, tum relate ad speciem beneficiorum in can. 1442. Cum collatio possessione perficiatur sicut in acquisitione bonorum temporalium, possessionis necessitas et a quo sit danda per can. 1433 edocemur, modus in ea servandus per can. 1444 recognoscitur, ac

ut procurator ad eam sit legitimus cavetur in can. 1445. Demum posito effectu pacificae possessionis per triennium in can. 1446, quid ob illam solam sit servandum edicit ultimus can. 1447.

332. **Iura Romani Pontificis** in conferendis beneficiis, quae sita sunt extra Romanam Dioecesim, quatuor distinguuntur a Canonistis [1]: 1° ius concursus, 2° ius praeventionis, 3° ius reservationis et affectionis et 4° ius devolutionis. Hoc ultimum ei commune est cum aliis Superioribus ecclesiasticis ex iuris canonici ordinata hierarchia, de aliis vero ait Clem. III in cap. 4 « de praebendis et dignitatibus » in 6° (III, 2): « Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem (ex suae potestatis plenitudine iuxta Clem. V [2] in Conc. Viennensi) pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant potest de iure conferre (ita concurrens in beneficii facienda collatione per Ordinarium), verum (istum praeveniens) etiam ius in ipsis tribuere vacaturis, collationem tamen ecclesiarum, personatuum, dignitatum et beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium specialius ceteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit ». Verumtamen hoc factum non excludit, sed supponit ius reservandi futuras quorumdam beneficiorum collationes, utpote profluens « ex suae potestatis plenitudine » in omnes et singulas dioeceses.

Principium igitur illud sic enuntiatur in *can 1431. Ius Romano Pontifici est* ratione Primatus atque exercendum per se vel per alium, *beneficia* proprie dicta (can. 1409) qualiacumque *in universa Ecclesia* Latina et Orientali *conferendi* quoad singulas vices, sive quando vacant, sive tribuens « ius in ipsis vacaturis », *eorumque collationem* futuram, sive semel per affectionem de qua est can. 1435 § 1, 4°, sive quamcumque *sibimet reservandi;* ita ut ab aliis Superioribus ecclesiasticis fortassis competentibus « invalide conferantur » (can. 1434).

333. **Ius ordinarium beneficia conferendi** in *can. 1432* sic generaliter edicitur. § *1. Ad collationem*, ut in tituli inscriptione prae aliis Superioribus infra Romanum Pontificem, imo et liberam, *beneficiorum vacantium* de iure saltem, ut habet can. 151, quia « provisio officii (in beneficio contenti) de iure non vacantis...

[1] Santi. Praelectiones Iuris canonici. Lib III, Tit. V, n. 45. — [2] Lib. II, Tit. V, cap. 1 in Clem.

est ipso facto irrita », prout dicti canones fuerunt commentati, *Cardinalis* vel presbyter *in proprio titulo, vel* diaconus « in propria » *diaconia*, scilicet : illorum « beneficiorum » fundatorum in alterutra ecclesia, *et Ordinarius loci* (can. 198, § *2*) *in proprio territorio,* proinde hic ad paroeciarum quoque collationem, *habent* singuli *intentionem in iure* seu potestate administrationis in spiritualibus et temporalibus, quae ipsorum officio competit, *fundatam*. Videlicet : adiudicandam esse ipsis collationem illam, beneficiis « illis dumtaxat exceptis, quae per authentica scripta ei (unicuique eorum) noscuntur esse subtracta, (vel) per privilegium vel praescriptionem legitimam... probarentur exempta » [1], similive modo constaret collationem non esse amplius liberam.

Quia memoratus est « Ordinarius loci », adversative admonet § *2. Conferre autem* quolibet ex tribus modis sub inscriptione positis *beneficia* quaecumque *nequit Vicarius Generalis sine speciali mandato,* non secus ac in iure Codicem praecedenti, « cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus, nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa » [2].

Quo modo sit quoad beneficiorum collationem intelligendum principium iuridicum canoni 436 insertum : « Sede vacante nihil innovetur », edicit §.us sic prosequens : *Vicarius autem Capitularis* a) *nec* supple : « conferre potest » *paroecias* (etsi amovibiles) *vacantes,* queis parochus stricte dictus praeficiendus sit, *nisi ad normam can. 455, § 2, n. 3* scilicet : « si sedes ab anno saltem vacaverit », b) *neque alia beneficia* quaelibet, forsitan vicarii cooperatoris, sed *perpetua* idest : « ad vitam beneficiarii conferenda » (can. 1438) atque *liberae collationis*, quae conditio afficit quoque « paroecias vacantes », quod confirmatur ex parallelo canone citato.

Ex interpretatione utriusque §.i sequitur posse Vicarium Capitularem conferre *a*) omnia beneficia non curata, quae sint ad nutum, v. gr. religiosa, *b*) beneficia quaelibet etiam curata, quando persona designata fuerit per electionem, postulationem, praesentationem aut nominationem, ut asseritur in can. 455, § 2, quo « ad paroeciam vacantem, institutionem electo aut praesentato concedere », hinc *c*) quando « debet constitui vicarius, qui actualem curam

[1] Decretalium Lib. II, tit. XXV, cap. 6. X. — [2] Cap. 3 « de officio Vicarii » Lib. I, tit. XIII in 6º.

gerat animarum » (can. 471, § 1), si « vicarium praesentat Superior religiosus, Capitulum aliave persona moralis » (ib. § 2), atque *d*) quo « ad paroecias religiosis concreditas », quia « Superior... sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci, qui eidem... institutionem concedit » (can. 456).

Limitatio temporis ad exercendam illam potestatem habetur in § *3. Si Ordinarius* ad normam can. 198, § 1, sed idem extendatur pari ratione ad Cardinalem presbyterum vel diaconum quoad potestatem ei attributam in §.° 1, *intra semestre* idest « sex menses utiles » iuxta can. 155 huic parallelum, *ab habita certa* moraliter, etsi non authentice, *vacationis* de iure *notitia beneficium*, sive curatum sive non curatum, *non contulerit* per legitimum actum, *huius* beneficii vacantis, forsan quia non fuit acceptata collatio, *devolvitur* ipso iure *ad Sedem Apostolicam,* ita ut non solum illicite ab Ordinario conferretur, sed irritari posset, quia sic interpretabatur ius devolutionis in Decretalibus, atque *salvo praescripto can. 458,* nempe: « nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant ».

Ex iure antiquo sufficiat cap. 4 « de supplenda negligentia Praelatorum » (I, 10) X: « Si is, ad quem spectat beneficii collatio, lapso tempore Lateranen. Concilii (nempe sex mensium) conferat, non valet collatio, nisi de misericordia toleretur ».

Interpretatio data clausulae « intra semestre », tamquam tempus utile, confirmatur declaratione authentica Commissionis Pontificiae, quae [1] ad Dubium: « Utrum ad normam can. 1432, § 3 devolvatur ad S. Sedem collatio beneficii, si Ordinarius intra semestre ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, non ex negligentia, sed ob absolutum defectum subiectorum. Resp. Negative ».

Hic tertius §.[us] interpretandus est tum de libera collatione ab initio vacationis, tum in beneficiis per electionem aut praesentationem providendis a tempore quo « libera provisio ad Superiorem devolvitur » vi can. 178, aut « ecclesia vel beneficium pro casu fit liberae collationis » ad normam can. 1465, § 1. Ante hoc enim alterutrum tempus, sunt alia media per canones concessa ad urgendum Ordinarium confirmationi vel institutioni concedendae. Deni-

[1] 24 Nov. 1920. CO. XII, 577.

que per hunc §.[m] derogatur iuri Metropolitanorum in cap. 2 « de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis » expresso.

334. **De Coadiutoriis non concedendis** adest *can. 1433* referens decretum Conc. Trid. sequentis tenoris [1]. « Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae haereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, et Patrum decretis contraria... In coadiutoribus quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur ». Reliquam partem transcripsimus in Commentario Lib. II ad can. 350, § 1.

Praesentis canonis praescriptum est: *Coadiutores*, eo quod beneficiarius aliqualiter impeditur, *in beneficiis* quibuslibet, a) *cum* iure succedendi in illud beneficium, b) *vel sine futura successione* ex decreto illius concessionis *ab una Sede Apostolica* cum significatione normae can.[s] 7, *constitui possunt*, quapropter excluditur potestas in aliis Praelatis; *salvo tamen* limitante *praescripto can. 475* de vicario paroeciali adiutore, *et 476* de simili vicario cooperatore, sed uterque verus est coadiutor « sine futura successione » ad normam cit. capitis Tridentini.

335. **Reservatio beneficiorum** in iure antiquo proprie dicitur: « beneficii ecclesiastici quoad omnes ipsius vacationes, ad Sedem Apostolicam facta avocatio provisionis ». Quodsi pro unico actu provisionis avocetur beneficium vacaturum, id esset proprie affectio illius beneficii. Codex vero utrumque simpliciter vocat reservationem, eodemque pariter effectu, qui exprimitur in *can. 1434* per legem irritantem. *Beneficia* quaelibet *Sedi Apostolicae* ad normam can. 7 *reservata*, dum talia sunt quoad eorum unicam vel plures successivas vacationes, *ab inferioribus* Superioribus ecclesiasticis ob potestatem administrationis, *invalide conferuntur*. Et hoc insanabiliter ób regulam iuris 18 in 6°. « Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit ».

336. **Reservationes beneficiorum vigentes.** Praecipuae reservationum divisiones memorandae sunt: 1° in generales, quibus plura beneficia in communi, et in speciales quibus certum beneficium Rom. Pontifex sibi reservat; — 2° in reales quae sunt statutae ob beneficii qualitatem, et in personales, quae ratione perso-

[1] Cap. 7, sess. XXV de Ref.

narum decreta sunt; — 3° ad instar poenae, eo quod ratione delicti statutae sunt, et aliae vigentes ob alias rationes, praesertim ob reverentiam erga S. Sedem. Aliae divisiones obsoleverunt per Codicem, v. gr. *a*) clausa in corpore iuris canonici distincta ab aliis, quae vigebant ex Regulis Cancellariae Aplcae. aut ex Const. Pontificiis diversis; *b*) in fixas, et alias quae pendebant ab incerta beneficiorum vacatione in quibusdam mensibus, quae ultimae in Codice omissae fuerunt.

Nunc temporis omnes vigentes reservationes recensentur in *can. 1435*. Ait enim § *1. Praeter* a) *omnia beneficia consistorialia,* seu ut aiebat regula 2ª Canc. Aplcae. « omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales et Episcopales, necnon (nunc immutatum sequens) omnia Monasteria virorum », et omissus fuit in canone valor redituum annuorum; idque ipsum fuit peractum de regula 4ª qua S. Sedes « reservavit generaliter dispositioni suae », minus, quam in canone aiente: *et* b) *omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum* seu in utrarumque collegiis canonicorum *ad normam can. 396*, § *1* hanc reservationem statuentis, *sunt* ex iure antiquo, quatenus ei concordat hic canon, huiusque vi *reservata Sedi Apostolicae* (can. 7), *quanquam vacanti* dum illa beneficiario privantur, nec additur limitatio vel conditio qua cesset reservatio, *sola beneficia*, quo exclusivo verbo aliae reservationes iuris antiqui abrogantur, v. gr. de mensibus papalibus ex Reg. 9ª et ex Const. Pii V. « In conferendis » [1] de ecclesiis parochialibus collatis « praeter et contra formam ab eodem Conc. Trid.° praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptam ». Sunt ergo tantum reservata beneficia supra dicta sub litteris *a*) et *b*) et *quae infra* statim *memorantur* ut plurimum ex praec. iure:

1° Omnia beneficia (can. 1409), *etiam curata* (can. 1411, 5°), *quae vacaverint* a) non aliter, quam *per obitum,* b) *promotionem* ad aliquam dignitatem ecclesiasticam, c) *renuntiationem* equidem acceptatam, *vel* d) *translationem* de ipsis ad aliud beneficium a) *S. R. E. Cardinalium* illa possidentium, b) *Legatorum Romani Pontificis* singulorum qui sub cap. V, Tit. VII, Lib. II recensentur, c) *officialium maiorum Sacrarum Congregationum*, quos enunciatos

[1] 18 Mart. 1567, § 3.

invenies in Commentario ad can. 246, 247, 248. *Tribunalium*, scilicet Auditorum S. R. R., Auditoris sui et Praelatorum Signaturae in S. Poenitentiaria, *et Officiorum Romanae Curiae* quos discere poterit hoc desiderans etiam quoad personas in Annuario Pontificio, quod singulis annis in publicam editur lucem, *et d) familiarium etiam honoris tantum, Summi Pontificis*, qui simul ac alii cum effectu ad illam familiam pertinentes sub elencho declarantur in praefato Annuario, dummodo tales sint familiares *tempore vacationis beneficii*, de cuius reservatione quaeratur.

De reservatione clausa in *corpore iuris* loquuntur Decretales 3, 34 et 35 « de praebendis et dignitatibus » in 6° (III, 4). Videlicet: Greg. X in Conc. Lugd. decrevit: « Statutum fel. rec. Clem. PP. praed. nostri de dignitatibus et beneficiis in Curia Rom. vacantibus nequaquam per alium, quam per Rom. Pont. conferendis, decernimus taliter moderandum... Ut ii ad quos eorumdem beneficiorum, et dignitatum spectat collatio (statuto non obstante praedicto) demum post mensem a die, quo dignitates vel beneficia ipsa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant tantummodo per seipsos, vel (ipsis agentibus in remotis) per suos Vicarios generales in eorum dioecesibus existentes, quibus id canonice sit commissum ». — Quaenam beneficia in Curia Romana vacare dicenda sint, explicatur optime in cap. 34 eiusdem Tit., quod omittimus, brevitatis causa. — Et in cap. 35 ait Bonif. VIII: « Si Apost. Sede vacante aliquas parochiales ecclesias vacare de cetero contigerit apud ipsam: Statuimus, ut de eis (ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre), per eos, ad quos pertinet possit libere ordinari; const.° f. r. Clem. IV... vel alia... non obstante. — Idem volumus et de illis, quae ibidem ipso Rom. Pont.° vivente vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum ».

Ob can. 6 n. 3°: « Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt », putamus vigere citatas Decretales et secundum eas intelligenda § 1 praesentis canonis in eius n. 2°. « Omnia beneficia » *quae fundata extra Romanam Curiam*, idest: sita ultra duas dietas a loco ubi Rom. Pont. cum suis curialibus *commoretur tempore vacationis* earum, *vacaverint* praecise *per beneficiarii* fortasse peregrini *obitum in ipsa Urbe* tantummodo, secus ac in cap. Decretalium

dicebatur in Romana Curia.[1] « Urbis appellatio muris, Romae autem continentibus aedificiis finitur, quod latius patet ». An haec appellatio sit propria verbi significatio in hoc canone, vel potius illud communi usu accipiatur, posset dubitari, quamvis pro illa respondendum putemus, quia haec lex canonica « liberum iurium exercitium coarctat » (can. 19), unde « strictae subest interpretationi ».

Ex Const. Pii V « Intolerabilis »[2] partialiter conservata est sequens sub n. 3° reservatio. « Sola et omnia beneficia » *quae invalide* propter can. 729 iuxta eiusdem Commentarium, attento etiam can. 1441, *ob simoniae vitium collata fuerunt*, sumpto verbo ad sensus inscriptionis Capitis. Est ergo ad instar poenae haec reservatio.

4° Denique ut in praec. iure *beneficia* quaelibet (can. 1409) *quibus* singulis *Romanus Pontifex per se,* etsi utens organis Romanae Curiae, *vel per delegatum* generalem vel ad casum *manus apposuit,* propriam exercens auctoritatem *his* tantum *qui sequuntur modis :* a) *si electionem* praeviam *ad beneficium* providendum sive ob personam sive ob eiusdem actum *irritam declaraverit,* an sententia vel decreto parum refert, b) *vel vetuerit* simpliciter *electores ad electionem procedere*, quae tamen peracta esset ex consequenti nulla, ut praesupposita contra can. 1434 irritantem confirmationem, non autem si solum « vetuerit » hanc confirmationem ; c) *si renunciationem* eidem Rom. Pont.[1] ut supra praesentatam *admiserit*. vacante consequenter tali beneficio ; d) *si beneficiarium* quemcumque etiam ex personis sub n. 1° *promoverit* quamvis ad solam dignitatem, *transtulerit* ad aliud beneficium etsi non altius, *beneficio* illo *privaverit,* in quibus sub littera d) casibus beneficium sic amissum reservatur ; e) *si beneficium* quodcumque *in commendam* quoad perceptionem nempe fructuum, cum ipsius forsitan administratione vel sine ea, *dederit*. Scilicet : reservatur quoad provisionem illius de beneficiario.

In omnibus antedictis reservationibus est subintelligenda limitatio multiplex quam edicit § *2*. *At nunquam sunt reservata*, etiamsi verificetur appositio manus, *nisi id expresse dicatur,* proinde in singulis casibus, a) *beneficia* proprie dicta (can. 1909), sed *manualia,*

[1] D. « de verborum significatione », l. II. — [2] 1 Iun. 1569, § 8.

quae nempe « conferuntur revocabiliter » (can. 1411, 4°) ad normam can. 1438, b) *aut iuris patronatus* conferenda nempe clerico praesentato a patrono, etsi facta « liberae collationis » in casu can.[s] 1465, § 1, *laicalis vel mixti*. Unde non eximuntur a reservatione beneficia iuris patronatus ecclesiastici.

Cum dioecesi Romanae praesideat immediate Romanus Pontifex, etsi aliunde in Urbe adsint Card. Urbis Vicarius uti Ordinarius loci, atque S. R. E. Cardinales potiantur iure conferendi « in proprio titulo vel diaconia » sita beneficia, optime fuit retenta implexa disciplina vigens, aiente § 3. *Quod attinet ad collationem* praesertim liberam, *beneficiorum* sive canonicalium, sive curatorum, sive residentialium sive non, *quae Romae* idest: in ecclesiis dioecesis Romanae *fundata sint, leges peculiares* v. gr. pro canonicatibus aliisque praebendis, tam in Basilicis Patriarchalibus quam in minoribus, pro curatis beneficiis tam religiosis quam saecularibus, quae conferenda sunt per Card. Urbis Vicarium, etiam quae inveniuntur in titulis aut diaconiis praefatis, *de eisdem* diversis beneficiis et aliis *vigentes* tempore promulgationis Codicis ac successive pro tempore collationis perficiendae *serventur*. Extra praescripta ergo Codicis manent eorum provisiones ad normam can. 6, 1°, eo quod « aliud expresse caveatur ».

337. **De acceptatione collationis necessaria.** In Pandectis legitur regula iuris LXIX: « Invito beneficium non datur » [1]. Hanc suam facit et ampliat ius canonicum statuens in *can. 1436. Beneficium ecclesiasticum* ad distinctionem expressi in Romanorum iure *clerico*, qui « solus potest beneficia obtinere » (can. 118), *invito* propter recusantem voluntatem, imo *et provisionem* sibi rite factam ab Ordinario vel a Sede Apostolica *non expresse* verbis vel scripto vel aequipollentibus signis (taliaque non sunt facta eiusdem ad aliud) *acceptanti* illud beneficium *valide conferre* cum effectu canonico collationis *nequit*. Hoc non impedit quominus obligari possit saltem a Sede Apostolica ad acceptandum illud.

Consequenter ut implicitum in dicto canone plene viget iuxta exceptionem can. 6, 6° caput 17 « de praebendis et dignitatibus » (III. 4) in 6°. « Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licet per collationem huiusmodi (donec eam ratam habue-

[1] D. de regulis iuris l. LXIX.

ris) ius in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras: ipse tamen Episcopus, vel quicumque alius de ipso beneficio, (nisi consentire recuses) in personam alterius ordinare nequibit. Quod si fecerit, eius ordinatio facta de beneficio non libero, viribus non subsistet. Sed si Episcopus (notificata tibi collatione) ad consentiendum terminum competentem assignet, nisi consenseris, poterit eo lapso beneficium libere (cui viderit expedire) conferre. Antequam tamen ipsum contulerit, tuum poteris (non obstante quod lapsus sit terminus) praestare consensum, et ex tunc de ipso non poterit aliter ordinari ».

338. **Distinctio inter collatorem et provisum servanda** iam decernitur his verbis in cap. 7 « de praebendis et dignitatibus » (III, 7): « Cum inter dantem et recipientem debeat esse distinctio personalis ». Hoc principium sic applicatur ab Alex. III in cap. 2 « de excessibus praelatorum » (V, 31): « Ad aures nostras pervenit quod quidam Archidiaconi tui se ecclesias, quae in suis archidiaconatibus vacant, auctoritate propria intrudere non verentur. Mandamus, quatenus eos, qui tali modo ecclesias occupant vel occupatas detinent, ad eas dimittendas censura ecclesiastica compellas: et easdem ecclesias de personis idoneis ordinans, praefatos archidiaconos pro tanta praesumptione, debita cures animadversione punire ». Huic iuri concordat *can. 1437* dicens: *Nemo*, qui sit collator, *potest* valide *beneficium* suae dispositionis *sibi* quamvis electo vel praesentato *ipse* per se vel per alium *conferre* collatione libera, confirmatione aut institutione.

339. **Subiectiva beneficiorum perpetuitas** sic decernitur in cap. 3 « de donationibus » X (III, 34): « Ita quod personae, quae iam dictas ecclesias possident, sine ipsorum assensu, eis in vita sua non debeant spoliari », seu ut explicat Alex. III in cap. 3 « de officio vicarii » X (I, 28) loquens de « vicario, quem in eadem ecclesia instituit (personatum habens illius ecclesiae), de assensu et auctoritate dioecesani Episcopi », quod non potest ab ecclesia removeri « nisi aliquid committat, propter quod per iudicem in vicaria sit vel beneficio condemnandus ». — Atque de provisis per institutionem sunt quoque duo similia praescripta: nam Alex. III ait cap. 9 « de iure patronatus » X (III, 38): « Absurdum videtur omnino, ut ad singulas patronorum secundum humanam conditionem mutationes, ecclesiarum ordinationes mutentur ». Et in cap.

unico « de capellis monachorum » (III, 18) in 6° legitur: « Presbyteri, qui ad curam populi per monachos in eorum ecclesiis praesentantur episcopis, et instituuntur ab ipsis, (cum debeant esse perpetui) ».

Ex huiusmodi textibus eruitur norma *can. 1438. Omnia beneficia* sive curata sive non curata, *saecularia,* nam quoad religiosa est aliter dicendum ob obedientiae votum, *ad vitam beneficiarii* de illis provisi, *conferenda sunt*, idest sunt « perpetua vel inamovibilia » (can. 1411, 4°), quin propter hoc renuntiatio vel amotio ex processu canonico, etc. sit impossibilis. Exceptiones dantur; videlicet: *nisi aliud ferat* quoad singula dicta beneficia a) *vel lex fundationis* propter contrariam conditionem semel admissam ad normam can. 1417, b) *vel consuetudo immemorabilis,* non sufficit ergo centenaria, c) *vel peculiare indultum* S. Sedis ad casum, vel in perpetuum, pro hoc beneficio vel pluribus.

340. **Incompatibilitas beneficiorum** in tota iuris canonici historia invenitur praescripta. Demum Conc. Trid. decrevit in cap. 4 sess. VII de Ref.: « Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendae perpetuae; aut alio quocumque nomine et titulo, contra formam sacrorum canonum et praesertim const. Innoc. III quae incipit *De multa* recipere, ac simul retinere praesumpserit; beneficiis ipsis, iuxta ipsius const. dispositionem, ipso iure, etiam praesentis canonis vigore, privatus existat ». Quae multiplex privatio nunc in aliam est mutata. — Cap. vero 17, sess. XXIV, De ref. reddit rationem praescripti: « cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum; sancte ss. canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi ».

Haec cautela fuit munita per clausulam inhabilitantem in *can. 1439. § 1. Nullus clericus,* non obstante gradu, dignitate, etc., etiamsi religiosus sit, *habilis est* proinde *ad* valide *acceptanda* prout oportet ex can. 1438, simul *et retinenda* per possessionem, *sive in titulum* sic ut fiat beneficiarius, *sive in commendam* perceptionis fructuum et administrationis *perpetuam* idest: non designato temporis limite, *plura beneficia* proprie dicta (can. 1409) *incompatibilia ad normam* dicitur *can. 156.* Huc pertinet regula iuris 40 in 6°: « Pluralis locutio duorum numero est contenta ».

Atque in can. citato firmum dicitur praescriptum can. 188, n. 3, scilicet: « ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus: ... 3°. Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit », imo « concessio alterius officii a Sede Apostolica facta non valet, nisi in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur, aut clausula derogatoria adiiciatur ».

Conc. Trid. in loco ultimo cit. sic prosequitur [1]: « Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quae bene constituta sunt, variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus,... praesenti decreto, quod in quibuscumque personis,... etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam eius cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Haecque, non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam saecularia, quam regularia quaecumque, etiam commendata pertineant, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant ». Hoc Decreti statutum plene viget, utpote implicitum in praesenti canone inhabilitante clericum, ut supra, et qui concordat cum Decreto quoad § 2. *Incompatibilia sunt* in eodem clerico *non solum*, utpote implicitum in can. 156, § 2, a) *duo* saltem *beneficia, quorum onera* ratione officii *universa idem beneficiarius* ratione utriusque *per se,* nec attenditur alterius clerici cooperatio, *implere simul* ea possidens *nequeat, sed etiam* ex hoc canone, b) *duo* saltem *beneficia* ratione dotis, eo quod dicitur: *quorum alterutrum* vel unum ex pluribus possessis *ad honestam ipsius* « beneficiarii » *sustentationem sufficiat.* In casu vero, quod sufficiens sit secundum collatum et pacifice possessum, eo ipso obtentum primo vacat.

Opportunum ducimus inserere ex [2] Dec.° « Redeuntibus » S. Congr. Consist.^{s} num.^{m} 9: « Denique attentis peculiaribus nostri temporis conditionibus, conceditur Ordinariis dioecesanis facultas ad quinquennium valitura, qua, exigente animarum necessitate, si de-

[1] Cap. 17, sess. XXIV de Ref. — [2] 25 Oct. 1918, CO. X, 484.

sint sacerdotes unicuique paroeciae proprii, committere possint uni eidemque sacerdoti curam duarum vel etiam trium paroeciarum, et transferre parochos a paroecia sua ad aliam magis centralem ex qua facilius succurrere possint fidelibus ipsorum curae commissis ».

341. **Prohibitae beneficii deminutiones.** Rubrica Tit. 12 in Lib. III Decretalium continebat hanc legem, quae in *can. 1440* translata est: « Ut *beneficia ecclesiastica sine deminutione conferantur* », verbo sumpto iuxta inscriptionem huius Capitis. Ideoque hic « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus est aestimandus ».

Deminutio beneficii habetur « quandocumque utile aufertur beneficio, vel onus quodlibet additur vel aggravatur, ita ut beneficium sit minus appetibile ». Iam vidimus prohibitiones huiusmodi statutas fuisse per huius Capitis canones. Sed in praesenti considerantur eaedem non perpetuo factae, sed occasione collationis beneficii et gravantes hunc vel alterum beneficiarium [1]. « Primus modus igitur est, si manentibus pro clerico iisdem iuribus, et reditibus beneficii, nova quaedam onera imponantur ex. gr. si beneficiario possessori instituendo obligatio imponatur legendi scripturam in Ecclesia, vel Missam celebrandi diebus et horis statutis ». Et S. Congr. Conc. respondit in Pisaurensi [2]: « ... oratorem obtinentem beneficium simplex... cum onere celebrandi Missas duobus diebus cuiuslibet hebdomadae, et aliquibus diebus festis, non posse cogi ab Episcopo pisaurensi ibidem celebrare vel celebrare facere certis diebus et horis per eumdem Episcopum pisaurensem praescriptis; sed tantummodo posse illum hortari ut celebret vel celebrare faciat ». In Florentina [3] eamdem dedit responsionem. — « Secundus modus est, si in collatione solutio aliqua seu praestatio exigatur pro una vice vel ad aliquod tempus ». Huc pertinet Dec. Conc. Trid.[1] in cap. 14, sess. XXIV de Ref.: « In pluribus ecclesiis, tam cathedralibus, quam collegiatis et parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur; ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicuius... beneficii, etc. certae conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae... inter-

[1] Santi: Praelectiones iuris can. Lib. III, Tit. XII, n. 2. — [2] 6 Apr. 1647, lib. Decret. 18, pag. 231. — [3] 18 Apr. 1863.

ponantur: haec cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut, quaecumque huiusmodi in usus pios non convertuntur,... fieri non permittant ». — Tertius modus habetur quando fructuum portio e beneficii reditibus separatur in alterius utilitatem. Huius causa deminutionis sic explicit can., quem commentamur, **1440**: *salvo praescripto can. 1429*, §§ *1*, *2* ibidem declarato, nempe: quod « Ordinarii locorum.., possunt, dum beneficium conferunt, (proinde cum can.* **1440** limitatione), ex iusta causa in ipso collationis actu exprimenda, eisdem (beneficiis quibuslibet, « paroecialibus autem non nisi » sub conditionibus §[1] 2[1]) imponere pensiones temporarias, quae durent ad vitam beneficiarii, salva huic congrua portione ».

342. **Declaratio simoniae quibusdam in casibus.** Conc. Trid. compleverat textum sequentibus verbis: « atque ingressus eos, qui simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem habent, fieri non permittant ». Efficacius loquitur *can. 1441. Tanquam simoniacae*, idest: comprehensae sub can. 727, § **1**, *reprobantur* secundum prop. 22 damnatam a Congr. S. Officii [1], a) *deductiones ex fructibus* primo anno vel successive percipiendis, *compensationes* praetextu alicuius incommodi, *ac solutiones* cuiuslibet taxae, vel « pro emolumento temporali, quod tibi collator conferre non tenebatur », dummodo b) *a clerico*, qui beneficio providetur, c) *in actu provisionis* seu ipsius occasione *faciendae*, *quae* d) *collatori* beneficii eiusdem, similiterve *patrono*, si illud iuris patronatus existat, *aliisve* sic intelligendis ex contextu, qui partem habeant in perficienda provisione, *cedant* utiliter, v. gr. ad debiti eorum remissionem. — Propositio citata est huius tenoris: « Non est contra iustitiam, beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur ».

Uti promisimus ad can. 1356 hic inserendum est authenticum responsum Commiss. Pont. ad canones auth. interpretandos [2]. « **16.** An in collatione paroeciarum non reservatarum possit Episcopus imponere pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarii, etiam si paroecia de qua, obnoxia sit tributo huic Instituto solvendo.

[1] 24 Sept. 1665. Denzinger, n. 1122. Ed. 1909. — [2] 16 Oct. 1919, CO. XI, 479.

Resp. Recurrendum esse in singulis casibus ad S. Congregationes competentes ». Quod dicitur ob territorii diversitatem, nempe: ad S. Congr. Conc. vel ad S. Congr. de Prop. Fide.

343. **Qualitas beneficii proviso congruens** statuitur servanda in *can. 1442*, non secus ac in Conc. Trid. decreto per illum extenso ad omnes religiosos: « Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, et professionem emittere teneantur et non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur ». Nunc viget illud cum sequenti moderamine: *Beneficia* quaelibet « manualia vel perpetua », sed *saecularia* (can. 1411, 4°, 2°) *nonnisi* a) *clericis* b) *e clero saeculari*, qualis non est religiosus « qui indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit » (can. 639), e contra est talis, « qui, impetrato saecularizationis indulto, religionem reliquit », salva in omni casu prohibitione canonis 642 sub §° 1°, n.° 1°, *conferenda sunt*, et quidem ad collationis validitatem iuxta beneficii naturam; idemque asserendum de secunda canonis parte: *religiosa* « beneficia » ut supra *sodalibus* saltem novitiis, qui « professionem emittere teneantur », dummodo servetur § 3 can.ⁱ 565, *illius religionis, ad quam beneficia* « religiosa » iuxta horum definitionem *pertinent*, « ita, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit et esse intelligatur », prout dixit Conc. Trid. [1].

344. **Necessitas missionis in possessionem beneficii** evidens fit ex cap. 18 « de praebendis et dignitatibus » (III, 4) in 6°, ubi Bonif. VIII decrevit: « Insuper ut violenti, qui auctoritate (vel verius temeritate) propria occupare dignitates, personatus, aut alia quaecumque ecclesiastica beneficia non verentur, et si non virtutis amore, poenae saltem formidine a suae temeritatis audacia refrenentur, eo ipso ius, si quod in dignitatibus, personatis et beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan, competebat, amittant ». Ius vero Codicis sic se habet in *can. 1443*. § *1. Nemo*, quod verbum nullam admittit limitationem, *possessionem* proprie dictam, seu actibus hanc demonstrantibus secundum ss. canones, *beneficii* proprie talis ad normam can. 1409, quamvis *sibi* vere *collati* libere

[1] Cap. 21, sess. XXV de Ref.

vel per confirmationem vel per institutionem rite peractas, a) *aut propria auctoritate,* quatenus haec auctoritatem legitimi ad hoc Superioris ecclesiastici excludat, *capiat,* b) *aut non emissa* praevie *fidei professione* iuxta formulam ante Codicis initium insertam, *si agatur* quoad hanc *de beneficiis pro quibus haec fidei professio* nunc ex can. 1406 vel pro tempore *praescripta sit.* Non secus vigebat immediate ante Codicem ex declaratione S. Congr. Consistorialis circa « Motu proprio » « Sacrorum Antistitum »[1]: « utrum adhuc maneat facultas facta a S. Concilio Tridentino, qua provisi de beneficiis quibuscumque, fidei professionem emittere possunt intra duos menses a die adeptae possessionis. Pius vero PP. X... mandavit ut respondeatur: « Negative », ac proinde in posterum fidei professionem emittendam esse ante possessionem beneficii ». — Quisnam sit legitimus Superior ad dandam possessionem beneficii nos edocet § *2. Si agatur de beneficiis* quamvis per S. Datariam provisis, sed *non consistorialibus,* nam de consistorialibus iam provisum est de voluntate Summi Pontificis ipso iure canonis 334, § 3, *missio in possessionem* auctoritative, *seu institutio corporalis* eo quod huius actibus perficitur possessio, ac taliter vocatur iste actus, ad secernendum illum ab institutione collativa tituli, de qua in cap. seq. et ab institutione authorizabili, qua designabant antiqui iuris periti approbationem parochi religiosi ad animarum curam exercendam. Illa ergo « institutio » semper *ad loci Ordinarium* (can. 189, § 2) *spectat,* etiam quoad beneficia religiosa paroecialia, *qui* tamen « Ordinarius loci » *ad id,* scilicet concedendam possessionem saltem factis *alium ecclesiasticum virum,* idest: « solum clericum » (can. 118) pro validitate *delegare* proprie *poterit,* quia de actu potestatis iurisdictionis agitur, vel saltem administrationis spiritualis cum illa intime coniunctae.

345. **Modus capiendi possessionem** sic statuitur generaliter in *can. 1444.* § *1. Missio in beneficii possessionem* iure Codicis non determinata, seu de qua in can. 1443, § 2, *fiat* ex canonis confirmatione communi *secundum modum* a) *iure peculiari* nempe: locorum et quoad diversa beneficia distinctum, cum obligatione *praescriptum,* b) *vel legitima* seu legis vim habente *consuetudine receptum, nisi iusta ex causa* seu proportionata non pro-

[1] 1 Mart. 1911. CO. III, 134.

libitu *Ordinarius* habens sequentem potestatem in illud ius, quamvis a Sede Aplca. conditum, *ab eo modo seu ritu* a) *expresse* b) *in scriptis* cum hac servanda forma *dispensaverit* proprie ad normam can. 82, 291, 81, pro legum diversitate: *quo in casu* tantummodo dispensationis, c) *haec dispensatio*, proinde cum illa forma, ut indubie constet, nam *locum tenet captae possessionis*, quae facto publico nota esset. Hoc praescriptum servandum est quoque in vicariis-curatis religiosis iuxta decisionem S. C. EE. et RR. in una Lincien. 13 Sept. 1861 [1].

Can. 188 decrevit: « ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus:... 2.° Intra tempus utile iure statutum, vel deficiente iure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit ». Istum canonem complet circa beneficia § *2. Loci Ordinarius* ad quem « missio in possessionem spectat » iuxta commentarium can.[i] 1443, § 2, tantummodo « deficiente iure » *praefiniat* sive per legem dioecesanam sive in singulis casibus *tempus* pro eius libito *intra quod* nempe: ab obtenta collatione *possessio beneficii* ad normam §[i] praec.[i] *capi debeat; quo* sic vel per ius determinato *inutiliter*, idest: absque effectu possessionis *praeterlapso* etiam « expleto ultimo die eiusdem numeri » ac primus computationis (can. 34, § 3, 3°), « beneficium vacat ipso facto ». sed *nisi iustum* seu proportionatum *obstiterit impedimentum,* seu « ita ut ignoranti aut agere non valenti non currat » (can. 35) praefatum tempus, iubet canon ut « Ordinarius » praefatus *beneficium vacare*, sicut revera evenit, *declaret*, ut notum fiat, non ut conditio vacationis, id est *ad normam can. 188, n. 2* initio huius §[i] relatam.

346. **Admissio procuratoris ad capiendam possessionem** habetur in cap. 24 « de praebendis et dignitatibus » (III, V) X secundum regulam 70 iuris in 6.°: « Qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum ». En textus illius cap.[i] « Accedens ad Apostolicam Sedem:... et infra. Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod clericus absens per alium, vel alius magis pro ipso, poterit de beneficio ecclesiastico investiri ». Sic observandum est in posterum, uti determinat *can. 1445. Possessio beneficii* de qua in can. 1443, § 1, ac proinde cuiuslibet, non autem appli-

[1] Collectanea ad usum Secretariae S. C. EE. et RR., pagg. 681-684.

catur idem « obligationi fidei professionem emittendi » (can. 1407) de qua in canone eodem, *etiam per procuratorem*, qui clericus sit oportet, ac *speciale mandatum* pro illa beneficii possessione *habentem*, de quo rite constet, *capi potest* valide atque licite, nec id ab Ordinariis prohiberi potest, utpote a iure concessum. Absentia vero beneficiarii a loco sumendae possessionis recte accipiatur uti conditio ad liceitatem usus procuratoris.

347. **Praescriptio beneficii possessi** statuta per regulam 36 Cancellariae Apostolicae depromptam ex Conc. Basileensi undequaque definitur in *can. 1446. Si clericus*, quia agitur de iuribus spiritualibus « quorum laici non sunt capaces » (can. 1509), *qui beneficium* proprie dictum (can. 1409) *possidet* proprie *probaverit* in iudicio *se in eiusdem beneficii* singularis de quo moveatur quaestio *possessione* a) *pacifice*, seu nullo contradicente forsitan extraiudicialiter, b) *per integrum triennium* sed continuum ac completum ab initio possessionis *fuisse*, c) *bona fide*, quia « nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur » (can. 1512), sic reiecta quorumdam auctorum sententia circa illam regulam, *etsi forte*, quia iste probandus non est, agitur enim de possessione, *cum titulo* ex qualibet causa *invalido*, una excepta, eo quod sequatur: d) *dummodo absit simonia* « iuris quoque ecclesiastici » (can. 727, § 2), *beneficium* illud *ex legitima* secundum ss. canones *praescriptione* in iudicio recognoscenda *obtinet*, quod aequipollet tituli convalidationi.

Quapropter si bona fides evanuerit solummodo post triennium, ut supra, adhuc praescriptum hoc sequendum esse putamus, quia sufficit ex can. 1512 ut « bona fide nitatur praescriptio, (ab) initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito ». Hoc tamen probandum esset, casu quo tempore iudicii abesset bona fides.

348. **De impetratione beneficii pacifice possessi** extabat regula 35ª Cancellariae Apostolicae, quam firmaverat et ampliaverat sua const.ᵉ « Sanctissimus » Paulus III [1] « attendens malitiis hominum non esse indulgendum, sed potius obviandum, ac volens ipsorum beneficia obtinentium quieti et securitati providere ». Illi « Codex opportunas immutationes attulit » (can. 6) sub *can. 1447*.

[1] 11 Dec. 1541.

Qui beneficium postulat, ut plurimum apud S. Sedem vel ab Ordinario, *ab alio* clerico *pacifice* seu absque controversia *possessum*, quin tempus possessionis praecedens postulationi determinetur, *quod beneficium certo modo*, sive defectu invalidae concessionis, sive ob supervenientem causam amissionis beneficii ipso iure, *vacare* de iure *contendat* postulans illud, *debet in supplici libello* extraiudiciali *exprimere*, ita ut « reticentia singulorum sit subreptio » (can. 42, § 1), a) *nomen possessoris*, seu quo hic bene distinguatur, idest: nomen et agnomen, b) *tempus possessionis*, nam « per integrum triennium ex legitima praescriptione obtinet » possidens illud ex can. praec., *et* c) *causam specialem* iuridice *ex qua constet nullum possessori in eo beneficio, ius competere*, idest: illum valido titulo in praesentiarum destitui; *beneficium autem* illud *postulanti*, illis omnibus quoque impletis, *conferri non potest* licite nec valide ob favorem possessionis, *nisi prius causa in petitorio* iudicio fuerit *ad normam iuris* per longum digesti in Parte prima sub Lib. IV *definita* per sententiam equidem declarantem « nullum possessori in eo beneficio ius (etiam ex legitima praescriptione) competere ».

Consectarium. Canones praecedentes in hoc Capite regulas beneficiales Cancellariae Apostolicae vel retinent vel immutatas referunt. Hinc confirmatur quod de his et aliis iudicialibus docuimus in num. 34 Introductionis in hoc Commentarium.

CAPUT IV.

De iure patronatus.

Can. 1448. - Ius patronatus est summa privilegiorum, cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessione competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae aut beneficii, vel etiam eis qui ab illis causam habent.

Can. 1449. - Ius patronatus est:

1.° *Reale*, vel *personale*, prout alicui rei cohaeret vel directe ad personam spectat;

2.° *Ecclesiasticum*, *laicale*, *mixtum*, prout titulus, quo quis iure patronatus potitur, est ecclesiasticus, vel laicalis, vel mixtus;

3.° *Hereditarium*, *familiare*, *gentilitium*, *mixtum*, prout transit ad heredes, vel ad eos qui de familia aut gente sunt fundatoris, vel ad eos qui simul sunt heredes et de familia vel gente fundatoris.

Can. 1450. - § 1. Nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide poterit.

§ 2. Loci autem Ordinarius potest:

1.° Fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias exstruxerint vel beneficia fundaverint, spiritualia suffragia, eorum liberalitati proportionata, concedere vel ad tempus vel etiam in perpetuum;

2.° Fundationem beneficii admittere ea adiecta conditione, ut beneficium prima vice conferatur clerico a fundatore designato.

Can. 1451. - § 1. Curent locorum Ordinarii ut patroni, loco iuris patronatus quo fruuntur aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve accéptent.

§ 2. Si patroni id noluerint, eorum ius patronatus canonibus qui sequuntur, regatur.

Can. 1452. - Electiones ac praesentationes populares ad beneficia etiam paroecialia, sicubi vigent, tolerari tantum possunt, si populus clericum seligat inter tres ab Ordinario loci designatos.

Can. 1453. - § 1. Ius patronatus personale transmitti valide nequit ad infideles, publice apostatas, haereticos, schismaticos, adscriptos societatibus secretis ab Ecclesia damnatis, nec ad quoslibet excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

§ 2. Ut ad alios ius patronatus personale transmitti valide possit, requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus. salvis legibus fundationis itemque praescripto can. 1470, § 1, n. 4.

§ 3. Si res, cui ius patronatus reale cohaeret, ad aliquam personam de qua in § 1 transeat, ius patronatus suspensum manet.

Can. 1454. - Nullum ius patronatus admittatur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur.

Can. 1455. - Privilegia patronorum sunt:

1.º Praesentandi clericum ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans;

2.º Salva exsecutione onerum et honesta beneficiarii sustentatione, alimenta ex aequitate obtinendi ex ecclesiae vel beneficii reditibus, si qui supersint, quoties patronus ad inopiam nulla sua culpa redactus fuerit, etiamsi ipse iuri patronatus renuntiaverit in commodum Ecclesiae, vel pensio in limine fundationis ipsi patrono fuerit reservata, quae ad sublevandam eius inopiam non sufficiat;

3.º Habendi, si ita ferant legitimae locorùm consuetudines, in sui patronatus ecclesia stemma gentis vel familiae, praecedentiam ante ceteros laicos in processionibus vel similibus functionibus, digniorem sedem in ecclesia, sed extra presbyterium et sine baldachino.

Can. 1456. - Uxor per seipsam ius patronatus exercet, minores per parentes aut per tutores; quod si parentes vel tutores acatholici sint, ius patronatus interim suspensum manet.

Can. 1457. - Praesentatio, nullo iusto obstante impedimento, sive agatur de patronatu laicali sive de ecclesiastico et mixto, fieri debet, nisi brevius tempus lege fundationis vel legitima consuetudine praescriptum fuerit, saltem intra quatuor menses a die quo is, cui ius est instituendi, patronum certiorem fecerit de vacatione beneficii et de sacerdotibus qui in concursu fuerunt probati, si agatur de beneficio quod per concursum conferri debet.

Can. 1458. - § 1. Si intra praescriptum tempus praesentatio facta non fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis.

§ 2. Si vero lis, quae intra utile tempus dirimi nequeat, exoriatur sive circa ius praesentandi inter Ordinarium et patronum vel inter ipsos patronos, sive circa ius praelationis inter ipsos praesentatos, suspendatur collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat.

Can. 1459. - § 1. Si plures singulares personae sint patroni, possunt tum pro se tum pro suis successoribus de alternis praesentationibus inter se convenire.

§ 2. Ut autem haec conventio sit valida, accedat oportet Ordinarii consensus in scriptis datus, qui tamen semel praestitus nequit valide ab eodem Ordinario vel eius successoribus, patronis invitis, revocari.

Can. 1460. - § 1. Si ius patronatus collegialiter exerceatur, ille praesentatus habeatur, qui maiorem suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1; quod si, duobus scrutiniis sine effectu institutis, in tertio scrutinio plures maiorem prae ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum numerum habuerint, ii omnes praesentati censeantur.

§ 2. Si ius patronatus penes singulares personas sit, quae inter se de al-

ternis praesentationibus non convenerint, ille praesentatus habeatur, qui maiorem saltem relative suffragiorum numerum retulerit; et si plures eundem, maiorem quam ceteri, suffragiorum numerum habuerint, omnes censeantur praesentati.

§ 3. Qui ex diversis titulis ius patronatus obtinet, tot habet in praesentatione suffragia, quot titulos.

§ 4. Quilibet patronus, antequam praesentatio acceptetur, non unum tantum, sed plures praesentare potest, tum una simul tum etiam successive, intra tempus tamen praescriptum, modo illos ne excludat quos prius praesentavit.

Can. 1461. - Nemo potest praesentare seipsum neque aliis patronis accedere ut suffragiorum numerum ad praesentationem necessarium pro se compleat.

Can. 1462. - Si ecclesiae vel beneficio provideri debeat per concursum, patronus, etiam laicus, non potest praesentare, nisi clericum legitime ex concursu probatum.

Can. 1463. - Persona praesentata debet esse idonea, idest, ipso praesentationis vel saltem acceptationis die, qualitatibus omnibus praedita, quae iure seu communi seu peculiari vel lege fundationis requiruntur.

Can. 1464. - § 1. Praesentatio fieri debet loci Ordinario, cuius est iudicare utrum idonea sit persona praesentata.

§ 2. Ordinarius ad suum formandum iudicium, debet ad normam can. 149 de persona praesentata diligenter inquirere et opportunas notitias, etiam secretas, si opus fuerit, assumere.

§ 3. Ordinarius non cogitur patrono patefacere rationes cur personam praesentatam admittere non possit.

Can. 1465. - § 1. Si praesentatus non idoneus fuerit repertus, patronus, dummodo tempus utile ad praesentandum sua negligentia lapsum ne sit, potest alium intra tempus de quo in can. 1457 praesentare; sed si ne hic quidem idoneus repertus fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis, nisi patronus vel praesentatus intra decem dies a significatione recusationis recursum a iudicio Ordinarii ad Sedem Apostolicam interposuerit; quo pendente, suspendatur collatio usque ad finem controversiae et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat.

§ 2. Praesentatio, labe simoniaca infecta, est ipso iure irrita, et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit.

Can. 1466. - § 1. Legitime praesentatus, et idoneus repertus, acceptata praesentatione, ius habet ad canonicam institutionem.

§ 2. Ius concedendi canonicam institutionem proprium est Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.

§ 3. Si plures et omnes idonei praesentati sint, Ordinarius eligit quem magis idoneum in Domino iudicaverit.

Can. 1467. - Institutio canonica pro quolibet beneficio etiam non curato dari debet, nullo iusto obstante impedimento, intra duos menses ex quo praesentatio facta sit.

Can. 1468. - Si praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit vel mortuus fuerit, patronus rursus ius praesentandi habet.

Can. 1469. - § 1. Onera seu officia patronorum sunt:

1.° Ordinarium loci monere, si bona ecclesiae seu beneficii dilapidari viderint, quin tamen se immisceant administrationi eorundem bonorum;

2.° Aedificare denuo ecclesiam collapsam aut reparationes, iudicio Ordinarii, necessarias in eadem facere, si ex titulo aedificationis ius patronatus habeant, et nisi onus aedificandae denuo vel reparandae ecclesiae aliis incumbat ad normam can. 1186;

3.° Supplere reditus, si ex titulo dotationis ius patronatus proveniat, cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint, ut nequeat amplius vel cultus decenter in ecclesia excerceri, vel beneficium conferri.

§ 2. Si ecclesia collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus defecerint ad normam § 1, nn. 2, 3, ius patronatus interim quiescit.

§ 3. Si patronus, intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patro-

Caput IV. De iure patronatus.

- notio — Can. 1448
- canonicae divisiones — » 1449
- ante Codicem
  - nondum orto prohibitio irritans — » 1450
  - derelinquendo vel subiiciendo novis legibus — » 1451
  - existente
    - quoad electiones ac praesentationes populares — » 1452
    - transmittendo — » 1453
    - probando — » 1454
    - privilegia
      - patronorum — » 1455
      - quoad ius praesentandi
        - per quem exercendum — » 1456
        - intra tempus
          - determinatum — » 1457
          - ad quid vitandum — » 1458
        - si plures patroni
          - alternatim — » 1459
          - quocum effectu — » 1460
        - clericum
          - a patrono distinctum — » 1461
          - ex concursu probatum — » 1462
          - idoneum — » 1463
        - loci Ordinario — » 1464
        - iterato vel non — » 1465
    - ius praesentati a patrono
      - quodnam, ac ius in Ordinario — » 1466
      - intra quod tempus satisfaciendum — » 1467
      - quando perseverat idem — » 1468
    - onera patronorum — » 1469
    - et quotuplici exstinctioni subiecto — » 1470
- undenam hoc non oritur — » 1471

natus praefiniendum, ecclesiam denuo aedificaverit vel restauraverit aut reditus auxerit, ius patronatus revigescit; secus ipso iure et sine ulla declaratione cessat.

Can. 1470. - § 1. Praeter casum de quo in can. 1469, § 3, ius patronatus extinguitur:

1.° Si patronus iuri suo renuntiaverit; eius tamen renuntiatio ex integro fieri potest aut ex parte; numquam vero potest aliis compatronis, si qui sint, damnum afferre;

2.° Si Sancta Sedes ius patronatus revocaverit aut ipsam ecclesiam vel beneficium perpetuo suppresserit;

3.° Si contra ius patronatus legitime praescriptum fuerit;

4.° Si res, cui ius patronatus inhaeret, pereat, aut extinguatur familia, gens, linea cui secundum tabulas fundationis reservatur; quo in altero casu nec ius patronatus hereditarium evadit, nec Ordinarius valide permittere poterit donationem iuris patronatus alii fieri;

5.° Si, consentiente patrono, ecclesia fiat electiva vel regularis;

6.° Si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentaverit; si lapsus fuerit in apostasiam, haeresim aut schisma; si bona ac iura ecclesiae vel beneficii iniuste usurpaverit aut detineat; si rectorem vel alium clericum ecclesiae servitio addictum aut beneficiarium per se vel per alios occiderit vel mutilaverit.

§ 2. Propter crimina de quibus in § 1, n. 6, ius patronatus amittit solus patronus reus et, ob delictum postremo memoratum, eius quoque heredes.

§ 3. Ut ex delictis enumeratis in § 1, n. 6, patroni censeantur ius patronatus amisisse, requiritur et sufficit sententia declaratoria.

§ 4. Censura aut infamia iuris innodati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, usque dum censura vel infamia perdurant, nequeunt ius patronatus exercere eiusque privilegiis uti.

Can. 1471. - Si cui Sedes Apostolica sive in concordatis sive extra concordata indultum concesserit praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, non inde ius patronatus oritur, et privilegium praesentationis strictam interpretationem pati oportet ex tenore indulti.

349. **Inscriptio Capitis** est eadem Rubrica tit. 38 Lib. III Decretalium Gregorii IX. Modus practicae adhuc utilitatis et magni momenti, quo limitatur quandoque iuxta leges sacras ius providendi beneficia in ecclesiastico Superiore est praesentatio clerici necessario providendi facta, et hinc praecedenti Capiti sequens coniungitur inscriptum *De iure patronatus*. Nam haec verba sumi possunt pro iure praecipuo quod est concessum patrono ab Ecclesia, sed eadem inscriptioni inserta ampliori significatione praedita sunt, sicut patebit ex can. 1448. Priori significatione definitur ius patronatus: « Ius ab Ecclesia datum praesentandi Praelato clericum idoneum necessario instituendum ad beneficium ecclesiasticum vacans ».

350. **Ordo canonum** incipit tradendo pleniorem conceptum iuris patronatus, quem sequitur canon edicens necessarias scitu illius divisiones. Post notabilem immutationem huius instituti pro tempore futuro statutam in can. 1450, de iure patronatus antea existente loquitur in genere can. 1451, et leges illius proponuntur per canones sequentes, praemisso can. 1452 de electionibus ac praesentationibus popularibus, si alicubi existant. De iure patronatus igitur

transmittendo loquitur can. 1453, de eodem probando can. 1454, ac quotuplici exstinctione ius praedictum cesset in can. 1470 edicitur. Huic subsequitur ultimus can. 1471 edocens undenam ius patronatus non oriatur, quamvis aliquod huius privilegium sit concessum, atque inter canones 1454 et 1470, primo patronorum privilegia omnia recensentur, sicut in can. 1469 onera seu officia. De iure praesentandi peculiariter agunt canones 1456-1465, quemadmodum ex consequenti ius praesentati a patrono per can. 1466-1468 est moderatum.

351. **Ius patronatus,** de quo agetur sub hoc Capite, definit *can. 1448* edicens: *Ius patronatus est summa* ad innuendum pluralitatem ac coniunctionem eorum, quibus componitur, *privilegiorum,* utpote facultatum moralium, *cum quibusdam oneribus,* eo quod leviora sunt ac potius negativa, *quae* privilegia *ex Ecclesiae concessione* in iure antiquo expressa, « non cuiusvis privilegii praetextu » (Conc. Trid., cap. 13, sess. XIV) *competunt* tanquam subiecto a) *fundatoribus* sic dictis propter bona quae dederunt, *catholicis*, nam agitur de iuribus christianorum, dum illa bona deservierunt ad aedificationem *ecclesiae,* « eodemque iure oratoria publica reguntur » (can. 1141, § 1), *cappellae* intelligendae proprie uti est pars illius, *aut* ad dotationem tum alteriusutrius tum *beneficii* ad normam can. 1410, b) *vel etiam,* scilicet post fundatores *eis qui ab illis* qua talibus *causam* derivationis iuris patronatus *habent.*

352. **Iuris patronatus divisiones,** quae in hoc capite ex antiquo iure memorantur, sunt a legislatore explicatae in *can. 1449. Ius patronatus,* quamvis pro eiusdem natura a personis possideatur et exerceatur, *est:* — *1°* propter rationem qua illud sibi vindicant, *reale, vel personale,* non secus ac privilegia in genere, *prout alicui rei inhaeret* accessorie ita ut possessori eius obveniat, *vel directe* sine alicuius rei possidendae intuitu *ad personam spectat,* qualitercumque originem illud habuerit.

Quia ius canonicum statuit iuris patronatus concessionem in testimonium gratitudinis erga fideles, qui determinata bona ecclesiis aut beneficiis contulerunt, ex horum bonorum natura distinguitur ortum inde ius patronatus *2° Ecclesiasticum*, *laicale*, *mixtum, prout titulus*, seu motivum originarium *quo quis iure* singulari *patronatus potitur* iure, *est ecclesiasticus*, *vel laicalis, vel mixtus;*

prouti nempe illa bona erant ecclesiastica, vel e contra pars erant patrimonii fidelis benevoli, sive constabant ex utrisque.

Ius patronatus sic acceptari potuit a fundatore ut eiusdem morte extinguatur, vel e contra si est laicale, potest ordinario ad alios transire, et hinc secundum derivationem est 3.º *Hereditarium, familiare, gentilitium, mixtum, prout transit* respective *ad heredes* « fundatoris », *vel ad eos qui de familia,* nempe ad consanguineos descendentes, *aut gente sunt fundatoris,* videlicet: si ad potiendum eo iurepatronatus admittantur etiam consanguinei collaterales prioris patroni, *vel ad eos qui sunt heredes,* ut in primo, *et de familia vel* saltem ut supra de *gente fundatoris,* seu primi patroni.

Hae divisiones respiciunt ius patronatus privatum, competens nempe personis physicis aut moralibus, sive laicae sint sive ecclesiasticae, cui contradistinguitur ius patronatus regium, quod a Regibus, vel supremis Magistratibus obtentum est ex Aplco. privilegio, fortassis nixo in donationibus vel fundationibus munificentia regia perfectis.

353. **Modus acquirendi originarie ius patronatus** est ille quo istud oritur primo ob aliquam causam a iure canonico recognitam uti productivam eius. Tres erant in iure antiquo hi modi, scilicet: fundatio, constructio et dotatio. — De constructione habemus textum in Decretalibus [1]: « Nobis fuit... si quis ecclesiam cum assensu dioecesani construxit, ex eo ius patronatus acquirit ». — De dotatione extat Dec. Conc. Trid. [2]: « Nemo, etiam cuiusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium aut capellam (non aliter ac supra in can. 1448 dicitur competere ius patronatus), de novo fundaverit et construxerit, seu iam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit; ius patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat ».

De fundatione cavetur etiam in hoc capite, et quamvis videatur per se solam non sufficere sed cum constructione ob coniunctivam particulam, haec tamen accipi debet disiunctive sicut in aliis ss. canonibus; tum quia ex Decretalibus sufficit constructio, atque ius illud viget non revocatum expresse a Conc. Trid., cum

[1] Cap. 25, « de iurepatronatus » 38, Lib. III. X. — [2] Cap. 12, sess. XIV de Ref.

vitanda sit correctio iurium, tum eo magis dicta interpretatio est sustinenda, quia de sola fundatione loquitur aliud eiusdem Conc.[1] Decretum [1] his verbis: « decernit S. Synodus, ut titulus iuris patronatus sit ex fundatione vel dotatione ».

Proprie fundat ecclesiam, qui dat fundum, idest: agrum vel solum, ut ibidem ecclesia aedificari possit; ecclesiam vero construere dicitur is, cuius sumptibus ecclesia de Ordinarii assensu erigitur, denique dotat ecclesiam, cappellam aut beneficium, qui ecclesiae dote carenti reditus assignat donatque ad conservationem ipsius sufficientes necnon ad divinum cultum per ministros, aut beneficiario congruam in perpetuum praebet sustentationem.

Si unus idemque benefactor illas tres causas praebuit absque dubio ius patronatus acquisivit, dummodo huic expresse non renuntiaverit, prout arguitur ex cap. 41, tit. XX, Lib. II. Imo ss. canones disiunctive loquuntur de illis causis singulis velut sufficientibus ad ius patronatus acquirendum, quin ullo modo exigant alias eiusdem causas inveniri debere in aliis vel eisdem personis. Hinc Doctores contrarium asserentes loqui videntur adversante vel non suffragante iure.

354. **Derogatio huic iuri per Codicem** facta est in *canone 1450. § 1. Nullum patronatus* proprie dicti *ius*, de quo in iure antiquo et infra sub aliis canonibus fit sermo, *ullo titulo* ex dictis aut reconstructionis vel redotationis, *constitui* nempe originarie *in posterum,* vigente Codice, *valide potest.*

In Pontificali Romano sub titulo « de ecclesiae dedicatione seu consecratione » legitur: « Pontifex ad fundatorem dicat (sub quo nomine dotans ecclesiam ex contextu venit)...: Et, ut intelligas, qualem tibi atque haeredibus tuis honorem et commoditatem exhibet Ecclesia, scias, ut gratitudinem ipsam ad fundatores ostendat, quod a Sanctis Patribus statutum est, in diei dedicationis anniversario solemni, fundatores et eorum haeredes in processionibus primos esse debere; (quae « liturgica lex vim suam retinet » can. 2, ut videtur), et si casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione, (et hoc ex motivo, non ex debito stricto, adhuc in veritate dicendum), Ecclesia fundatoris piam liberalitatem recognoscit ».

Praeter ea igitur atque « ut gratitudinem suam ad fundatores

[1] Cap. 9 sess. XXV de Ref.

ostendat » Ecclesia, positus fuit § *2. Loci autem Ordinarius* (canon 198, § 2) seu non obstante §° 1° *potest:*

1° *Fidelibus* tantum, exclusis extra Ecclesiam manentibus, *qui ex toto* ut in iure antiquo *vel ex parte* notabili *ecclesias* ad normam can. 1161 et 1191 § 1 *exstruxerint*, sub quo ut praerequisitum subintelligitur fundi ad aedificationem donatio, *vel beneficia fundaverint,* quamvis patroni proprie dici nequeant iure, *spiritualia suffragia*, scilicet orationes aut functiones pro eisdem vivis aut defunctis, *eorum liberalitati* etiam quoad dotandas ecclesias *proportionata* iudicio illius, *concedere,* quas exequi teneantur rector beneficiariusve, *ad tempus* illi benevisum *vel etiam* quandoque *in perpetuum;*

2° *Fundationem* taxative *beneficii admittere* ad normam canonis 1417, § 1 *ea adiecta conditione* « iuri §[i] 1[i] contraria », *ut beneficium* hoc singulare *prima vice* tantum, et sic vitatur huiusmodi perpetua iurisdictionis ecclesiasticae exercitii coarctatio, *conferatur,* salva requisita idoneitate, *clerico* propter can. 118 *fundatori vel alii clerico a fundatore,* qui an laicus vel clericus sit parum refert, *designato.* Quae designatio vim habet attributam ex can.[i] cit.[i] §° 2°.

355. **Quoad ius patronatus ante Codicem** ortum praescribit *can. 1451*, ut praec.[i] canonis mens pro posse in praxim deducatur. § *1. Curent locorum Ordinarii* duce prudentia proponentes ac hortantes *ut patroni* proprie dicti, *loco iuris patronatus* definiti in can. 1448 *quo fruuntur* originarie vel ex derivatione secundum antiquum ius, *aut saltem pro iure praesentandi,* retentis igitur aliis privilegiis ad normam can. 1455, *spiritualia suffragia* in can. praec. § 2°, n. 1° declarata, sed ex canone praesenti *etiam perpetua pro se suisve,* ad quos nempe ius patronatus descenderet, *acceptent* equidem cum libertate.

Hoc postremum innuit § *2. Si* actuales *patroni* ut supra *id noluerint, eorum ius patronatus* ante Codicem enatum *canonibus* tantum *qui sequuntur, regatur.* Hi ergo vigent solum pro iure patronatus proprie tali ac saltem partialiter non renunciato.

356. **Tolerantia cuiusdam interventus** fidelis populi quoad ministrorum designationem decernitur *can.*[e] *1452. — Electiones* improprie dictae in iure canonico *ac praesentationes,* prout alterutri modo designandi beneficiarium accedant, *populares* scilicet: a fideli

populo vel ab eius repraesentante civili, v. gr. a municipio factae de clericis *ad beneficia* simplicia vel *etiam paroecialia* seu « curata » (can. 1411, 3°, 5°), *sicubi* de facto *vigent,* quia in iure antiquo non fundatae, *tolerari tantum possunt,* quin approbentur, *si populus* per se vel eius repraesentantes *clericum* (can. 118) *seligat* taxative *inter tres ab Ordinario loci designatos* praevie, non in minori numero. Alioquin illae implicite reprobantur: unde sive factae de clerico non designato, ut supra, sive de novo inducendae praetexerentur.

357. **Subiectum iuris patronatus** pro huius diversitate in « reale aut personale » (can. 1449, 1°) determinatur secundum praecedentem disciplinam in *can. 1453. § 1. Ius patronatus personale* semel obtentum *transmitti* iure vel contractu v. gr. donationis *valide nequit,* eo quod inhabiles fiant sequentes personae, et quidem rationabiliter, quia illud « ex Ecclesiae concessione competit » atque natura sua est spirituale saltem quoad praecipuum privilegium « praesentandi clericum » (can. 1455, 1°). « Nequit » ergo derivari a) *ad infideles,* tum sine « baptismate », tum in quibus « obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens » (can. 87), *publice* ob divulgationem saltem futuram facile quoad singulos delinquentes b) *apostatas,* c) *haereticos,* d) *schismaticos* proprie ut definiuntur in can. 1325, § 2, e) *adscriptos* ob nomen saltem factis datum *societatibus* propter voluntariam coalitionem hominum in aliquem finem, solummodo *secretis* saltem quoad earum praxes *ab Ecclesia damnatis* vel singulariter vel inter alias comprehensis, *nec* f) *ad quoslibet* idest: qualibet de causa *excommunicatos* a iure vel ab homine sed *post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam* in singulos postremos latam, quae in Lib. V erit explicanda. Illi ergo sub litteris b)-f) sunt inhabiles ad ius patronatus dum tales sunt, seu usque ad conversionem perfectam vel excommunicationis legitimam absolutionem.

In Decretalibus Greg. IX dicitur [1]: « Nullus laicus decimas, aut ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici iuris est, *sine concessione sui Pontificis,* monasteriis vel canonicis conferat ». Atque Lucius III sanxit: « Contractus quoque huiusmodi (scilicet: « donationis vel emptionis titulo, aliisque *pro sua voluntate* contractibus ») quos

[1] Cap. 17, tit. XXXVIII, Lib. III.

(sive patroni) fecerunt vel facient in futurum, vim aliquam decernimus non habere ». Non secus statuit § *2. Ut ad alios,* clericos vel laicos, mares vel feminas, puberes vel impuberes, personas physicas vel morales, sed non inhabiles ex § 1°, *ius patronatus personale* ibidem declaratum *transmitti* per contractum *valide possit*, est ergo « irritans lex » (can. 11), *requiritur* a) *consensus Ordinarii* loci ex contextu, non secus ac in iure citato, nec sufficit verbotenus, sed « requiritur » ut supra quod sit *in scriptis datus*, *salvis legibus fundationis* quae fortassis obstent huic transmissioni vel eam per aliquem modum limitent, *itemque* salvo *praescripto can. 1470*, § *1, n. 4,* scilicet: « si exstinguatur familia, gens, linea cui secundum tabulas fundationis (ius patronatus) reservatur,... nec Ordinarius valide permittere poterit donationem iuris patronatus alii fieri ».

§ *3. Si res, cui ius patronatus reale* secundum huius definitionem *cohaeret, ad aliquam personam de qua in* §° *1°* data fuit quoque explicatio *transeat,* quamvis modo legitimo, *ius patronatus* non cessat, sed ob inhabilitatem personae quoad ius, istud *suspensum manet* quoad eius exercitium.

358. **Necessitas probandi ius patronatus** fuit omnino asserta in Dec.° S. Conc.[1] Trid.[1] his verbis [1]: « Sicuti legitima patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, aequum non est: sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus iuris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, et aliis a iure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. In his vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria, praesentationes etiam continuatae, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum

[1] Cap. 9, sess. XXV de Ref.

sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis... seu facultates et privilegia concessa... in totum prorsus abrogata, et irrita cum quasi-possessione inde sequuta intelligantur: beneficiaque huiusmodi tanquam libera a suis collatoribus conferantur... ».

Iuri Tridentino concors est *can. 1454. Nullum* singulatim *ius patronatus* proprie ad normam can. 1448 *admittatur* cum effectu iuris, *nisi* a) *authenticis documentis,* quae uti « publica fidem faciunt » (can. 1816), *aut* b) *aliis legitimis* iuxta ss. canones *probationibus,* quae disci queunt ex tit. IX, Lib.[1] IV, et inter quas sunt « multiplices praesentationes per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat », *evincatur* saltem extraiudicialiter sive quoad modum originarium sive quoad causam derivationis in actualem patronum. Secus « beneficia tam saecularia quam regularia, seu parochialia, vel dignitates, aut quaecumque alia beneficia, in cathedrali, vel collegiata ecclesia, ...tanquam libera (ex hac parte)... conferantur, ac provisiones huiusmodi plenum effectum consequantur » (loc. cit. Conc. Trid.) nec sequentia privilegia cuiquam personae attribuantur.

359. **Ius patronatus evolvitur** complete atque secundum praecedentem disciplinam in *can. 1455. — Privilegia patronorum* proprie dicta, utpote favores his exclusive concessi ab ecclesiastico iure *sunt:*

1° tanquam praecipuum *Praesentandi* cum designatione *clericum* de necessitate ob canonem 118, vel tanquam rectorem *ad ecclesiam vacantem* sui patronatus, *vel* ut obtineat *beneficium* de iure *vacans*, cuius sit patronus. Sic legitur in cap. 25 huius tituli in Decretalibus: « Secus tamen (ac in conventuali ecclesia) est in cappella: in qua unus Presbyter a patrono eligitur, et pro institutione habenda, loci Episcopo praesentatur ».

Prosequitur Clemens III in cit. cap.: « Pro fundatione quoque ecclesiae honor processionis fundatori servatur: et si ad inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succurritur, sicut in sacris est canonibus constitutum ». His igitur secundum Doctorum interpretationes praecedentium congruit noster canon sub n.° *2*°. *Salva* a) *exsecutione onerum* spiritualium, quae temporalia nonnumquam requirunt, *et* b) *honesta beneficiarii sustentatione,* quia ex reg. iuris 55 in 6°: « Qui sentit onus sentire debet commodum, et e contra »,

« privilegium patroni est » *alimenta* seu vitae necessaria *ex aequitate* propter Ecclesiae gratitudinem *obtinendi ex ecclesiae vel beneficii reditibus*, prouti alterutrius patronatus ius habet, ac primo detractis expensis ex clausula sub littera a), seu *si qui supersint*, etiam ob litteram b), *quoties*, ac proinde dum sequens necessitas perduret, *patronus* tantum a) *ad inopiam* idest: illorum defectum b) *nulla sua culpa*, secus misericordiam non meretur, *redactus fuerit*, sed hac conditione posita, viget praescriptum, *etiamsi ipse* supple: fundator « ecclesiae vel beneficii » a) *iuri patronatus*, quo frui poterat, ab initio vel postea *renuntiaverit*, nam « privilegio in sui tantum favorem constituto quaevis persona privata renuntiare potest » (can. 72, § 2), *sed in commodum Ecclesiae*, quatenus provisio ecclesiae vel beneficii libera fiat, *vel* b) *pensio in limine fundationis*, quod fieri posse licite hic supponitur, *ipsi patrono* qua tali, idest: sibi ac successoribus iuris patronatus, *fuerit*, uti conditio fundationis, *reservata, quae* tamen *ad sublevandam eius* actualem *inopiam* de qua supra *non sufficiat*. Unde sequitur pensionem illam constitui posse maiorem vel minorem, dummodo « naturae beneficii non repugnet » (can. 1417, § 1) eo quod « beneficio congruam dotem » non relinqueret (can. 1415, § 1). Et haec vocantur iura patronorum utilia.

Iura ipsorum honorifica sub n.° *3*° recensentur: *Habendi* nempe, sed pro eorum natura *si ita ferant legitimae* seu iuxta ss. canones *locorum* diversae *consuetudines*, a) *in sui patronatus ecclesia*, quo eodem iure « oratoria publica reguntur » (can. 1191, § 1), *stemma gentis vel familiae* utriusque declaratae in can. 1449, 3°, quod Romae in illius facie affigitur, b) *praecedentiam ante ceteros laicos* secundum ea quae diximus ad can. 119, *in processionibus* quibuslibet, v. gr. in potiori loco post clerum associantem imaginem aut Ssmum. Sacramentum, *vel similibus* propter liturgicam sollemnitatem intra ecclesiam *functionibus*, c) *digniorem* ratione loci et qualitatis *sedem in ecclesia* iuris patronatus, *sed* cum sequenti limitatione *extra presbyterium* iuxta illud cap. 1 « de vita et honestate clericorum » (III, 1) ex Conc. Moguntino: « ut laici secus altare quando sacra mysteria celebrantur, stare vel sedere inter clericos non praesumant. Sed pars illa, quae cancellis ab altari dividitur, tantum psallentibus pateat clericis », *et sine baldachino*. « Cum enim pluries S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, declarave-

rit: Nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum saecularibus, etiam Praesidi, in celebratione Missarum; necnon ipsis prohibuerit usum Baldachini, ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio; Emmi. et Rdmi. Domini S. R. praepositi mandarunt, ut Decreta haec renoventur », per Dec. Generale sub die 13 Martii 1688 [1].

360. **Exercitium iuris patronatus** moderatur quoad personam patroni *can. 1456.* — *Uxor,* idest mulier, non obstante maritali potestate, *per seipsam ius patronatus* sibi competens *exercet* etiam quoad privilegium sub n.° 1° can.is 1455, quod supponitur in cap. 16 « de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis » (III, 8) in quo reprobatur contrarius abusus. Sic enim ait Honorius III: « Cum dilecta in Christo filia comitissa Flandren. fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis ecclesiarum, in quibus ius obtinet patronatus: et donationes eorum in manibus posuerit alienis: Mandamus, quatenus id irritum decernentes, inhibeatis eidem, ne similia de caetero attentare praesumat ». — Prosequitur canon: *minores* seu « infra aetatem » 21 annorum (can. 88, § 1) ad normam can. 89 « ius patronatus exercent » *per parentes aut per tutores,* quorum potestati actu obnoxii manent; cum hac tantum exceptione *quod si parentes vel tutores* antea designati *acatholici sint,* quod verbum per se « ad infideles, publice apostatas, haereticos, schismaticos » extenditur, sed ex canone parallelo 1453, § 1 congruente canonibus de excommunicationis censura, eadem extensione ac dictus §us est interpretandum, in huiusmodi hypothesi *ius patronatus* minoris *interim suspensum* in eiusdem exercitio *manet.*

361. **Tempus utile ad peragendam praesentationem** sic definit *can. 1457* ex iure antiquo, licet « opportunam immutationem afferat » (can. 6). Sic enim statuit cap. un. « de iure patronatus » (III, 19) in 6°: « Licet patronus laicus ad praesentandum, tempus habeat quadrimestre dumtaxat; ecclesia tamen vel monasterium, cui facta est a laico iuris patronatus donatio tempus habet semestre », quod supponit implicite esse tempus utile pro ecclesiastico patrono, nam subiungit: « Et quantum ad praesentationem pertinet, non ut patronus laicus, sed ut patronus debet ecclesia-

[1] Dec. auth. n. 1792.

sticus reputari ». Simplicior reddita est disciplina in Codice ita praescribente: *Praesentatio* vi can. 1455, 1°, *nullo* sive ignorantiae sive impotentiae *iusto* seu proportionato *obstante impedimento,* seu « tempus utile » (can. 35) intelligitur sequens, *sive agatur de patronatu laicali*, *sive de ecclesiastico et mixto*, idest: sublata distinctione citata ex Decretalium Sexto, *fieri debet* per patronum vel exercentem illud ius ad normam can. 1456, et iuxta cit. cap. dicentem « dumtaxat » limitatur exceptio sequens: *nisi brevius* sequenti *tempus* a) *lege fundationis* propter « conditiones semel admissas » (can. 1417), b) *vel legitima consuetudine*, quae rationabilis asseritur implicite, *praescriptum fuerit,* alias *saltem intra quatuor menses*, qui « sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3, 1°, 3°) *a die quo is*, *cui ius est instituendi* ad normam can. 1466, § 2, vel illud obtinenti ad normam can. 4, *patronum certiorem fecerit* ad quod hic obligatur implicite, a) *de vacatione beneficii* necessaria ad normam can. 150, 151 ut subsequuta institutio sit valida, *et* b) *de sacerdotibus* ob can. 154 *qui in concursu* faciendo vi can. 459, § 4 in quibusdam regionibus ad paroeciarum provisionem, atque « ubi sit constituta » illius lex pro theologali et poenitentiaria praebendis conferendis (can. 399, § 2) ac ultimo iuxta Concordata, *fuerint probati,* ac certioratio de his praescripta est tantummodo *si agatur de beneficio* sive curato sive non curato, *quod per concursum conferri debet* iuxta leges peculiares tunc temporis vigentes.

362. **Negligentia patronorum in praesentando** coercetur in *can. 1458*, « qui ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°). § *1. Si intra praescriptum tempus* notum ex can. praec. *praesentatio* a patrono vel ipsius ius exercente *facta non fuerit,* « expleto ultimo die eiusdem numeri » ac dies certiorationis peractae, *ecclesia vel beneficium* iuri patronatus obnoxia *pro eo casu* seu in odium negligentiae *fit* ipso huius canonis iure *liberae collationis* exercendae ab eo, cui « ius concedendi canonicam institutionem proprium est » (can. 1466, § 2), secundum reg. 25 iuris in 6°: « Mora sua cuilibet est nociva ». Non aliter constituit Clem. III in cap. 2 « de supplenda negligentia praelatorum » (I, 10): « Nolentes autem, ut status ecclesiae debitus et antiquus, per insolentiam alicuius subvertatur, mandamus quatenus... nisi praedictae personae (circa ecclesias, quae ad eorum praesentationem pertinent) intra tempus

(praedictum) in Lateranensi Concilio constitutum, ad vacantes ecclesias tibi personas idoneas praesentaverint, ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in eisdem ordinare rectores, qui eis praeesse noverint et prodesse; ita tamen quod ex hoc nullum patronis praeiudicium in posterum generetur ».

Quamvis ecclesiarum ordinatio in cap. ultimo citato sit definitiva, precaria statuebatur in cap. 27 ei. tit. « Cum propter discordias laicorum », nam infra dicitur: « Fraternitati tuae mandamus, quatenus, si de iure patronatus quaestio emerserit inter aliquos: et ab eo (cui competit) infra quatuor menses non fuerit definitum, ex tunc ecclesiam ipsam de persona non differas idonea ordinare: Ita quod ex hoc non debeat in posterum praeiudicium generari, qui ius evicerit patronatus ». Sed sicut explicatur in cap. 12 eiusdem tituli: « Fas tibi sit appellatione remota, in eadem personam idoneam instituere: Ita quod repraesentetur ab eo, qui ius evicerit patronatus ». Et qualis deberet esse illa controversia patet ex cap. 3 ubi dicitur: « Et id ipsum etiam faciat, si de iure patronatus quaestio emerserit inter aliquos, et cui competat, intra quatuor menses non fuerit definitum ».

Igitur « hanc disciplinam retinet » verbis ad Codicis ius aptis § 2. *Si vero lis,* seu controversia iudicialiter definienda, *quae intra utile* ad praesentationem *tempus* ad normam §[1] praec. *dirimi* per sententiam *nequeat, exoriatur* quolibet ex motivo a) *sive circa ius praesentandi* dubium in se vel in eiusdem exercitio *inter Ordinarium,* qui contendat liberam habere collationem ecclesiae aut beneficii *et patronum* laicum vel ecclesiasticum illud « ius » propugnantem, b) *vel* « circa ius » certum in se sed *inter ipsos patronos*, non solum laicos ut in cit.[s] can.[s], controversum quoad possessionem vel exercitium, c) *sive circa ius praelationis* ob legitimam patroni praesentationem, *inter ipsos* igitur *praesentatos* lite exorta, in triplici hac hypothesi *suspendatur collatio* beneficii aut ecclesiae sive libera sive per institutionem *usque ad finem* cuiuslibet ex praedictis *controversiae*, *et interim, si opus sit,* necessitati enim provideri est intentio, *oeconomum* quoad ministranda spiritualia et temporalia *ecclesiae vel beneficio vacanti* iuris patronatus, et quamvis paroecia non sit, ad similitudinem vicarii oeconomi de quo sunt conditi can.[s] 472, 473, *Ordinarius* ad hoc competens *praeficiat,* qui non ultra in ministerio permaneat, quam id requirant ss. canones de huiusmodi pro-

visione semel ac finita erit qualitercumque controversia. Ita fuerat constitutum in cap. 4 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31): « Cum vos plerumque oporteat ordinationem ecclesiarum differre, pro eo quod quandoque personae vobis minus idoneae praesentantur: aut inter vos et praesentatores, alia de causa radix dissensionis emerserit: et infra... Fraternitati vestrae mandamus, quatenus si quando in vacantibus ecclesiis, (comma sequens derogatur implicite in Codice), vel quia personae minus idoneae praesentantur, vel alia de causa de iure personas non poteritis in eis instituere; appellatione remota ponatis oeconomos qui debeant fructus percipere: et eos, aut in ecclesiarum utilitatem expendere, aut futuris personis fideliter reservare ».

363. **Alternae praesentationes** in Clem. permissae inveniuntur sub cap. 2 « de iure patronatus » (III, 12): « ut facilius provideatur ecclesiis, non inconveniens reputamus, (ait Clemens V), patronos ipsos inter se posse libere convenire, de rectore ab eis alternis vicibus praesentando ». Hoc translatum refert *can. 1459*, dum statuit § *1. Si plures*, et « pluralis locutio duorum numero est contenta » (reg. 40 iuris in 6°), *singulares personae*, idest: qua personam collegialem non constituentes, *sint patroni* originarii, *possunt* ex iure non inhibendo a Superioribus ecclesiasticis *tum pro se tum pro suis successoribus*, agitur enim de iure quod renuntiare quoque possunt in limine fundationis, *de alternis praesentationibus* in vacationum successione *inter se* observandis quoad exercitium *convenire*.

Libertatem vero in Clementinis expressam sic limitat § *2. Ut autem haec conventio* facultativa ex § 1° *sit valida*, (« irritans ergo haec lex habenda est » can. 11), *accedat* eamdem confirmans *oportet* a) *Ordinarii* equidem loci *consensus* non oretenus vel facto, sed b) *in scriptis datus, qui tamen*, et hoc bene notandum, *semel praestitus* cum effectu ob notificationem *nequit valide* a) *ab eodem Ordinario vel eius successoribus*, b) *patronis invitis*, (in eorum enim favorem firmatur) *revocari*.

Sic pariter, quia secundum reg. 1 iuris: « Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem resolvitur », nonnisi ex consensu patronorum vel unanimi successorum simul ac Ordinarii actualis potest conventio illa revocari, nec sufficeret patronorum voluntas ut recedant a conventione valide, invito Ordinario praefato.

364. **Quis censeatur rite praesentatus** debebat iudicari ex diversis capitibus iuris canonici. Porro in cap. 6 « de his quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli » (III, 10) Coelestinus III « respondet, quod in praesentationibus Praelatorum (scilicet: per hos factis) intelligi debet, (idest: praesumi) quod fiant de collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem. Unde si constiterit, Conventus, vel maioris et sanioris partis non affuisse consensum, institutiones huiusmodi convenit evacuari ». Huic praescripto concordat simul ac ss. canonibus Codicis *can. 1460.* § *1. Si ius patronatus*, ad praesentationem quod attinet, *collegialiter exerceatur* ob huiusmodi personam, *ille* supple clericus *praesentatus* iure *habeatur*, *qui maiorem suffragiorum* a convenientibus collatorum validum *numerum retulerit*, idest: *ad normam can 101,* § *1* praescribentis « id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt »; *quod, si duobus scrutiniis sine effectu* antedicto, quod nempe « vim iuris habeat », *institutis*, « *in tertio scrutinio* quod placuerit parti relative maiori », sicut prosequitur canon citatus: « quod si suffragia aequalia fuerint », non sicut in illo canone, quia « Generi per speciem derogatur » (reg. iuris 34 in 6), sed *plures maiorem prae ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum* antedictorum *numerum habuerint*, *ii omnes praesentati censeantur* pariformiter ac de patronis singularibus fuit ab antiquo et Codicis iure statutum.

In cap. 3° « de iure patronatus » (III, 38) habetur ex Conc. Later.: « praesenti decreto statuimus, ut si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille praeficiatur ecclesiae, qui maioribus iuvatur meritis, et plurimorum eligitur et approbatur assensu ». Et in Clem. supra citata decernitur: « Quibus etiam (patronis singularibus) ex eadem causa (ut facilius provideatur ecclesiis) permittimus, ut plures ad vacantem ecclesiam possint eo modo praesentare personas, quod una ex eis eligi per Episcopum valeat et admitti ». Haec refert § *2. Si ius patronatus* e contra ac in §° praec. a) *penes singulares personas sit*, b) *quae inter se de alternis praesentationibus non convenerint*, prout eis concessum fuit ex cit. Clem. ad normam can. 1459 ibi declaratam, nam in hoc casu non posset applicari sequens praescriptum: *ille praesentatus* iure *habeatur*, *qui* a) *maiorem saltem relative* idest: etiam infra medietatem omnium *suffragiorum numerum retulerit; et* b) *si plures*

eundem inter se, *maiorem quam ceteri, suffragiorum numerum habuerint, omnes* illi *censeantur* iure *praesentati.*

Clem. citata exorditur sic: « Plures ab uno ex patronis ecclesiae relicti heredes, vocem dumtaxat unius habebunt in praesentatione rectoris ». Quod sic exponebatur a canonistis: si plures sunt patroni originarii velut fundator et constructor, quando moritur unus ipsorum, omnes eius heredes simul habent unum tantum votum, quod concurrere debet cum voto patroni originarii viventis in exercitio iuris praesentandi. Illud praescriptum implicite continet § *3. Qui ex diversis titulis,* fundatione, constructione, dotatione, seu reconstructione, redotatione, *ius patronatus obtinet* nunc vigens ad normam can. 1451, § 2, *tot habet* relate ad titulos originarios *in praesentatione* peragenda *suffragia* secundum canones computanda, *quot titulos.*

Denique moderabatur in iure antiquo praesentationem cap. 24 « de iure patronatus » (III, 38). « Cum autem advocatus clericorum idoneum Episcopo praesentaverit, et postulaverit postmodum eo non refutato alium aeque idoneum in eadem ecclesia admitti: quis eorum alteri praeferatur iudicio Episcopi credimus relinquendum, si laicus fuerit, cui ius competit praesentandi. Verum si collegium, vel ecclesiastica persona praesentationem haberet, qui prior est tempore, iure potior esse videtur ». Haec regula iuris 54 in 6° fallit in nova Codicis disciplina, eo quod parum refert ad hanc materiam, seu melius ei substituit aliam normam simpliciorem § *4* aiens: *Quilibet patronus,* sive « laicus fuerit, sive collegium vel ecclesiastica persona », *antequam praesentatio acceptetur,* quae subsequitur Ordinarii iudicium de idoneitate clerici praesentati, ut innuit can. 1466, § 1, *non unum tantum* clericum, cuius praesentatio sufficeret, *sed plures praesentare potest,* inter quos « Ordinarius eligit » (can. 1466, § 3, *tum una simul* praesentatione, *tum etiam successive* diversis praesentandi actibus, alterutro modo pro libitu, a) *intra tempus tamen praescriptum* ad normam can. 1457, b) *modo illos ne excludat,* vel illum iuxta regulam iuris 35 in 6°: « Plus semper in se continet quod est minus », *quos prius praesentavit,* quamvis revera unus tantum providendus sit.

365. **De distinctione inter praesentatum ac patronum** ait Innoc. III in cap. 26 « de iure patronatus » (III, 38): « Per nostras postulasti litteras edoceri; utrum clericus ad vacantem ecclesiam,

in qua ius obtinet patronatus, seipsum (si est idoneus) valeat praesentare. Cum igitur nullus se ingerere debeat ecclesiasticae praelationis officiis: Respondemus, quod nullus se potest ad personatum alicuius ecclesiae praesentare; quantumcumque idoneus sit, et quibuscumque studiis et meritis adiuvetur ». Sicut ergo statutum est in can. 170 de electione ac praesertim in can. 172, § 4, praescribit *can. 1461. Nemo* inter clericos patronos, quamvis ut collegium procedant, *potest* a) *praesentare* licite *seipsum*, nec cum praesentationis iuridicis effectibus, *neque* pariter *aliis patronis* etiam ut singularibus personis *accedere*, solummodo prohibitum ita ut *suffragiorum numerum ad praesentationem necessarium* diversum pro casibus *pro se compleat*, quo casu ex consequenti est irritum eiusdem proprium suffragium quoad iuridicos praesentationis effectus.

366. **Praerequisitum ad quasdam praesentationes** erat praescriptum in cap. 18 sess. XXIV de Ref. causa curae animarum suscipiendae. Idipsum sed moderatum ex una parte ac ad alia beneficia extensum tradit *can. 1462. Si ecclesiae* v. gr. paroeciali *vel beneficio* v. gr. praebendae theologali *provideri debeat per concursum* ad Codicis normas v. gr. ex can. 3, can. 459, § 4, can. 399, § 2, *patronus* originarius, vel ex derivatione, *etiam laicus*, sic derogato in hac parte Dec.° Trid. cit., *non potest* licite *praesentare*, nec cum effectu iuridico, *nisi* a) *clericum* ob can. 118 b) *legitime* secundum particulares leges *ex concursu* iam *probatum* velut idoneum.

367. **Idoneitas praesentati** praesupponitur necessaria in cap. 13 sess. VII Conc.[1] Trid.[1]: « Praesentati, seu electi, vel nominati a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Sedis Aplcae. Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam praetextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, et idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Praesentatis tamen, electis, seu nominatis ab universitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis ».

Hac exceptione fortassis ob inutilitatem omissa, decernit *can. 1463. Persona* clerici *praesentata* per patronum *debet esse idonea, idest, ipso praesentationis vel saltem* post idoneitatis examen *acceptationis* per Ordinarium praeviae ad dandam institutionem *die,*

qualitatibus omnibus aetatis, scientiae, ordinis recepti, etc. *praedita, quae iure* tum scripto tum consuetudinario *seu communi*, idest proprie generali lege, *seu peculiari* pro quibusdam locis vigente, quae verba tamen possent accipi « communi » omnibus beneficiis, « seu peculiari » pro beneficiis eiusdem speciei, sed verior est prima interpretatio. *vel lege*, idest: ob « conditiones semel admissas » in limine *fundationis*, aut ab erigente beneficium condita pro eodem singulari beneficio.

368. **Idoneitatis iudicium** spectare ad Ordinarium iure Decretalium pluries cautum fuerat, ut patet ex citatis textibus. Imo Conc. Trid. decrevit [1]: « Non liceat praeterea patrono, cuiusvis privilegii praetextu, aliquem ad beneficia sui patronatus, nisi Episcopo loci Ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo praesentare: alias praesentatio, ac institutio, forsan secutae, nullae sint, et esse intelligantur ». Idem ius retinet *can. 1464. Praesentatio* ad normam praecedentium canonum *fieri debet* vi quoque huius canonis *loci Ordinario*, itemque praescriptum est: *cuius est iudicare* auctoritative *utrum idonea sit* ad normam can. praecedentis *persona praesentata.*

Modus procedendi Ordinario praescribitur in § *2. Ordinarius* de quo in § 1° seu « loci », *ad suum formandum iudicium, debet ad normam can. 149*, scilicet in quo generaliter de officiis statuitur: « etiam per examen, si id ius vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum iudicaverit », *de persona*, quae pro beneficio vel ecclesia adipiscenda fuit iure *praesentata diligenter*, prout casus postulat, *inquirere* active *et opportunas* ad rem *notitias* qualitatum omnium, de quibus in can. 1463, sive delatas, sive quaesitas, *etiam secretas* seu sub secreto custodiendas, *si opus fuerit* propter circumstantias, *assumere.* Imo etiamsi non sint illae secreto premendae, ait § *3. Ordinarius* « loci » idem qui sub 1° *non cogitur* lege *patrono* praesentanti *patefacere* qualitercumque *rationes* equidem ob can. 1463 *cur personam* clerici *praesentatam admittere* ad iuris patronatus beneficium obtinendum vel ecclesiam *non possit* ex propria conscientia. Illam inquisitionem et notitiarum assumptio-

[1] Cap. 13, sess. XIV de Ref.

nem Ordinarius loci per alium obtinere potest, sibi iudicio de idoneitate praesentati reservato.

369. **Effectus recusationis personae praesentatae ac speciatim simonia** considerantur in *can. 1465* ad normam iuris ante Codicem. Principium enim traditur in Conc. Trid. [1]: « Ad haec liceat episcopo, praesentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere ». Atque in cap. 5 « de iure patronatus » (III, 38) sic respondet Alex. III Eboracen. Archiepiscopo: « Quod autem consulis, si clericus idoneus ad vacantem ecclesiam praesentatus, non fuerit ab episcopo dioecesano admissus, et postmodum alius idoneus praesentatus, et institutus ab episcopo, possessionem tenuerit corporalem: an primo clerico ecclesiam petente, debeat posterior removeri, vel posterior priori praeferri. Dubium non est, quin in casu isto melior est conditio possidentis: quoniam antequam praesentatio per diocesanum episcopum approbetur, ratum non est quod a patrono fuerat inchoatum ».

Hac ratione fulcitur § *1. Si praesentatus non idoneus* ad illud beneficium vel ecclesiam *fuerit repertus,* fortassis ex praxi can.[s] praec.[s], *patronus,* sub conditione *dummodo tempus utile*, excluso igitur tempore quod fluxit inter primam praesentationem et ab Ordinario factam recusationem, *ad praesentandum sua negligentia lapsum ne sit, potest* iure *alium* clericum *intra tempus* scilicet: « intra quatuor menses, vel brevius tempus a die » certiorationis *de quo in can. 1452, praesentare,* sicut in praec.[s] explicatus est hic actus; *sed si ne hic quidem* secundus *idoneus repertus fuerit* ab Ordinario loci ad normam can. praec.[s], *ecclesia vel beneficium* iuris patronatus *pro eo* provisionis *casu* singulari *fit liberae collationis;* cum autem in illo iudicio ferendo possit error irrepere aut iniustum esse, subiungitur exceptio ultimi commatis: *nisi patronus vel praesentatus* secundo recusatus, vel hoc non existente prior « praesentatus » *intra decem dies a significatione recusationis* facta patrono *recursum* extraiudicialem *a iudicio Ordinarii ad Sedem Apostolicam* nempe ad S. Congr. Concilii *interposuerit; quo pendente,* illeque debet notificari Ordinario, ut *suspendatur collatio* libera illius beneficii, vel ecclesiae *usque ad finem controversiae* per S. Cong.[s] resolutionem, *et interim, si opus sit* quoad spiritualia

[1] Cap. 9, sess. XXV de Ref.

vel temporalia, *oeconomum* ad modum vicarii huiusmodi paroecialis, ecclesiae *vel beneficio vacanti* de quo alterutro agatur *Ordinarius praeficiat.* « Verumtamen aliter constituerat (Innoc. III in cap. 29 « de iure patronatus » I, 38), ut Episcopus, qui praesentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur: quatenus puniatur in eo, in quo ipse non est dubium deliquisse ». Quoad oeconomi vero nominationem in eadem canonis hypothesi praescriptum idipsum extiterat in cap. 4 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31) supra citato ad can. 1458, § 2.

§ *2. Praesentatio,* eo quod est actus iuridice efficax ad beneficium providendum, si clericus praesentatus fuerit idoneus, *labe simoniaca* ad normam can. 626-730 *infecta, est ipso iure irrita, et* in illius odium *etiam institutionem* de qua sunt can. seqq. *forte subsecutam* ac in se immunem a simonia, *irritam reddit.* Urget ergo canon 729 in utroque ipsius numero.

370. **Ius tum ad obtinendam tum ad concedendam institutionem** determinat *can. 1466* « qui ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°). Nam in cap. 18 huius tituli Decretalium (I, 38) scriptum est: « Si episcopi post promotionem suam, praesentationes personarum ad ecclesias, a patronis earum, pro ecclesiis adepti fuerint: personae idoneae quas ad eas vacantes praesentaverint, sunt admittendae ». Quod sic exprimit § *1. Legitime* ad normam praecedentium canonum a) *praesentatus* b) *et idoneus* ab Ordinario *repertus,* prout supra fuit declaratum, c) *acceptata praesentatione* seu consentiente in eam praesentato, sive ante sive post ipsam, nam « invito beneficium non datur », illis ergo positis conditionibus *ius habet ad canonicam* obtinendam *institutionem* beneficii seu ecclesiae collativam, qua valide obtineat beneficium.

In cap. 3 « de Institutionibus » (III, 7) Alex. III vocat « consuetudinem pravam... quod clerici ecclesiastica beneficia, sine consensu Episcopi dioecesis vel officialium suorum, (qui hoc de iure possunt) recipiunt ». Et Conc. Trid. in cap. 12 sess. XIV de Ref. decrevit: « In casu autem fundationis, aut dotationis huiusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori, reservetur ». Si cui vero non Ordinario loci illius ius instituendi legitime fuerit quaesitum, quod « integrum manet » (can. 4), servandum esset decretum

eiusdem Concilii [1]: « Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen, iuxta alias statuta ab hac sancta Synodo, examinentur (ad normam can. 1464): alioquin institutio, ab inferioribus facta, irrita sit et inanis ».

His et aliis Decretalium capitibus concordat § *2. Ius concedendi canonicam institutionem,* « per quam fit provisio (huiusmodi) officii ecclesiastici (can. 148, § 1), sine qua illud nequit valide obtineri » (can. 147, § 1), *proprium est Ordinarii loci,* exclusis ergo « Superioribus religiosis » (can. 198, § 2), *non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.* Sic enim legitur in cap. 3 « de officio Vicarii » in 6°: « officialis, aut vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa ».

Praescriptum in cap. 24 « de iure patronatus » (III, 38) relato ad can.s 1460 § 4 refert sine patronorum distinctione § *3. Si plures* duo saltem *et omnes*, hinc sub conditione quod sint *idonei*, *praesentati sint* « tum una simul tum etiam successive » (can. 1460, § 4), *Ordinarius* loci *eligit quem magis idoneum* pro illo beneficio seu ecclesia ad normam can. 1463 *in Domino iudicaverit.*

371. **Tempus institutionem conferendi** post legitimam praesentationem, fuit de beneficiis parochialibus determinatum a Pio V in const. « In conferendis » [2], videlicet: « ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant, in maximum animarum periculum, quarumcumque parochialium ecclesiarum,... quae iuris patronatus ecclesiastici vel aliornm, seu clericorum et laicorum simul fuerint, si praesentatus intra tempus eisdem patronis a iure praefixum, praevio examine, iuxta formam dicti Concilii approbatus, (nunc ad normam integram can. 1464 §§ 1, 2), petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die praesentationis dilata fuerit,... institutionem... Aplcae. Sedi... reservamus, data tamen... optione ipsis patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit (prout nunc spectat si « iuris patronatus laicalis vel mixti » sint, can. 1435, § 2), in casu possint, pro huiusmodi institutione obtinenda, habere recursum ad Metropolitanum aut ad Sedem Apostolicam ».

Cum vero de aliis beneficiis quidquam speciale non fuerit iure

[1] Cap. 9, sess. XXV de Ref. — [2] 18 Mart. 1567, § 4.

canonico statutum, remedium contra negligentes Praelatos in hac re propositum ex principiis iuris a Doctoribus, sancitum est per extensionem const.[3] Pianae modo sequenti. *Can. 1467. Institutio canonica,* quam declaravimus in can. praec., *pro quolibet beneficio etiam non curato*, ex novo iure scripto *dari debet*, quod praescriptum servandum est *nullo iusto obstante impedimento*, v. gr. si lis exoriatur circa praesentati reiectionem ex parte Episcopi, alias *intra duos menses*, qui « sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3, 1°), sed « dies ne computetur » ille sic determinatus per canonem: *ex quo praesentatio facta sit* cum Ordinarii scientia, nam illi duo menses constituunt « tempus utile » (can. 35).

372. **Ius praesentandi in casu** adiudicat patrono *can. 1468. Si praesentatus*, sed nondum iudicata idoneitate, aut quamvis idoneus repertus, a) *ante canonicam institutionem*, quando prima de iure vacatio perseverat, alioquin subintrat certo privilegium patroni « praesentandi clericum » (can. 1455, 1°), b) *renuntiaverit* tamen « ius ad canonicam institutionem » obtentum vi can. 1466, § 1, *vel mortuus fuerit*, in hoc alterutro casu *patronus rursus*, idest: ad normam can. 1457 veluti « de vacatione beneficii » nova, *ius praesentandi* ad idem vacans de iure ac de facto beneficium vel ecclesiam *habet;* tamquam si pro hac vice illud ius non exercuisset « iusto obstante impedimento ». Dispositionova in iure scripto, sed aequa prorsus.

373. **Obligationes patronorum** recenset congruenter post ipsorum iura *can. 1469* dicens sub § *1°. Onera,* quia quaedam sunt realia, *seu officia*, prout hae sunt iuribus correlativa, vel melius qua obligationes ob ius patronatus profluentes, ac proinde *patronorum sunt*:

1.° Non secus ac in Conc. Toletano IX fuit decretum [1], *Ordinarium loci monere, si bona ecclesiae seu beneficii* patronatus proprii *dilapidari* sive a rectore aut beneficiario praesertim, sive ab aliis *viderint* nec tenentur inquirere, et quandocumque sic remedium afferri possit, *quin tamen* illo forsan praetextu *se immisceant administrationi eorumdem bonorum;* quod sic a Conc. Trid. evolvitur [2]: « Patroni autem beneficiorum, cuiuscumque ordinis et dignitatis, etiamsi communitates, universitates, collegia quaecumque

[1] C. 31, 32, Cau. XVI, q. 7. — [2] Cap. 9 sess. XXV de Ref.

clericorum, vel laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi vere de iure patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione essent, nullatenus, nullave causa vel occasione se ingerant, sed illos libere rectori seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant ».

A fortiori praedicta exclusio est intelligenda de spiritualium administratione atque, ut innuimus supra, de inquisitione aut visitatione, prout cavet idem Conc. in cap. 3 sess. XXIV de Ref.: « Patroni vero in iis, quae ad sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiae, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus immisceant; nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat.

Onus recognitum in Conc. Trid. [1] et inde translatum in can. 1186, explanatur hic sub. n.° *2.° Aedificare* propriis sumptibus ac *denuo ecclesiam* sui iuris patronatus *collapsam aut*, si quando tantum non defecerit, *reparationes* illius, *iudicio Ordinarii*, cui proinde est deferendum, *necessarias in eadem facere,* non iam in domo parochiali, quando in illa cura animarum existat. Hoc onus gravat, *si* a) *ex titulo aedificationis ius patronatus* ecclesiae *habeant*, non enim decet eos ut domus Dei in ruinam vergat, *et* b) *nisi onus aedificandae denuo vel reparandae ecclesiae*, ut supra, *aliis incumbat* in ordine huius adimplendae obligationis praecedentibus *ad normam can. 1186* ibidem declaratam;

Patronus liber a praec. obligatione, subiicietur fortassis oneri, quod sic exprimitur *3.° Supplere reditus*, sive hi permaneant ex originaria dotatione, sive deminutionem sint passi ob diversas temporum vicissitudines, sed solum a) *si ex titulo dotationis* explicato ad can. 1448, illius *ius patronatus proveniat,* b) *cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint* in se vel ex circumstantiis externis, *ut nequeat amplius* alterutrum, *vel cultus decenter* naturae ipsius *in ecclesia* patronata *exerceri*, *vel beneficium* iuris patronatus *conferri*, eo quod ob illam causam non inveniatur acceptaturus clericus.

Considerata iurispatronatus origine, plenus aequitate suadetur

[1] Cap. 7 sess. XXI de Ref.

§ *2. Si ecclesia collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus defecerint ad normam* § *1, nn. 2* quoad primum bimembre, *3* quod alterum, *ius patronatus* non solum relative « ex titulo aedificationis » aut « ex titulo donationis », sed utrumque ac tertium ex titulo fundationis *interim quiescit*, seu illius exercitium non habetur, quin ius illud pereat.

Ius ipsum respicit § *3* sic statuens. Secundum reg. 25 iuris in 6°: « Mora sua cuilibet est nociva ». Hinc *si patronus* a) ex titulo aedificationis aut b) ex titulo dotationis, atque potens, « non enim est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri », ut ait reg. 60 iuris in 6.°, cum canon dicat: *intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus* equidem ob transgressionem §[i] 1[i], *praefiniendum*, ille sub a) *ecclesiam denuo aedificaverit vel restauraverit* pro casu alterutro *aut* hic sub littera b) *reditus* nunc habitos *auxerit*, uno verbo suam ex canone obligationem adimpleverit, *ius patronatus* quod quiescebat *revigescit* ipso facto quoad exercitium, *secus*, seu non adimpleta conditione dicta per patronum potentem, *ipso iure et sine ulla declaratione* post « tempus » illud transactum *cessat*.

374. **Casus extinctionis iuris patronatus** plene tradit *can. 1470. —* § *1. Praeter casum* quoad singulare ius patronatus, *de quo in can. 1469,* § *3* iam declarato, *ius patronatus* pro eiusdem distinctionibus *extinguitur :*

1° Si patronus quilibet *iuri suo renuntiaverit*, quae renunciatio in foro externo constet, quamvis non requiratur illius acceptatio ; *eius tamen renunciatio ex integro fieri potest* quoad « summam privilegiorum » (can 1448) et consequenter onerum, *aut ex parte* circa illa privilegia ; *numquam vero potest* « patronus » ex uno titulo *aliis compatronis* ex eodem vel diverso, *si qui sint* hic et nunc, *damnum* privilegiorum *afferre* ob praedictam renunciationem.

Ius patronatus oritur « ex Ecclesiae concessione » (can. 1448). Et regula iuris 1 est [1]: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ». Hinc profluit 2°. *Si Sancta Sedes* ad normam can. 7 *ius patronatus* hoc vel illud vel illa *revocaverit aut ipsam ecclesiam* patronatam *vel* tale *beneficium* pro illius potestate, sed *perpetuo suppresserit*. Tunc enim deficit obiectum illius iuris.

[1] Decretalium Lib. V. tit. XLI, cap. 1. X.

3° *Si contra ius patronatus* in hoc singulari patrono vel in omnibus *legitime praescriptum fuerit*, idest ad normam ss. canonum 1508-1512 de praescriptione;

4° Pro distinctione iuris patronatus in can. 1449: *si res, cui ius patronatus* « reale » *inhaeret,* ut ibi explicatum est, *pereat, aut exstinguatur familia, gens, linea cui secundum tabulas fundationis reservatur* ius patronatus « familiare, gentilitium, mixtum »: *quo in altero casu* a) *nec ius patronatus* « personale » *hereditarium evadit*, b) *nec Ordinarius valide permittere poterit donationem iuris patronatus alii fieri.* Hinc sequitur talem donationem iuris patronatus personalis permitti posse de Ordinarii licentia, priusquam praevideatur talis exstinctio sequutura.

Hac arrepta occasione, haec teneantur ex iure Codicem praecedente, salva praefata exceptione. In cap. unico huius tit. in 6° (III, 19) statuit Bonif. VIII: « si laicus ius patronatus Ecclesiae sibi competens eidem, vel alteri ecclesiae, seu loco religioso » sub quibus verbis intelligitur etiam monasterium, locus pius, officium ecclesiasticum, « duxerit conferendum, huiusmodi collatio (idest: donatio) quamvis absque consensu Episcopi facta fuerit, efficax est censenda. Per praefatam tamen collationem (seu donationem), iuri Episcopi, qui eidem assensum non praebuit, nolumus in aliquo derogari », id est salvum maneat ius illius ad institutionem canonicam. E contrario arguitur, quod laicus patronus non possit laico vel clerico ut privatae personae donare suum ius patronatus sine consensu Episcopi, nisi donatio fiat compatrono [1], quia aequipollet iuris proprii renunciationi, aut agatur de iure patronatus reali [2] ad normam can. 1519. — Quoad donationem iuris patronatus ecclesiastici servandi sunt canones de alienatione bonorum ecclesiasticorum.

5° *Si*, *consentiente patrono*, ut necesse est vi can. 1424, *a*) *ecclesia vel beneficium* « sive curatum sive non curatum » sed iuris patronatus alterutrum *uniatur* a quocumque Superiore ecclesiastico competente *alii* respective ecclesiae vel beneficio *liberae collationis* ad normam quidem cit. canonis, *aut ecclesia fiat* legitime *electiva vel regularis*, idest: habens capitulum canonicorum vel religionis clericalis exemptae, secundum praescriptum Decretalium [3] hoc in loco implicitum: « Caeterum conventualis ecclesia, non electioni

[1] Cap. 2, tit. XII, Lib.III in Clem. — [2] Cap. 13, tit. 38, lib. III, X. — [3] Cap. 25, tit. 38, Lib. III. X.

praelati faciendae, sed iam factae honestius patroni postulatur assensus: nisi aliter de sua iurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandae ».

Ex dictis eruitur amissionem iuris patronatus posse evenire, praeterquam ex dispositione, tum Rom.[i] Pont.[is] sub n. 2°, tum supposita Ordinarii loci in casu can. praec.[s], 1) sive ex natura ipsius rei ut in num.[s] 3° et 4°, sive 2) ex facto patroni honesto, ut in num.[s] 1° et 5°, vel 3) ex facto eius criminoso, quod multiplex secundum ius praecedens recensetur sub n. 6°. *Si patronus* ecclesiasticus aut laicus *ius patronatus* « reale vel personale » (can. 1449, 1°) *simoniace in alium* quocumque modo *transferre attentaverit*, equidem « contractus ipse omni vi caret » (can. 729) etiam ex iure veteri [1], nam « cum inconveniens sit vendi ius patronatus, quod est spirituali adnexum; contractum illum irritum esse decernas », Alex. III aiebat. Et in Conc. Trid. legitur [2]: « Nec dictum ius patronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant patroni: si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiiciantur, (ferendae sententiae, sed nunc « incurrunt in exc. l. s. Sedi Aplcae simpliciter reservatam, et si clerici sint, praeterea suspendantur » can. 2392, 1° 3°); et dicto iure patronatus, ipso iure, privati existant ».

Item *si* « patronus » *lapsus fuerit in apostasiam, haeresim aut schisma*, prout hae proprie definiuntur in can. 1325, § 2; *si bona ac iura*, quae verba disiunctive accipienda sunt, *ecclesiae vel beneficii*, alterutrius sui iurispatronatus *iniuste usurpaverit aut detineat:* quod multiplex delictum sic explanatur in Conc. Trid. [3], unde promanavit in Codicem: « Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate... praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis, vel regularis beneficii... iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent; per se, vel alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu (quod solum videtur non com-

[1] Cap. 16, tit. 38, Lib. III. X. — [2] Cap. 9, sess. XXV de Ref. — [3] Cap. 11, sess. XXII de Ref.

prehendi sub canone) impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur: is... si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus, ultra praedictas (ibidem) poenas, eo ipso privatus existat».

Denique delictum quarto loco hic positum invenitur in cap. 12 de poenis (V, 37) ubi dicitur: «Sacri nihilominus Concilii approbatione statuimus (ait Innoc. III), quatenus si patroni... alicuius ecclesiae, rectorem vel clericum alium eiusdem ecclesiae, per se vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando praesumpserint, patroni ius patronatus... prorsus amittant. — Et ne minus vindictae, quam excessus memoria prorogetur..., de praemissis nihil perveniat ad heredes». Haec accuratius posita sunt in canone ita prosequente: *si* «patronus» *rectorem vel alium clericum* «ob primam saltem tonsuram» (can. 108, § 1) *ecclesiae* patronatus sui *servitio addictum* saltem de facto sed cum aliqua permanentia, *aut beneficiarium* pariter in beneficio patronatus illius *per se vel per alios* mandato, efficaci consilio, *occiderit vel mutilaverit,* prout hae actiones declaratae fuerunt ad can. 985.

Canonem, quem commentamur, «ius vetus ex integro referre» (can. 6, 2°), testatur § *2. Propter crimina* declarata, seu *de quibus in* § *1, n. 6* agitur, *ius patronatus* integrum *amittit solus patronus reus,* qua distinguitur a compatronis et successoribus in eodem iure, *et*, *ob delictum* occisionis seu mutilationis *postremo* illius num.[1] commate *memoratum* ex iure praec., *eius* delinquentis patroni *quoque* seu cum ipso *heredes*, in iurepatronatus ergo reali.

Amissionem iuris patronatus ex delicto incurri iure ipso patet «ex verborum propria significatione» (can. 18), sed cum agatur de fori externi effectibus cavet circa modum procedendi § *3. Ut ex delictis* proprie dictis ad normam can. 2195, (et quae «obiectum iudicii sunt» can. 1552, § 2), *enumeratis* implicite *in* § *1, n. 6, patroni* qua tales *censeantur* in foro externo *ius patronatus* ipso facto criminis iam cessatum, proinde *amisisse, requiritur,* unde extraiudiciale decretum incongruum est, *et* econtra *sufficit sententia,* seu «legitima pronunciatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit» (can. 1868), in casu tamen non condemnatoria ad hanc amissionem, sed *declaratoria* criminis causantis illam.

Alius modus quiescendi quoad ius patronatus praeter declaratum in can. 1469, § 2, et hic bene positus, quia crimen supponit, traditur in § *4. Censura*, qualis « est 1° Excommunicatio ; 2° Interdictum ; 3° Suspensio » (can 2255, § 1), *aut infamia iuris*, nempe : « quae casibus iure communi expressis statuitur » (can. 2293, § 2) *innodati*, sive a iure sive ab homine sit poena quaelibet ex dictis inflicta, sed *post sententiam* proprie dictam, ut supra, *condemnatoriam* seu infligentem illam censuram, *vel declaratoriam* tum censurae ipso facto iam incursae tum praedictae infamiae, *usque dum censura*, quae « per absolutionem » tantum remittitur, *vel infamia*, quae per dispensationem auferenda est, *perdurant* in subiecto alteriusutrius, *nequeunt* patroni tales *ius patronatus*, quod retinent, *exercere* quoad ius praesentandi, *eiusque privilegiis* aliis *uti*, v. gr. « praecedentia ante ceteros laicos in processionibus vel similibus functionibus », quin opus sit ex hoc praescripto auferre ex « sui patronatus ecclesia stemma gentis vel familiae » (can. 1455, 3°). Secus dicerem de ipsius stemmatis appositione.

375. **Ius praesentandi** aliis non patronis competere supponit illudque moderatur ob materiae connexionem ultimus huius capitis *can. 1471. Si cui* personae physicae vel morali *Sedes Apostolica*, utens v. gr. Secretaria Status, *sive in concordatis*, ut constat ex eorum historia quoad Episcopos praesentandos a Supremis nationum Principibus, *sive extra concordata* fortassis ob merita *indultum* idest gratiose, vel hoc modo remuneratorie *concesserit praesentandi* clericum, ut explicatum est istud verbum in patronis *ad ecclesiam* de rectore, parocho vel Praelato *vacantem, vel ad beneficium* quodlibet *vacans*, ut requiritur ne « provisio officii sit ipso facto irrita » (can. 150) ; attamen *non inde* vel ex praefato indulto *ius patronatus* in hoc capite moderatum *oritur* cum eiusdem privilegiis ac officiis, *et privilegium praesentationis* unum *strictam interpretationem* in dubio *pati oportet ex tenore indulti* considerando ac servando quoad omnes circumstantias ibi expressas.

Hoc bene notandum est ut fallentia illius regulae iuris : « cum beneficia Principum sint interpretanda largissime », quam Innoc. III refert in cap. « Olim », « de verborum significatione » (I, 40).

CAPUT V.

De iuribus et obligationibus beneficiariorum.

Can. 1472. - Quilibet beneficiarius, capta legitime beneficii possessione, omnibus iuribus fruitur tam temporalibus quam spiritualibus, quae beneficio adnexa sint.

Can. 1473. - Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii; obligatione autem tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 19.

Can. 1474. - Si ad beneficium obtinendum susceptio alicuius ordinis requiratur, beneficiarius talem ordinem ante beneficii collationem iam receperit oportet.

Can. 1475. - § 1. Beneficiarius tenetur peculiaria onera beneficio adnexa fideliter adimplere et praeterea canonicas horas quotidie recitare.

§ 2. Si, nullo legitimo detentus impedimento, obligationi recitandi horas canonicas non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget.

Can. 1476. - § 1. Beneficiarius bona ad suum beneficium pertinentia, ut beneficii curator, administrare debet, ad normam iuris.

§ 2. Si negligens aliove modo in culpa fuerit, damna resarcire beneficio debet, atque ad ea compensanda ab Ordinario loci compellendus est; et si sit parochus, a paroecia amoveri poterit ad normam can. 2147 seqq.

Can. 1477. - § 1. Sumptus ordinario modo connexi cum bonorum beneficialium administratione et fructuum perceptione, a beneficiario ferendi sunt.

§ 2. Impensae pro extraordinariis domus beneficialis reparationibus, ab iis ferendae sunt quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam incumbit, nisi fundationis tabulae aut legitimae conventiones et consuetudines aliud caveant.

§ 3. Minores reparationes quae ipsi incumbunt, beneficiarius quamprimum perficiat, ne maiorum necessitas enascatur.

Can. 1478. - Ordinarius loci obligatione tenetur advigilandi etiam per vicarios foraneos ut beneficialia bona conserventur et rite administrentur.

Can. 1479. - In locatione bonorum beneficialium anticipatae solutiones ultra semestre prohibentur sine licentia Ordinarii loci, qui in casibus extraordinariis congruis praescriptionibus caveat ne talis locatio in damnum vergat loci pii aut successorum in beneficio.

Can. 1480. - Annui reditus beneficii inter successorem et antecessorem eiusve heredes, in casu obitus, pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, distribuantur, omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compositionis modum induxerint.

Can. 1481. - Deductis cuiuslibet generis expensis et salvo praescripto can. 472, n. 1, fructus beneficii vacantis pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii vel massae communi, pro altera cedunt fabricae ecclesiae seu sacrario, salva legitima consuetudine qua fructus omnes in bonum commune dioeceseos erogentur.

Can. 1482. - Quod ad mediam annatam, quam vocant, attinet, ea, ubi viget, retineatur, et peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione circa eam vigentes serventur.

Can. 1483. - § 1. Bona mensae episcopalis ab Episcopo diligenter administrentur.

§ 2. Domus episcopalis sarta tectaque conservetur et, si opus sit, restauretur et reparetur impensis eiusdem mensae, quoties huiusmodi onera ex peculiari titulo aliis non incumbant.

§ 3. Curent quoque Episcopi ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in mensae dominio constituta, ad successorem ex toto secureque transmittantur.

376. **Inscriptio Capitis ordoque canonum in eo.** Cum omnia, quae ad obtinendum beneficium quodlibet maneant in Codice pertractata, sponte sequitur cognoscendum *Caput V*, quod inscriptum est *De iuribus* in genere, et quoad temporalia in specie, *et obligationibus* peculiaribus *beneficiariorum* qua talium, qui sic vocantur propter beneficium proprie dictum, quod re vera possident.

Primus capitis can. **1472** continet de illis iuribus principium, cui subnectitur can. alter de usufructu temporalium cum enata inde obligatione. Aliae subduntur obligationes, de quibus canones sic recensentur; videlicet: can. **1474** de ordine requisito loquitur, can. **1475** de peculiaribus beneficii oneribus ac de breviarii recitatione, sicuti de administratione bonorum beneficii sunt can. **1476**, **1477**. Huic administrationi advigilans datur ex can. **1478**, praesertim quoad locationes ineundas in can. sequenti. Postea fructus beneficii in casu obitus aut beneficii vacantis adiudicantur per can. **1480-1482**, quibus subditur ultimus can. **1483** de administratione bonorum mensae ac domus episcopalis.

377. **Iura beneficiarii cuiuslibet** recenset quadam sub generali formula *can. 1472.* — *Quilibet beneficiarius*, nempe: obti-

nens rite beneficium quocumque nomine sub can. 1411 dictum, ac insuper *capta legitime*, seu iuxta diversos canones, v. gr. can. 334, § 3, can. 1443-1445, *beneficii* diversi *possessione*, sive haec sit inthronizatio, installatio, etc., *omnibus iuribus fruitur*, seu illa exercere libere potest, *tam temporalibus*, sic dictis propter eorumdem obiectum, nam sequitur: *quam spiritualibus*, quae posteriora integrant officium, cum priora sint beneficiorum peculiaria, et consequenter *quae* utraque *beneficio adnexa sint*, sive originarie ratione erectionis, sive quae decursu temporis eidem (fortassis singulari) « beneficio » accesserunt.

378. **Iurium ad temporalia exercitium** moderatur *can. 1473* iuxta praecedentem disciplinam. Sic enim legitur in Conc. Trid. [1]: « Quapropter exemplo patrum nostrorum in Conc. Carthaginien.. (S. Synodus) non solum iubet, ut episcopi modesta supellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota eius domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praeseferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum et apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa...: Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficia ecclesiastica, tam saecularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari sed et ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pertinere decernit..... ».

Veniamus ad litteram canonis. *Etsi beneficiarius* sic appellatus « ex capta legitime beneficii possessione » (can. 1472), *alia bona* sive ex proprio patrimonio, hereditate, quae proinde dicuntur patrimonialia, sive ex donatione propriave industria vel ex ministerii exercitio, quae quasi-patrimonialia audiunt, sed *non beneficialia*, quatenus fructus dotis beneficii nullimode constituunt, *habeat*, ex quibus bonis etiam opulenter vivere queat. Hoc non obstante, ille « beneficiarius » *libere* idest: pro libitu per nullam in hac parte legem canonicam coarctato *uti* quoad bona, quae tali usu non

[1] Sess. XXV de ref., cap. 1.

consummantur, v. gr. domo, utensilibus, etc., *frui* bonis quae per usum amittuntur, v. gr. pecunia, uti valore ad commutationes perficiendas, fructibus terrae, etc. *potest fructibus* sive redditibus *beneficialibus*, quae aut ex dote beneficii percipit aut ex actibus stricte talibus, id est in adimplementum officii integrantis beneficium. Limitatio autem subsequitur secundum Doctorum praecedentem interpretationem (can. 6, 3°) aestimanda: « fructibus », *qui* (in ea nempe quantitate) *ad eius* « beneficiarii » *honestam* vel secundum virtutem *sustentationem* in victu, vestitu, habitatione adhuc pro familiaribus et hospitibus, atque pro vita sociali, hisque omnibus iuxta ipsius conditionem et gradum in hierarchia ecclesiastica *sint necessarii*, quae mensura ex usu similium beneficiariorum prudenter accipitur. Nam in iure Decretalium [1] Innoc. III ait: « Nos attendentes quod ad hoc vobis et aliis clericis sint ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis », atque alibi inquit [2]: « Cum igitur os bovis ligari non debeat triturantis, seu qui altari servit, de altari vivere debeat, statuimus (consuetudine qualibet episcopi vel patroni seu cuiuslibet alterius non obstante) portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur ».

Porro ex can. praec. constat beneficiarium iuribus frui temporalibus sine limitatione, quae ibi deest, praesens vero canon loquens de usu et fructu ad necessariam fructuum portionem limitat illius iuris exercitium liberum, prosequitur enim sic: *obligatione autem* per hunc canonem confirmata, quae provenit ex origine beneficiorum historica de bonis ecclesiasticis, (ista enim non tantum ad ministrorum sustentationem, sed ad cultus quoque divini expensas atque pauperum necessitates sublevandas censentur deputata), *tenetur* « beneficiarius » *impendendi* « fructus beneficii » *superfluos* sustentationi declaratae *pro* vere *pauperibus* quibuslibet *aut piis* ex motivo religionis vel charitatis *causis* v. gr. pro aedificatione ecclesiae, hospitali, *salvo* quoad praesens canonis comma *praescripto can. 239, § 1, n. 19,* quod propterea verum privilegium refert: « de reditibus beneficiariis (superfluis quoque) libere disponendi etiam per testamentum ». Hinc apprime intelligitur canonizata distinctio a Doctoribus usitata de peculio clericorum beneficiali et superfluo. Item approbata hinc manet eorum sententia praedominans in iure prae-

[1] Cap. 10 « de vita et honestate clericorum » III, 1. — [2] Cap. 30 « de praebendis et dignitatibus » III, 5.

cedenti, quod transgressio huius commatis non secumfert onus reparandi hanc deductionem pauperibus, eo quod in fructus superfluos beneficiarius ius habeat et circa impendendos ipsos tantum legis canonicae obligatione teneatur, minime naturalis iustitiae.

379. **Ordo requisitus** praevie ad beneficii consequutionem recipiendus edicitur in *can. 1474*, secus ac in iuris Decretalium pluribus locis cautum erat. Exempli causa sit cap. 29 « de praebendis et dignitatibus » (III, 4) in 6°: « Ei, cui provideri mandatur simpliciter de praebenda proximo vacatura, sacerdotalis praebenda conferri non potest, si nondum in aetate tali existat, quod possit ad sacerdotium promoveri: Sed aliam expectare debebit ». Spiritum ergo iuris servat Codex, severius tamen praescribens: *Si ad beneficium* quodcumque *obtinendum*, ergo ad eius provisionem *susceptio alicuius ordinis* vel sacerdotii vel in sacris vel minoris *requiratur* in clerico providendo, *beneficiarius,* sic dictus relate ad futuram provisionem, *talem* determinatum *ordinem ante beneficii* de quo agitur *collationem*, minime vero ex hoc canone ante praesentationem vel electionem, *iam receperit* de facto *oportet* vi huius canonis, quandocumque tabulae fundationis contrarium non statuant expresse.

380. **Obligationes cuiuscumque beneficiarii** summatim recenset atque sub qua conditione edicens *can. 1475.* — § *1. Beneficiarius* iuxta capitis inscriptionem, (seu « beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia, possidentes ») (Const. Pii V « Ex proximo »), *tenetur peculiaria onera beneficio* possesso *adnexa.* sive tabulis fundationis, sive legitima consuetudine, sive per sacros canones, *fideliter* ob implicitum quasi contractum acceptationis illius *adimplere et praeterea* indeque a capta possessione *canonicas horas* omnes ad can. 135 in Commentario Textus explicatas, salva tamen obligatione iuxta prop. 54 damnatam [1]: « Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad se minorem », *quotidie recitare*, nam est damnata prop. 35 [2]: « Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino ». Non aliter intelligenda fuit sententia Pii V in const. cit. « Ex proximo »: « item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum

[1] Dec. S. Officii 2 Martii 1679. Denzinger: Enchiridion, n. 1204. — [2] Dec. S. Officii, 18 Mart. 1666. Denzinger: n. 1135.

impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse ».

Haec animadversio necessaria fuit propter hoc quod in const. « Supernae dispositionis » a Leone X [1] « statuitur,... ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii et temporis, sed eos tamquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur ». — « Ex parte tantum » id est: non exspectato sex mensium tempore statuit § *2. Si* « beneficiarius », *nullo legitimo* seu excusante ab illa recitatione v. gr. infirmitate vel alio a Doctoribus recepto *detentus impedimento,* ac proinde culpabiliter secundum rem et graviter *obligationi* iuxta § 1 *recitandi horas canonicas*, unde « tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit », *non satisfecerit*, *fructus* beneficii « etiam praeter fructuum et distributionum amissionem » *pro rata omissionis* iuxta declarationem S. Pii V *non facit suos*, veluti deficiente conditione huius perceptionis iustae intelligenda de personali recitatione ob prop.^{m} damnatam 21 [2]: « Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet ».

« Verumtamen, ut ait Pius V in const. « Ex proximo » [3], multorum animi suspensione tenebantur, cuiusmodi ratae praedictae ratio sit habenda ».

Atque « statuit, ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum eius diei amittat ». Ob secundam const.^{s} eiusdem partem sequi absdubio videtur hac obligatione recitandi ac restitutionis comprehendi, (ex canone autem est certa), illos sacerdotes ac ministros habentes parochiam vel stationem ubi exercent curam cum stipendio, quamvis rata praedicta « ex receptis apud probatos auctores

[1] 5 Maii 1514, § 38 in Conc. Later. V. — [2] Dec. S Officii. 24 Sept. 1665. Denzinger: n. 1121. — [3] 20 Sept. 1571.

interpretationibus » (can. 6, 2°) minuenda sit propter alia eorum onera.

Sic explicit canon : *eosque* « fructus non suos » diversimode ac in const. cit. Leonis X a) *fabricae ecclesiae,* « ubi erectum est beneficium » (can. 1418), b) *aut Seminario dioecesano tradat,* alterutri pro beneficiarii eiusdem arbitrio, c) *vel in pauperes eroget*, non secus ac statuerat Leo X in Later. Conc. Haec traditio vel erogatio hic iussa, cum sit applicatio rei non suae sed ecclesiasticae facienda est sponte, non exspectato quocumque auctoritatis interventu etiam simplicis declarationis facti. Ac demum memorari oportet prop.m damn. 33 [1] : « Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit ».

381. **Speciales circa dotem obligationes** praescribit *can. 1476*. § *1. Beneficiarius* in sensu inscriptionis Capitis *bona* immobilia, his aequiparata, seque moventia, *ad suum beneficium,* uti eius dotem, *pertinentia*, *ut beneficii* eiusdem *curator* vi canonum constitutus, et hinc cum huius ex iustitia obligationibus ac iuribus, *administrare debet* tanquam bonus paterfamilias, sed *ad normam iuris*, tum canonici, quod sub tit.° XXVIII huius Libri continetur, tum civilis quoque ad contractus quod attinet iuxta canones tit.i XXIX eiusdem Libri.

Accidentalem obligationem ex § 1° profluentem confirmat § *2. Si negligens*, quando nempe directa nocendi voluntas deest, *aliove modo* semperque *in culpa* morali equidem gravi *fuerit,* sicuti ex iure naturali ratione curatelae a) *damna*, quae inde obvenerunt *resarcire* ex propriis *beneficio* scilicet : eius dotationi *debet*, *atque* b) *ad ea compensanda,* seu ad praedictam adimplendam obligationem, *ab Ordinario loci* (can. 198, § 2) *compellendus est*, quod verbum poenam esse adhibendam innuit, quantum opus sit. Subiungitur determinatae poenae locum esse, dum ait canon : *et, si sit parochus*, vel qui « parochis aequiparatur » ex can. 451, § 2, *a paroecia amoveri poterit*, quibus verbis memoratur causa expressa sub tit. XXVII quoad parochum inamovibilem et XXVIII de parocho amovibili, *ad normam can. 2147* sub n. 5° *et seqq.* in alterutro titulo citato.

[1] Dec. S. Officii. 18 Martii 1666. Denzinger. n. 1133.

382. **Alia onera temporalia** sustinenda beneficiorum causa praescribit sub distinctione *can. 1477*. — § *1. Sumptus ordinario modo* seu in singulis diebus, mensibus et annis, v. gr. taxae bonorum immobilium, ad contractus locationis ineundos, etc. *connexi cum bonorum beneficialium*, dotis nempe beneficii *administratione et fructuum* v. gr. agri, pensionis Gubernii *perceptione, a beneficiario ferendi sunt*, quamvis ad hoc deservire queant fructus beneficii.

E contrario statuit § *2. Impensae* solvendae *pro extraordinariis*, id est accidentaliter necessariis v. gr. causa terraemotus, magnis *domus beneficialis* tantum *reparationibus, ab iis ferendae sunt quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam*, seu in qua « beneficium erectum est » (can. 1418), *incumbit*, prouti declaratum manet ad can. 1186, 1° quoad « ecclesiam cathedralem », 2° circa ecclesiam paroecialem, ac 3° quod attinet ad alias ecclesias. Huiusmodi praescriptum concors est reg.ae iuris 42 in 6° : « Accessorium naturam sequi congruit principalis ».

Exceptio subditur, nempe : *nisi* a) *fundationis tabulae*, seu instrumenta erectionis beneficii, b) *aut legitimae* idest : rite factae *conventiones*, tum « initae ab Apostolica Sede cum variis Nationibus » (can. 8), tum inter privatos aut cum municipiis etc., *et consuetudines* quoque « legitimae » vel secundum sacros canones *aliud caveant*, idest : aliis personis aut beneficiario illud onus deferant.

Quia reg. 48 iuris in 6° clamat : « Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura », opportune monet § *3. Minores reparationes quae*, utpote ordinariae ob § 1, beneficiario *ipsi incumbunt*, *beneficiarius quamprimum perficiat*, sic canon urgens illam obligationem in hac parte, *ne maiorum* reparationum, quae ab aliis « ferendae sunt », *necessitas* consequenter *enascatur*.

383. **Ordinarii officium** quoad hanc administrationem praescribit *can. 1478*, ut illarum obligationum adimplementum fulciatur adversus avaritiam aliosque humanos defectus. Itaque *Ordinarius loci obligatione*, quae desiderabatur expressa in can. 336, *tenetur* ex officio suo *advigilandi*, et applicata reg. iuris 72 in 6° : « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum », *etiam per vicarios foraneos* ex illius saltem commissione, sicuti eis « ius et officium est (can. 447, § 1, 4°) invigilandi num bona ecclesiastica diligenter administrentur », ex praesenti canone *ut beneficia-*

lia bona a beneficiario *conserventur et* ab eodem aliisve ad normam can. praec. seu *rite administrentur.*

384. **Specialia damna praecavenda** notat *can. 1479* secundum quod decrevit Conc. Trid. [1], quia « magnam ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona, repraesentata pecunia, in successorum praeiudicium aliis locantur. Omnes igitur hae locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenus in praeiudicium successorum validae intelligantur, quocumque indulto aut privilegio non obstante: nec huiusmodi locationes in Romana Curia vel extra eam confirmentur ». Spiritum Decreti huius servavit praesens canon, dum omissa nullitate actus, custodiae Ordinariorum praescriptum illius sic moderatum concredidit. *In locatione bonorum beneficialium,* sive agri sint, sive domus, etc. *anticipatae solutiones* a conductoribus faciendae permittuntur implicite sub hac temporis limitatione: *ultra semestre*, ac « menses... sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3, 1°), *prohibentur sine licentia Ordinarii loci* (can. 198, § 2°), quae consistit in eius consensu ad hoc, ut non urgeat prohibitio. Talis permissio non coarctatur ad temporis alius limitem, nisi quantum opus sit ad sequens comma servandum: *qui* « Ordinarius loci » *in casibus extraordinariis,* tum propter temporis longitudinem tum propter alias singulares circumstantias, *congruis* ad hos casus *praescriptionibus* ad modum praecepti *caveat ne talis locatio* sub obligatione anticipatarum solutionum *in damnum vergat* quolibet ex motivo, aut *loci pii* « ubi beneficium erectum est » (can. 1418), *aut successorum in beneficio,* qui forsitan inde fraudarentur iuribus temporalibus libere exercendis ad normam can. 1473, vel quoad « reditus beneficii » percipiendos iuxta sequentem canonem.

385. **De distributione annui reditus ob beneficii vacationem,** sicut de simili divisione tempore vacationis ecclesiae aut beneficii agunt simul capita tum Decretalium tum extravagantium. Inter ea seligimus, tamquam praecipuum, cap. 9 « de officio Ordinarii » (I, 16) in 6°. Sic ait Bonif. VIII: « Praesenti prohibemus edicto, ne episcopi, ... seu quivis alii regulares vel saeculares praelati, aut ecclesiasticae quaecumque personae: vacantibus dignitatibus, personatibus, prioratibus vel ecclesiis quibuscumque sibi subiectis

[1] Sess. XXV. de Ref. cap. XI.

seu ad collationem, ordinationem, praesentationem, vel custodiam pertinentibus eorumdem, bona (morientibus eorum rectoribus vel ministris) in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quae in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successoribus reservari, occupare, aut in usus suos convertere quoquo modo praesumant. Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine iam praescripta legitime, seu alia causa rationabili, hoc eisdem competere dignoscatur. Alioquin episcopi et eorum superiores ab ingressu ecclesiae: ceteri vero ab officio et beneficio tandiu eoipso noverint se suspensos: quousque restitutionem fecerint de praedictis.

Porro ubi ex privilegio vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis praedictorum asserit bona competere supradicta: hoc de illis bonis solum debet intelligi, quae solutis debitis si qua sint, et his, quae fuerint necessaria pro servitoribus et ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novos reditus supportandis congrue reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse ». Aliae limitationes illarum exceptionum positae fuerunt in Extrav.^e tum Io. XXII, tum praecipue in Extrav communi [1].

« Sane constitutionem (similem) quam superius specialiter edidimus [2] contra capitula, collegia, conventus seu singulares personas, bona cathedralium, vel regularium, aut collegiatarum ecclesiarum vacantium occupantes: per constitutionem praesentem nolumus in aliquo derogari ».

Mentem iuris praecedentis servat Codex per alia verba illo iure declaranda sub duobus sequentibus, et primus sit *can. 1480. Annui reditus beneficii*, nempe: anni decursu percipiendi vel iam percepti, *inter successorem* illius intra annum *et antecessorem* beneficiarium, qui eosdem forsan percepit, *eiusve heredes* quoad illos reditus relictos vel adhuc percipiendos, qui « heredes » tantummodo *in casu obitus* antecessoris partem habebunt, *pro rata temporis* mensium ac dierum *quo beneficio* illo *uterque* « successor et antecessor » *deservierit* post captam legitime possessionem, *distribuantur* amicabiliter vel auctoritate interveniente, *omnibus proventibus* simul *et* inde *oneribus* detrahendis *currentis anni* quando vacat beneficium, *computatis*, atque distribuendo residuum illorum

[1] Cap. un. « ne Sede vacante aliquid innovetur » 3, Lib. III. — [2] Cap. 40 « de electione et electi potestate » (I, 6) in 6°.

post detractionem inter menses ad dies. Haec generalis norma exceptiones admittit congruenter iuri praecedenti : *nisi* a) *legitima* iuxta ss. canones *consuetudo* b) *aut peculiaria* personarum moralium *statuta,* non dioecesana, quia de his locum non habet quod sint *rite approbata,* id est : iuxta sacros canones, quod tamen proprie dici potest de tabulis fundationis : additurque quando illa vel haec *alium iustae* secundum rationem *compositionis* ex una alterave parte ob circumstantias *modum* a norma diversum *induxerint,* seu illius modi praxis obtenta.

386. **De beneficii reditibus tempore vacationis** praescribit iuri veteri partialiter congruens (can. 6, 3°) *can. 1481.* a) *Deductis* ex beneficii reditibus *cuiuslibet generis*, v. gr. ob taxas, ob agri (si quod possideat) culturam, etc. *expensis, et* b) *salvo praescripto can. 472, n. 1,* de « assignata eidem (vicario oeconomo vacantis paroeciae) parte fructuum pro congrua sustentatione », quae pars est quoque deducenda, *fructus* residui omnes ex dote *beneficii* cuiuslibet *vacantis*, sive episcopatus, sive cum animarum cura, sive absque ipsa, a) *pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii* singularis vel in ecclesiis numeratis, non directe fructibus eius ; ergo si est res pretio aestimabilis in pecuniam est commutanda, et haec aut si constat pecunia, est semper opportune investienda in bonis frugiferis, vel collocanda in obligationes mensarum nummulariorum publicive debiti. In ecclesiis autem non numeratis illa « dimidia pars » accrescit non directe huic beneficio modo declarato, nam sequitur praescriptum *vel massae communi,* quae tenet locum dotis plurium beneficiorum in ecclesia illa. In utroque vero casu *pro altera* « dimidia parte fructuum beneficii », qui supra fuerunt determinati, hi *cedunt fabricae ecclesiae* conservandae, vel restaurandae, *seu sacrario* ad cultus divini exercitium per sacra utensilia et cetera necessaria, cum sequenti exceptione hanc vel utramque dictam partem respiciente : *salva legitima* iuxta canones tit. II, Lib. I, *consuetudine* sola, *qua fructus omnes,* vel eorum pars propter reg. iuris 80 in 6° : « In toto partem non est dubium contineri », supra declarati ob deductionem initio canonis sub litteris a) et b) *in bonum commune dioeceseos,* ac proinde sub cura immediata Ordinarii loci et dioecesani Consilii administrationis, *erogentur,* ad normas sequentis Tituli XXVIII, vel aliorum canonum qui personas morales regunt, v. gr. Seminaria, ad bonum illud directe ordinatas.

387 **Solutio mediae annatae** sub limitationibus conservatur in Codice, cum iuxta Doctorum interpretationem non opponerentur iuri praeexistenti ac retento sub can. 1440 et 1441.

[1] « Nomine mediae annatae venit pars fructuum primi anni, quos ex beneficiis Sedi Apostolicae reservatis percipit Camera Apostolica in expeditione Bullae collationis beneficii ». Illa defenditur immunis a labe simoniaca, eo quod « sincera notio annatarum est, ut ex legitima causa absque pacto aliquid exigatur. Propter abusus in exactione taxarum beneficiariorum exortos, quae statutae fuerunt a Romanis Pontificibus, ut ope horum fructuum Rom. Pont. suae honestae sustentationi nec non S. R. E. Cardinalium decori consuleret, et ex hisce fructibus erueret unde necessitatibus Ecclesiarum et emergentibus eventibus provideret, Bonifacius IX fuit, qui legem statuit, ut annatae anticipata solutione solverentur; scilicet: computatione facta fructuum beneficii in ipsa collatione, aequa portio fructuum Camerae Apostolicae solveretur ».

Tandem Bened. XIII in const. « Pius et misericors » [2] praecipit, « ut Episcopi in collationibus beneficiorum imponant clericis provisis annatas applicandas fabricae Ecclesiae cathedralis ».

Hanc disciplinam supponit *can. 1482,* dum edicit: *Quod ad mediam annatam, quam vocant*, proinde ut explicata est, *attinet, retineatur*, tam erga Sedem Apostolicam, quam in dioecesibus percipienda, quin aliquid novi praescribatur. Solummodo *et peculiaria statuta* sive dioecesana, sive fundationis, aut capitularia, *ac laudabiles consuetudines*, (quales non essent, quando mediae annatae « in usus pios non convertuntur », aut quae « simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habent », secundum quod Trid. Conc. decrevit) [3], *in unaquaque regione circa eam* mediam annatam *vigentes serventur*. Hoc tamen non impedit, quominus illa mutari, vel consuetudines aboleri, in futurum queant ad normas ss. canonum.

388. **De bonis beneficii episcopalis** specialiter cavet *can. 1483* per tres paragraphos, primo quidem in genere, postea de episcopali domo, ac demum de inventario.

§ *1. Bona* tum mobilia tum immobilia *mensae episcopalis*, quae nempe temporalia ad ius beneficii episcopi pertinent, *ab Epi-*

[1] Vide v. gr. Santi. Praelectiones Iuris canonici. Lib. III. tit. XII, n. 8. — [2] 28 Apr. 1725. Appendix Synodi Romanae. — [3] Sess. XXIV cap. 14 de Ref.

scopo per se vel per alium *diligenter* seu cum magna cura *administrentur* per omnes actus hanc constituentes, ut explicabitur in Tit. XXVIII Partis sequentis. Hi enim sunt tales, quibus applicari potest reg. iuris 72 in 6°: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ». Insuper in hoc canone « nomine Episcopi venit quoque Abbas vel Praelatus *nullius* » (can. 215, § 1), dummodo « Abbatia vel Praelatura *nullius*, tribus saltem paroeciis constet » (can. 319, § 2).

§ *2. Domus episcopalis*, non iam ex Episcopi inhabitatione, sed quia est de iure sui beneficii et ad illum destinata, *sarta* quoad omnes suas partes *tectaque* contra pluviam aliasque intemperies *conservetur* per convenientes reparationes, imo *et*, *si opus sit* propter accidentia vel temporis actionem, *restauretur et reparetur*, etiam magnis sumptibus necessariis, sed *impensis eiusdem mensae*, idest: reditibus ac dote beneficii episcopalis, *quoties huiusmodi onera*, omnia huius §[i] vel quaedam *ex peculiari titulo* v. gr. conventionis gubernii cum Sede Apostolica, *aliis non incumbant*, qui « titulo » iustitiae vel legali ad id teneantur.

§ *3. Curent quoque Episcopi*, et est consilium reverentiae, verum autem praescriptum, *ut*, *accurato* quoad omnia *inventario* seu elencho in scriptis *confecto* ac fidem faciente, *utensilia omnia* sic dicta ob domus usum, *vel bona mobilia*, qualia non sunt fenestrae, portae, aliaque connexa a) *domui episcopali* etiam quoad oratorium *forte addicta* quolibet ex motivo, b) *atque in mensae* seu beneficii episcopalis *dominio* directo vel utili constituta legitime, non vero alia quaelibet de iure patrimoniali vel industriali Episcopi, *ad successorem* in beneficio *ex toto*, seu nihil detracto per ipsum vel alium, etiam per omissionem in inventario, *secureque* v. gr. utendo legis civilis protectione vel ecclesiastici viri certa fiducia *transmittantur* per eos, ad quos pertineat secundum can. 444.

CAPUT VI.

De dimissione et permutatione beneficiorum.

Can. 1484. - Ordinarius ne admittat dimissionem beneficii a clerico in maioribus ordinibus constituto factam, nisi constet eum necessaria ad honestam sustentationem aliunde habere, et firmo praescripto can. 584.

Can. 1485. - Dimissio beneficii, cuius titulo clericus ordinatus fuit, irrita est, nisi expressa mentio fiat clericum illius titulo promotum fuisse, eidemque, de consensu Ordinarii, alium legitimum ordinationis titulum substituisse.

CAN. 1486. - Dimissionem beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua conditione, quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat, Ordinarius admittere nequit, nisi in casu quo beneficium sit litigiosum et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius.

CAN. 1487. - § 1. Permutatio duorum beneficiorum fieri valide nequit, nisi propter Ecclesiae necessitatem vel utilitatem aliave iusta de causa, sine aliorum detrimento, de consensu patroni, si agatur de beneficio iuris patronatus, et Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine peculiari mandato, nec Vicarii Capitularis, et servato praescripto can. 186.

§ 2. Ordinarius intra mensem consensum praestet vel deneget; et permutatio valet a momento consensus ab Ordinario praestiti.

§ 3. Beneficiorum permutatio admitti nequit ab Ordinario, si utrumque aut alterutrum beneficium sit Sedi Apostolicae reservatum.

CAN. 1488. - § 1. Si beneficia permutanda inaequalia sint, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cuiusque rei pretio aestimabilis.

§ 2. Permutatio fieri nequit inter plures quam duos beneficiarios.

389. **Inscriptio Capitis.** Iam est transeundum ad exponendum *Caput VI* et ultimum huius Tit. XXV « De beneficiis ecclesiasticis ». Hoc partialiter continet normas servandas *De dimissione*, quae idem est ac renunciatio, et facienda ad normam can. 184-191, praeter sequentes in hoc capite VI, nam « beneficium ecclesiasticum est constans officio sacro » (can. 1409) et in can. 146 dicitur: « De beneficialibus officiis, praeter canones, qui sequuntur, custodiantur insuper praescripta can. 1409 et seqq. » : *et* propter hunc canonem idem dicatur *de permutatione beneficiorum*. Quae intelligenda sunt etiam inamovibilia, sed tantummodo ad Ordinarii collationem pertinentia, ut eruitur ex canonum huius Capitis contextu.

Quaeri potest: quid sentiendum quoad dimissionem beneficiorum consistorialium, ac permutatione beneficiorum Sanctae Sedi reservatorum. Resp. illorum dimissiones, sicuti et translationes Episcopi, etiam solum confirmati, utpote auctoritate Romani Pontificis acceptandas et faciendas [1], qui supra ius est positus, non fuerunt iure Codicis moderandae. Attamen valent ut causae iustae renunciationis, quae ab Innoc. III explicantur in cap. « Nisi cum pridem » 10 tit. « de renunciatione » (I, 9) X, et his versibus continentur:

« Debilis, ignarus, male conscius, irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit ».

In dimissione ac permutatione beneficiorum, quae a Dataria Apostolica conceduntur, quia S. Sedi reservata, videtur eamdem esse omissionis in Codice rationem: est enim Romani Pontificis

[1] Capp. 1 et 2 « de translatione Episcopi » (I, 7).

organum, quod requirit ordinarie ut serventur canones sequentes, ex quibus liquent etiam dimissiones ac permutationes S. Sedi reservatae.

390. **Ordo inter canones** sequentes, quorum tres priores agunt de dimissione, duo alii de permutatione, talis est. Vetat admissionem can. 1484, et can. 1485 irritat dimissionem beneficii ratione clerici possidentis illud. Can. 1486 limitationes affert potestati Ordinariorum quoad dimissiones admittendas, et dum can. 1487 normas tradit servandas in permutatione ad exitum perducenda, simoniam iuris ecclesiastici decernit can. 1488 atque multiplicitatem vetat in permutandis beneficiis.

391. **Causae iustae ad renuntiandum beneficium** videntur implicite admitti ex iure veteri, dum absolute asserit can. 184: « Quisque sui compos potest officio ecclesiastico *iusta de causa* renuntiare ». Ius illud continetur in textu supra citato const. « Quanta Ecclesiae » S. Pii V [2]. Sic enim legitur ibidem § 3: « Episcopi et alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere et admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati aut crimini obnoxii, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent ecclesiae, vel beneficio inservire; seu qui unum illud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id reipsa exequantur: denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Const. fel. rec. Innoc. PP. III de dimittendis cathedralibus ecclesiis edita continetur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. (Et hoc translatum est explicite in seq. canonem). Ad haec, beneficiorum et officiorum permutationes admittere quae canonicis sanctionibus (nunc in huius capitis can. 1487 circa beneficia contentis) et apostolicis constitutionibus permittuntur ».

392. **Prohibitio admittendi beneficii renunciationem** est posita sub *can. 1484*, qui, aliqua mutatione adhibita « cum veteri

[1] 1 Apr. 1568.

iure congruit » (can. 6, 3°). *Ordinarius* loci ex contextu (can. 198, § 1) *ne admittat*, quin contrarium « actum esse nullum expresse vel aequivalenter statuatur » (can. 11), *dimissionem* in Capitis inscriptione declaratam *beneficii* cuiuslibet (can. 1411), sed eo quod *a clerico in maioribus ordinibus*, seu saltem subdiaconatu, *constituto factam*, quamvis « sui compos sit » (can. 184), imo etsi « religionem ingressurus », sublata exceptione const. « Quanta Ecclesiae », nisi *constet* certo moraliter ex documentis, testibus, etc. extraiudicialiter *eum* clericum *necessaria* solum pro eiusdem conditione *ad honestam sustentationem* in victu, vestibus et habitatione *aliunde* v. gr. ex peculio patrimoniali *habere* de facto seu cum actuali possessione non transeunte, *et firmo praescripto can. 584*, videlicet: quod, non post inceptionem novitiatus, vel emissam professionem, sed « post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia; post triennium cetera ».

393. **Irritatio dimissionis beneficii** « expresse statuitur » (can. 11) in *can. 1485*, equidem secundum Dec. Conc. Trid. [1]: « Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere », quae ratio valet etiam pro can. praec., compertumque sit abusus irrepsisse quoad ordinationem in sacris absque vero ac sufficienti titulo, plura decernit nunc posita in Codice sub Titulo « de Ordine » VI huius Libri. Et infra prosequuntur Patres Concilii: « Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit ».

Nunc ex canone *Dimissio beneficii*, quin consideretur hic privatio beneficii huiusmodi vel amotio talis beneficiarii, *cuius titulo* ad normam can. 979 *clericus* « in ordinibus maioribus » (can. 974, § 1, 7°) *ordinatus fuit*, et tunc tantum *irrita est*, quae implicitam praescripti prohibitionem secumfert in dante dimissionem et hanc acceptante, sub limitationibus tamen a) *nisi expressa mentio fiat* in renuntiatione ad normam can. 186 peracta, « ut valida sit », *clericum* renuntiantem *illius* beneficii *titulo promotum fuisse* ad ordinem maiorem, b) *eidemque*, dimisso beneficio, *de consensu Ordi-*

[1] Sess. XXI de Ref. cap. 2.

narii renunciationem acceptantis *alium legitimum* idest: secundum can. 979 vel 981 *ordinationis titulum* praecise *substituisse,* nec sufficeret in casu renunciationis, quod « ordinato in sacris,... iudicio Episcopi, eius congruae sustentationi cautum sit », sicut habet can. 980, § 1, « si titulum amittat », et in Conc. Trid. expresse id extendebatur ad praefatae renunciationis casum. Sic tamen illud Decretum fuit recte interpretatum.

394. **Dimissiones, quarum acceptatio S. Sedis reservatur.** In Conc. Trid. sic. invenimus Decretum [1]: « Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur;... reciprocae resignationes, si quae posthac a parentibus clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur; in fraudem huius decreti, et canonicarum sanctionum factae omnino censeantur; nec collationes secutae, vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quae in fraudem factae fuerint, ipsis clericorum filiis suffragentur ».

Hoc praescriptum et alia praecedentis iuris amplectitur dicens *can. 1486. Dimissionem beneficiorum* quorumlibet et a quibuslibet facta *in commodum aliorum,* nempe: ut hi ea consequi possint, *vel sub aliqua conditione* proprie dicta, videlicet quae omnino adimplenda sit ratione acceptationis eius, quae duplex a canone sic expressa: *quae* conditio *ipsam beneficii* sequuturam *provisionem* quomodocumque *aut redituum erogationem* etiam partialem iure non permissam expresse *attingat.* Dedi hanc interpretationem, ut canon concordet cum § 2 can.[s] 1429, in quo « beneficiis paroecialibus imponere pensiones » Ordinario loci sub limitationibus conceditur, nam de illis dimissionibus praescriptum est: *Ordinarius* loci ex contextu (can. 198, § 2) *admittere nequit,* seu S. Sedi talis admissio est reservata, nam quoad vitandum commodum aliorum, ait Conc. Trid. [2]: « in beneficiis ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sunt odiosa, et patrum decretis contraria ».

In hoc Capite omissa fuit ordinatio regulae 19 Cancellariae Apostolicae, quae ad evitandas fraudes et speciem hereditariae successionis, statuebat clericorum infirmorum resignationes non va-

[1] Sess. XXV, de Ref. cap. 15. — [2] Sess. XXV, de Ref. cap. 7.

lere, nisi per 20 dies completos illi supervixerint computandos a resignationis die. Ergo non viget iuxta ea quae diximus in Commentario Textus ad Lib. I n. 31. Canon autem praesens limitationem sui praescripti congruentem iuri praecedenti ita exprimit: *nisi in casu quo* a) *beneficium sit litigiosum*, videlicet: de legitimo illius beneficii titulari « lis pendere incipit », seu « cum citatio (iudiciali) legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint » (can. 1725, 5°), *et* b) *dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus* ob ius dubium, quod ei fortassis competit, *in commodum alterius* collitigantis, dummodo « beneficium sit liberae collationis Ordinarii », nam hac deficiente conditione « instantia non interrumpitur », sed prosequenda est ad normam can.s 1734. Et hoc statutum valde conformatur menti Codicis expressae in cap. I « de transactione » Tit. XVIII, Lib. IV, praesertim in can. 1927, § 1.

395. **Normae cuiuslibet permutationis beneficiorum.** Bonifacius VIII supponit hanc permutationem valere ac licitam esse, dum ait [1]: « Licet in tua dioecesi aliqui auctoritate apostolica beneficia proximo vacatura exspectent: illos tamen qui secundum formam iuris beneficia in eadem dioecesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, libere ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant: Nolumus occasione praemissa (aequitatem praeferentes in hac parte rigori) circa faciendam permutationem beneficiorum huiusmodi, quae alias minime resignassent, ullatenus impediri ».

Quoad « formam iuris » Innocentius III de permutantibus beneficia testatur [2]: « licet ipsi (beneficiarii) per se de iure non possunt ecclesiastica beneficia permutare, ut tamen simpliciter venia tribuatur ». Quamvis Urbanus III asserat ut principium [3]: « Generaliter itaque teneas, quod commutationes praebendarum de iure fieri non possunt: praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniae ».

« Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ».

His iuris principiis concordat *can. 1487. § 1. Permutatio duorum* tantum *beneficiorum,* id est: renunciatio conditionata ex causa

[1] Cap. un. « de rerum permutatione » (III, 10) in 6°. — [2] Cap. 8 « de rerum permutatione » (III, 9) X. — [3] Cap. 5, tit. cit. Lib. III, X.

permutationis cum effectu, quando nempe duo beneficiarii renunciant sub ea tantum conditione ut unus eorum in alterius beneficium instituatur, hoc effectu sequuto, *fieri valide nequit, nisi* a) *propter Ecclesiae* scilicet communitatis fidelium *necessitatem* sic subveniendam *vel utilitatem* ex permutatione orituram *aliave iusta de causa* fortassis permutantium v. gr. maiori spirituali profectu, ratione sanitatis necessariae ad sacrum ministerium, b) *sine aliorum detrimento* circa proprium ius, quando ex permutatione illud oriretur, c) *de consensu patroni, si agatur de beneficio iuris patronatus,* quia in tali permutatione alius clericus providetur de beneficio, ad quod praesentandus esset a patrono, *et* etiam « de consensu » *Ordinarii loci,* nam « officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri » (can. 147, § 1), et hoc sensu atque ad normam iuris dandus est consensus ille, *non autem* sufficit « consensus » *Vicarii generalis sine peculiari* ad hoc *mandato* praeter institutionem officii sui, *nec Vicarii Capitularis,* etsi alioquin venirent sub « nomine Ordinarii loci » (can. 198), *et* demum *servato praescripto can. 186,* nempe: quod « renunciatio (quae in peragenda permutatione includitur) fieri debet a renuntiante (utroque, subiecto permutationis) aut scripto aut oretenus coram duobus testibus aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum ».

§ *2. Ordinarius* « loci » semper ex contextu (can. 189, § 2) ac iuxta § 1m, *intra mensem*, qui « sumatur prout in calendario et finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » (can. 34, § 3, n.° 3°) ac ille in quo praesentatio renuntiationis ad obtinendam permutationem fuit ab utroque beneficiario completa, *consensum* necessarium ex §° 1° ut permutatio valeat, *praestet* atque exprimat « scripto » (can. 159), quia vim habet provisionis canonicae utriusque beneficii, ut patet ex secunda §i parte, *vel deneget* explicite, quod tempus fuit a Greg. XIII determinatum in const. « Humano vix iudicio » [1] pro admissione cuiusvis renunciationis beneficiorum « ad vitandas simulatas occultasve beneficiorum resignationes ». Cessavit urgere §us quoad tempus trium mensium ad capiendam postea huiusmodi beneficii iam provisi possessionem ob praescriptum can. 1444, § 2, quod permutationem beneficiorum sua generalitate comprehendit. *Et* sequitur in praes. canone *permutatio valet,* ita ut unusquisque

[1] 5 Ian. 1584, § 7.

ex beneficiariis permutantibus provisus sit de alterius beneficio *a momento consensus* firmi per sufficientem in foro externo manifestationem *ab Ordinario* competente *praestiti,* quapropter praecedat oportet adimplementum requisitorum ex § 1° ut « permutatio duorum beneficiorum valide fiat ».

Quod S. Pius V in const. « In conferendis » disposuit de paroeciis reservatis S. Sedi, eo quod in earum collatione non fuerit forma concursus a Conc. Trid. praescripta, extendit ad omnia beneficia reservata § 3. *Beneficiorum,* vel haec « dicantur curata vel non curata » (can. 1411, 5°), *permutatio* supra declarata *admitti nequit* valide per consensum *ab Ordinario* quocumque, etsi S. Rom. Ecclesiae Cardinali, *si utrumque* permutandum *aut* solummodo *alterutrum beneficium sit Sedi Apostolicae* hic et nunc quacumque ex causa sub can. 1435, § 1 expressa *reservatum,* nam « ab inferioribus Sedi Apostolicae beneficia reservata invalide conferuntur » (can. 1434).

396. **Prohibitiones in permutatione servandas** ex iure praecedenti refert *can. 1488. § 1. Si beneficia* duo *permutanda,* ut supra, *inaequalia* in reditibus temporalibus *sint* notabiliter; secus enim abest motivum, ob quod etiam *nequeunt compensari* (ut videretur omnino licitum, absente simonia iuris divini) a) *reservatione fructuum* aliquorum, qui excedunt obtinendos ex altero beneficio, b) *aut praestatione* quamvis semel *pecuniae seu cuiusque rei* illi aequipollentis, utpote *pretio aestimabilis,* equidem « ob periculum irreverentiae erga rem spiritualem » seu officium, quod in beneficio continetur. Transgressio ergo huius prohibitionis « est simonia iuris ecclesiastici » (can. 727, § 2).

§ 2. *Permutatio fieri nequit* ob huius canonis vetitum *inter plures quam duos beneficiarios.* Videlicet: prohibentur resignationes beneficiorum triangulares et quadrangulares dictae, cum tres clerici vel quatuor sibi mutuo resignant beneficium proprium cum hac lege, ut prior cedat beneficium in favorem secundi, secundus in favorem tertii, et ita porro, et ultimus in favorem prioris. « Permutatio » secus facta esset quoque invalida, quia ex can. 1487, § 1 facienda esset « de consensu Ordinarii loci », sed talis consensus subintelligeret dispensationem § 2, can.s 1488, a qua « generali Ecclesiae lege Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt » valide. Ergo nec talem consensum valide adiungere.

TITULUS XXVI.

De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus.

Can. 1489. – § 1. Hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, possunt ab Ordinario loci erigi et per eius decretum persona iuridica in Ecclesia constitui.

§ 2. Loci Ordinarius haec instituta ne approbet, nisi finis fundationis utilis reapse sit, et talis constituta fuerit dos, quae, omnibus perpensis, sufficiat vel sufficiens fore prudenter praevideatur ad illum assequendum.

§ 3. Horum institutorum administrare bona sui cuiusque rectoris est, secundum normas tabulae fundationis; hic vero iisdem obligationibus tenetur, iisdemque iuribus fruitur, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum.

Can. 1490. - § 1. In tabulis fundationis pius fundator accurate describat totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem et regimen, usum redituum et successionem in bona, casu exstinctionis ipsius instituti.

§ 2. Huiusmodi tabulae duplici exemplari conficiendae sunt, quorum alterum in archivo instituti, alterum in archivo Curiae reponatur.

Can. 1491. - § 1. Loci Ordinarius omnia huiusmodi instituta, etiam in personam moralem erecta et quovis modo exempta, visitare potest et debet.

§ 2. Imo licet in personam moralem non sint erecta et domui religiosae concredita, si quidem agatur de domo religiosa iuris dioecesani, iurisdictioni Ordinarii loci penitus subduntur; si de domo religiosa iuris pontificii, episcopali vigilantiae subsunt quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem.

Can. 1492. – § 1. Etiamsi fundatione, praescriptione aut privilegio apostolico pium institutum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit, ius tamen Ordinario est redditionem rationum exigendi, reprobata contraria consuetudine.

§ 2. Si fundator velit administratores non teneri rationem Ordinario loci reddere, fundatio ne acceptetur.

Can. 1493. - Ordinarius loci advigilet ut piae fidelium voluntates, in horum institutorum fundatione expressae, plene serventur.

Can. 1494. - Sine venia Sedis Apostolicae haec instituta supprimi, uniri, vel in usus a fundatione alienos converti nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur.

397. **Inscriptio tituli ordoque canonum.** Pervenimus ad postremum huius Partis *Titulum XXVI.* Eius inscriptio incipiens *De aliis* subaudit, hic agi non aliter ac in praecedenti de personis moralibus, prout certo sunt « beneficia » (can. 99), proptereaque in idem recidere de *institutis ecclesiasticis,* quae existentiam et modum ab Ecclesia sortiuntur, *non collegialibus,* quia ut instituta personis physicis carent. Sub hoc titulo, notio datur eorum simul ac normae, quibus servandis, rite constituantur, edicuntur in can. 1489, 1490, iura et officia Ordinariorum erga ipsa rite condita inveniuntur in can. 1491, 1492, dum can. 1493 loquitur de mutationibus ac fine horum institutorum.

398. **Horum institutorum notio, approbatio et administratio.** *Can. 1489. § 1. Hospitalia* infirmis curandis, *orphanotrophia* pro sustentatione ac educatione orphanorum, *aliaque similia* ob eorum dispositionem *instituta,* seu in hominum societate condita, fortassis per privatas personas, *ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis,* uti scholae, *sive temporalis*, v. gr. ad colligendos et fovendos senes ac invalidos, *destinata, possunt ab Ordinario loci* (can. 198, § 2) etiam Vicario generali et Capitulari *erigi* de novo, *et* insuper aut ab aliis quoque erecta *per eius* « Ordinarii » formale *decretum* ad hoc necessarium *persona iuridica* seu « moralis » (can. 100, § 1), ut patet non collegialis, *in Ecclesia* uti societate perfecta ob finis congruentiam *constitui.* Animadvertatur non opus esse iure, ut omnia huiusmodi instituta in personam moralem constituantur.

Ex animadversione deprehenditur accurate sensus § *2. Loci Ordinarius* (can. 198. § 2) *haec instituta* declarata sub §° 1° *ne approbet*, multo minus in personam iuridicam constituat, et sic Ecclesiae aliena remaneant, *nisi* a) *finis fundationis*, seu erigendi erective instituti, *utilis reapse sit* fidelibus, b) *et talis constituta fuerit dos,* vel summa pecuniae aut immobilium pro ipso tradita, *quae, omnibus* loci, temporum ac scopi circumstantiis *perpensis*, *sufficiat* quoad eius reditus pro nunc, *vel sufficiens fore* in proxime futurum tempus *prudenter* seu cum fundata spe *praevideatur ad illum* finem *assequendum.*

§ *3. Horum* diversorum *institutorum* §[i] 1[i] *administrare bona* dotis eiusque fructuum pro finis consecutione *sui cuiusque* instituti *rectoris est* ius et officium, « quocumque ille nomine censeatur » [1], illudque facere debet ac obtinet *secundum normas* seu articulos obligatorios *tabulae* seu instrumenti *fundationis*, qua erectum est institutum approbationeque saltem munitum ecclesiastica; *hic vero* rector *iisdem obligationibus* insuper iuris canonici *tenetur*, *iisdemque iuribus* ex illo *fruitur*, *quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum*, nempe secundum normas Partis sequentis in hoc Libro.

399. **Servanda in erectione** recenset *can. 1490. § 1. In tabulis* idest: scripturis *fundationis*, seu erectionis instituti eccle-

[1] Conc. Trid. Sess. VII, cap. 15, de Ref.

siastici sub § 1. can.[s] praec.[s], *pius fundator,* sic dictus utpote suppeditans instituto necessaria, *accurate describat* ob huius canonis praescriptum a) *totam instituti constitutionem*, quoad eius partes, *finem* instituti proprium, *dotationem* seu bona mobilia et immobilia, quae ipsi attribuit, *administrationem*, nempe: per quas personas et quo modo sit gerenda, *et* idipsum, quoad *regimen, usum redituum* forsitan pro diversis eorum partibus, *et successionem in bona* dotis, seu cui adveniet eorum dominium *casu exstinctionis* iustae vel iniustae *ipsius instituti.*

§ *2. Huiusmodi tabulae* seu scripturae *duplici exemplari* authentico *conficiendae sunt* ex canonis praescripto, *quorum alterum in archivo instituti*, hinc praesuppositi quoad coexistentiam, *alterum in archivo Curiae* seu « dioecesano » (can. 375) *reponatur.*

400. **De visitatione horum institutorum** decrevit Conc. Trid.[1]: « Episcopi... habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant; non tamen quae sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia (quae exceptio, uti privilegium regale viget ad normam can. 4): eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiam si praedictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt; ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum canonum statuta, cognoscant, et exsequantur; non obstantibus, quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut statuto ».

Hoc « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 1491.* § *1. Loci Ordinarius* (can. 198, § 2) *omnia huiusmodi* seu sub § 1° *instituta,* vel solum approbata iuxta § 2 can.[s] 1489, aut *etiam in personam moralem* « per illius formale decretum » *erecta* imo *et quovis modo* in seipsis *exempta* ab illius iurisdictione, *visitare potest et debet*, nisi exemptio ad alium Praelatum deferat expresse huiusmodi visitationem.

§ *2. Imo licet* a) *in personam moralem non sint erecta*, quod confirmat dicta in commentario can.[s] 1489, § 2, *et* b) *domui re-*

[1] Sess. XXII de Ref. cap. 8.

ligiosae concredita per fundatoris voluntatem aliove modo legitimo, de quibus solis est paragraphus haec, a) *si quidem agatur de domo religiosa iuris dioecesani*, nempe: « religionis, quae ab Ordinariis erecta, laudis decretum ab Aplca. Sede nondum obtinuit » (can. 488, 3°), *iurisdictioni Ordinarii loci*, in quo sita est domus illa, *penitus* quoad administrationem, visitationem, regimen, etc. *subduntur* instituta illa; b) *si* « agatur » *de domo religiosa iuris pontificii*, sive « Ordinis sive Congregationis religiosae » (can. 488, 2°), *episcopali vigilantiae* seu Ordinarii loci *subsunt*, non obstante illarum exemptione, tum vi Dec.[1] cit.[1] Conc. Tridentini, tum vi const. « Conditae a Christo » Leonis XIII § 2, n. X [1], sed cum restrictione: *quod spectat ad* a) *religionis* solius *magisteria* in doctrina, b) *honestatem morum* in educatione vel conversatione, c) *exercitationes pietatis*, ut sint conformes disciplinae ecclesiasticae de sacra liturgia et sanae religioni, d) *sacrorum administrationem* iuxta ss. canones.

En textus citatus: « Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsunt (iisdem verbis additis, quae in canone), integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa ». Quae clausula etiam nunc viget, tum vi can. 4, tum quando privilegia eiusmodi « directe religioni (cuius est domus religiosa supra dicta) eidem concessa fuerint » (can. 613, § 1).

401. **Cuinam reddendae sint rationes institutorum,** congruenter iuri praecedenti praescribit *can. 1492*. Sic enim legitur in Conc. Trid. [2]: « Administratores, tam ecclesiastici, quam laici, fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, *hospitalis*, confraternitatis, *eleemosynae montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum*, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus, et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione, et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordi-

[1] 8 Dec. 1900. — [2] Sess. XXII de Ref. cap. 9.

narius; et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur ».

Hanc disciplinam invenimus retentam in Codice. § *1. Etiamsi* a) *fundatione*, b) *praescriptione* translativa iuris sequentis, c) *aut privilegio apostolico*, quibus modis potest iure, *pium* ob scopum « religionis vel caritatis » (can. 1489, § 1) *institutum a iurisdictione* imo *et visitatione Ordinarii loci* contra can. 1491, § 1 *exemptum fuerit, ius tamen Ordinario est* etiam quoad « pium institutum domui regulari concreditum », *redditionem rationum* expensarum et receptorum *exigendi* ad summum « singulis annis », *reprobata contraria consuetudine*, quae « tamquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5). Sed privilegium adversus hunc paragraphum, dummodo sit post Conc. Tridentinum « ab Apostolica Sede concessum, in usu adhuc, nec revocatum », integrum manet. (Can. 4).

Relictis fundationibus, prout fuerunt ante Codicem quoad praecedens praescriptum, ait § *2. Si fundator* seu erigens pium institutum *velit administratores* huius *non teneri* ex tabulis *rationem* supple « administrationis » *Ordinario loci reddere,* quin obstet quod aliis deferat ius rationes exigendi, dummodo ille non excludatur, *fundatio ne acceptetur*, quod necesse est ut institutum sit ecclesiasticum. Deest tamen clausula irritans acceptationem prohibitam.

402. **Vigilantia adhibenda in praedictis** exhibetur in *can. 1493*, qui breviori sententia continet extensa decreta Conc. Trid.[1] de hac re, atque Clementinam « Quia contingit » (III, 11) ibidem citatam. *Ordinarius loci advigilet* in visitatione aut rationum redditione, et cum effectu ratione officii urgendo, *ut piae fidelium voluntates in horum institutorum* piorum *fundatione* seu ipsius tabulis *expressae, plene serventur* ab his, qui ad hoc sunt praepositi eis.

403. **Suppressio, unio ac mutatio institutorum huiusmodi** sic prohibentur per *can. 1494. Sine venia Sedis Apostolicae* ad normam can. 7, videlicet: S. Congregationis Concilii vel de Religiosis pro casuum diversitate, atque mutato iure praecedenti ut cautius procedatur, *haec instituta* pia quaelibet a) *supprimi* quoad personalitatem, sicut in cap. 4 « de religiosis domibus, ut episcopo sint subiecta » (III, 36) cautum erat, « si locus ad hospitalitatis usum, et pauperum provisionem fuerit (sicut moris est) auctoritate

pontificis destinatus », sicut « antiqua consuetudo indubitanter observat, et venerabilium patrum edocent sanctiones ». ut ait Urb. III Ariminensi episcopo. Insuper b) *uniri* v. gr. alicui beneficio, seminario, etc. sicuti legitur in cit. Clementina: « nullus ex locis ipsis secularibus clericis in beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine (quam reprobamus penitus) hoc fuerit observatum ». Ac demum c) *vel in usus a fundatione alienos,* qui ex tabulis cognoscuntur, *converti nequeunt,* revocato Decreto Conc. Trid. [1], quod sic se habet: « Quod si hospitalia haec ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae, aut perpaucae reperiantur; mandat adhuc (S. Synodus), ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit »: quae motiva nunc possunt deservire tantum ad illam Sedis Aplcae. veniam implorandam.

Prosequitur Concilium: « nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet episcopus ». Hoc praescriptum Concilii translatum est in canone, dum hic explicit hoc modo: *nisi in tabulis fundationis* ante vel post Concilium Trid. Codicemve *aliud caveatur,* quae clausula salvatoria unioni ac suppressioni pariter extenditur, nam in Clem. cit. quoque reperitur.

[1] Cap. 8 sess. XXV de Ref.

PARS SEXTA

De bonis Ecclesiae temporalibus

Can. 1495. - § 1. Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos.

§ 2. Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi.

Can. 1496. - Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria.

Can. 1497. - § 1. Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant, sunt *bona ecclesiastica*.

§ 2. Dicuntur *sacra*, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; *pretiosa*, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa.

Can. 1498. - In canonibus qui sequuntur, nomine Ecclesiae significatur non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat.

404. **Inscriptio Partis sextae et canones introductorii.** Ultima huius Libri est *Pars sexta. De bonis Ecclesiae* seu quorum haec dominium habet, qua societas perfecta, vel in suis personis, quae sive collegiales sive non collegiales ab eadem ius dominii derivant in bonis *temporalibus*, quae videlicet ad vitam temporalem deserviunt, et quibus illa, ut societas visibilis indiget. Canones praeliminares diversa huiusmodi iura Ecclesiae primo vindicant sub num. 1495, 1496, distinctiones bonorum illorum exhibet can. 1497 et postremus significationem verbi Ecclesiae iuridicam determinat.

405. **Personae in Ecclesia, quibus competit ius erga bona temporalia** designantur per *can. 1495. § 1. Ecclesia catholica,* utpote societas visibilis perfecta ex sui natura et ex Divini Salvatoris fundatione, *et Apostolica Sedes* sumenda pro Supremo Principatu in illa, non pro Camera Apostolica, quae solum est officium ad bona illius administranda, *nativum* seu ex natura propria

exortum simul cum existentia utriusque, *ius* idest: facultatem moralem quae lege divina perpetuitatis Ecclesiae Christi supra Petrum fulcitur, *habent libere* quoad modos adhibendos ex natura provenientes et apud homines licite usitatos absque ulla limitatione, quamvis praetextu propriae cavendae necessitatis ad finem temporalem, *et independenter* ex suprematia Ecclesiae, *a civili potestate*, eo magis quod Deus « terram dedit filiis hominum » pro utraque spirituali ac temporali condita societate, tum *acquirendi*, sive a personis physicis, sive a societate civili, eiusque personis moralibus, bona mobilia seu immobilia cuiusque generis, *tum retinendi* sub quo verbo et possidere legitime et non alienare comprehenduntur etiam in casu prop[a]. damnatae in Conc. Constant. « 16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus », *et administrandi* per procuratores sibi bene visos *bona temporalia* sub inscriptione declarata, pretio proinde aestimabilia, ac pecuniam, *ad fines sibi* supple « Ecclesiae catholicae et Apostolicae Sedi » *proprios* iuxta Christi institutionem perfecte *prosequendos*. Ex Commentario elucet quam iuste sit damnata in Syllabo errorum a Pio IX « prop. XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi ». Et contra paragraphum fuit damnata ibidem « Prop. XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi ».

§ 2. *Etiam ecclesiis singularibus,* scilicet: tum dioecesibus tum aedibus sacris, *aliisque personis moralibus* « collegialibus et non collegialibus » (can. 99), *quae ab ecclesiastica auctoritate* unice considerandae a Codice *in iuridicam personam,* id est in iurium subiectum « per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum » (can. 100, § 1) *erectae sint*, et hac de causa participantes naturam existentiamve illius ecclesiae, uti partes eiusdem, inde *ius est* in erectione implicitum et vi huius canonis tributum, sed *ad normam sacrorum canonum* quoad eius limites ac exercitium, *bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi,* prout illud multiplex « ius » fuit in § 1° declaratum quoad verba hic relata.

Haec iura fuerunt a remota antiquitate per Ecclesiam ad praxim deducta diversimode, prout tempora, personae et loca ferebant, atque data opportunitate per multiplicia documenta et facta sibimetipsi

vindicavit. Illud tamen ius probare, explicare ac propugnare, sicut et prudentem proponere praxim ad utriusque societatis iustam coexistentiam pertinet ad disciplinam iuris publici ecclesiastici.

406. **Ecclesiae ius erga fideles respectu temporalium.** Baptismate fideles nullo modo amittunt naturale ius acquirendi, retinendi et administrandi bona eorum temporalia, nec bona fiunt subiecta Ecclesiae eo modo, quo societati civili ob finem eius temporalem, v. gr. quoad expropriationem obligatoriam. Attamen non solum ex natura humanae societatis cuiuslibet, sed etiam ex speciali Ecclesiae divina ordinatione fuit damnata prop. 54 [1] Synodi Pistoriensis, ut « falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosa », exposito sensu: ...« quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur ».

Porro sic edicit *can. 1496. Ecclesiae,* ut perfectae societatis hominum spiritualis, *ius quoque est, independens* omnino *a civili potestate,* quae inferior est similique iure ad finem proprium praedita, *exigendi* legibus, praeceptis ac poenis, sed praefert illa per exhortationes recipere, *a fidelibus,* nempe: baptizatis voci eius aurem praebentibus, *quae,* in pecunia vel in specie, a) *ad cultum divinum* cum ornamentis, cereis, thure etc. exercendum, b) *ad honestam* pro statu *clericorum aliorumque* (laicorum etiam) *ministrorum* v. gr. custodis ecclesiae, pulsantis organum *sustentationem* c) *et ad reliquos fines sibi proprios* v. gr. subsidium egenorum, propagationem fidei per missiones *sint necessaria*, non iam vero solummodo utilia vel convenientia.

407. **Bona ecclesiastica, sacra, pretiosa** pro Codicis usu definit *can. 1497. § 1. Bona* equidem utilia *temporalia,* quia temporali vitae deserviunt, a) *sive corporalia,* quae ut valorem habentia sensibus percipiuntur, *tum immobilia* e loco, ut talia, v. gr. domus, ager, plantationes, *tum mobilia* per alios v. gr. utensilia quaelibet, pecunia, aut se moventia veluti pecudes, b) *sive incorporalia*, quae intellectu valere cognoscuntur, v. gr. instrumenta proprietatis, syngrapha Debiti publici, valores pecuniae aequipol-

[1] Bulla « Auctorem fidei » Pii VI. 28 Aug. 1794.

lentes, *quae vel ad Ecclesiam universam* qua societatem perfectam, *et ad Apostolicam Sedem* seu supremum Principem in ea, *vel ad aliam* quamlibet singularem *in Ecclesia* Christi *personam moralem* ad normam can. 99 seu « publica auctoritate (ecclesiastica) constitutam » *pertineant*, ut ad subiectum dominii eorum, *sunt* proprie *bona ecclesiastica*.

« Caeterum (ait Paschalis canonicis S. Martini) [1] primitiae, decimae, et oblationes, in solis ecclesiarum bonis praecipue numerantur. Oblationes vero dicimus quaecumque de propriis et licitis rebus ecclesiae a fidelibus offeruntur. Quicumque igitur eas per potestatem saecularem obtinet, proculdubio contra Deum et sanctorum patrum nititur sanctiones: quinimo et qui accipit et qui tradit, raptor et sacrilegus iudicatur ».

§ *2. Dicuntur* « bona temporalia », num sint ecclesiastica vel non parum refert, *sacra, quae consecratione* idest: ritu liturgico cum chrismatis usu *vel benedictione* constitutiva, quae utraque fuit declarata in Commentario Textus ad can. 1147, § 2, v. gr. ostensorium istâ et calix illâ *ad divinum cultum* unice ac de facto *destinata sunt; pretiosa* in iure, *quibus notabilis valor sit* secundum aestimationem pecuniae ac pretii, ratione a) *artis* v. gr. ob miniaturas in Missali appositas, b) *vel historiae* v. gr. quia pertinuit ad distinctas personas scientia et dignitate, c) *vel materiae causa* v. gr. calix aureus pretiosis gemmis ornatus.

Ad pretium rerum quod attinet, sic ait D. I. Mori, Secretarius S. Congr. Conc. in una Dioecesis N. « Donariorum votivorum » [2]: « Quare valor iste (notabilis) tutissime ad 750 lib. in Curia hodie definiri potest. Nec desunt, qui notabilem valorem infra 1000 lib. esse hodie negent; immo ipse can. 1532, § 2, dum alienationem distinguit rerum quae 1000 lib. attingunt et quae 1000 lib. superant, hanc aestimationem, quae simplicitate quoque commendatur, ratam habere videtur ». Et huic quidem sententiae postremae subscribimus, dummodo de pretio pecunia italica solvendo agatur, seu de aequipollenti numero similis monetae alterius nationis.

408. **Verbi Ecclesiae significatio iuridica** pro Codicis tractu datur in *can. 1498. In canonibus* tantum *qui sequuntur*, videlicet huius Partis sextae, *nomine Ecclesiae significatur* ex vo-

[1] Cap. « Causa Carpensis plebis » 13, tit. « de verborum significatione » 40, Lib. V, X. — [2] 12 Iul. 1919. CO. XI, 418.

luntate legislatoris *non solum* a) *Ecclesia universa* qua societas, ut est solitum in Codice, b) *aut Sedes Apostolica* ut numquam alias in eodem, *sed etiam* c) *quaelibet persona moralis in Ecclesia,* « collegialis et non collegialis » (can. 99), *nisi* a) *ex contextu sermonis* b) *vel ex natura rei* de qua agatur *aliud* diversum seu significatio restricta certo *appareat.* « Ecclesia » ergo in hac Sexta Parte idem est ac « persona moralis quae sit publica auctoritate constituta » iuxta declarationem Commentarii Textus ad can. 99.

Quaeres: an etiam officia ecclesiastica, quae ibi diximus esse personas morales. — Resp. quamvis confirmemus officia ecclesiastica habere omnia personae moralis elementa, verumtamen sub huius nomine non praescribitur de illis in Codice, ast ubilibet proprio nomine denominantur. Quapropter respondemus ad quaesitum: negative.

409. **Divisio Partis in Titulos** facilis ac logica est, si consideretur qualiter bona fiant ecclesiastica, et hinc Tit. XXVII « De bonis ecclesiasticis acquirendis », qui respondet iuri acquirendi. Dum vero retinentur illa bona, ius administrandi exercetur, quare oportet ut normas det Tit. XXVIII. « De bonis ecclesiasticis administrandis ». Bona demum haec fieri possunt non ecclesiastica per alienationem, quam moderantur canones collecti sub ampliore Tit. XXIX. « De contractibus ». Huic subnectitur postremus Titulus XXX respiciens quaedam solummodo bona temporalia, seu: « De piis fundationibus ».

TITULUS XXVII.

De bonis ecclesiasticis acquirendis.

Can. 1499. - § 1. Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet.

§ 2. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

Can. 1500. - Diviso territorio personae moralis ecclesiasticae ita ut vel illius pars alii personae morali uniatur, vel distincta persona moralis pro parte dismembrata erigatur, etiam bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata, et aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat, ab auctoritate ecclesiastica, cui divisio competat, cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis piorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus, quibus persona moralis regatur.

Can. 1501. - Extincta persona morali ecclesiastica, eius bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis atque legibus peculiaribus quibus extincta persona moralis regebatur.

Can. 1502. - Ad decimarum et pri-

mitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur.

Can. 1503. - Salvis praescriptis can. 621-624, vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

Can. 1504. - Omnes ecclesiae vel beneficia iurisdictioni Episcopi subiecta, itemque laicorum confraternitates, debent quotannis in signum subiectionis solvere Episcopo cathedraticum seu moderatam taxam determinandam ad normam can. 1507, § 1, nisi iam antiqua consuetudine fuerit determinata.

Can. 1505. - Loci Ordinarius, praeter tributum pro Seminario, de quo in can. 1355, 1356, aut beneficialem pensionem de qua in can. 1429, potest, speciali dioecesis necessitate impellente, omnibus beneficiariis, sive saecularibus sive religiosis, extraordinariam et moderatam exactionem imponere.

Can. 1506. - Aliud tributum in bonum dioecesis vel pro patrono imponere ecclesiis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis, quanquam sibi subiectis, Ordinarius potest tantummodo in actu fundationis vel consecrationis; sed nullum imponi tributum potest super eleemosynis Missarum sive manualium sive fundatarum.

Can. 1507. - § 1. Salvo praescripto can. 1056 et can. 1234, praefinire taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit.

§ 2. Ad taxas pro actibus iudicialibus quod spectat, servetur praescriptum can. 1909.

Can. 1508. - Praescriptionem, tanquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur.

Can. 1509. - Praescriptioni obnoxia non sunt:

1.º Quae sunt iuris divini sive naturalis sive positivi;

2.º Quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;

3.º Iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum;

4.º Fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius;*

5.º Eleemosynae et onera Missarum;

6.º Beneficium ecclesiasticum sine titulo;

7.º Ius visitationis et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato iam subsint;

8.º Solutio cathedratici.

Can. 1510. - § 1. Res sacrae quae in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad profanos usus; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos.

§ 2. Res sacrae, quae in dominio privatorum non sunt, non a persona privata, sed a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt.

Can. 1511. - § 1. Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur.

§ 2. Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio triginta annorum.

Can. 1512. - Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito.

Can. 1513. - § 1. Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.

§ 2. In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, solemnitates iuris civilis; hae si omis-

sae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant.

Can. 1514. - Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel reliquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 1515, § 3.

Can. 1515. - § 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutores sunt.

§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.

§ 3. Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tanquam non appositae habeantur.

Can. 1516. — § 1. Clericus vel religiosus qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua

Titulus XXVII. De bonis ecclesiasticis acquirendis —

- per quam personam —
  - in genere et quibus modis — Can. 1499
  - diviso territorio — » 1500
  - extincto subiecto immediato — » 1501
- per solutionem —
  - a fidelibus —
    - decimarum et primitiarum — » 1502
    - quandoque stipis voluntariae — » 1503
  - tributi a personis moralibus —
    - in signum subiectionis — » 1504
    - ordinarii et extraordinarii — » 1505
    - impositi quodam in actu — » 1506
  - taxarum — » 1507
- praescriptione —
  - ad normas legislationis civilis — » 1508
  - cui obnoxia non sunt quaedam bona — » 1509
  - si illa sint sacra — » 1510
  - cum quorumdam spatio annorum — » 1511
  - quae bona fide semper nitatur — » 1512
- per actum inter vivos mortisve causa —
  - quarumdam personarum — » 1513
  - fideliter adimplendum — » 1514
  - ab Ordinariis exsequendum — » 1515
  - fiduciarie forsan acceptum — » 1516
  - mutabilem a Sede Apostolica et sub conditionibus ab Ordinario — » 1517

fiducia Ordinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro exsecutione piae voluntatis ad normam can. 1515.

§ 3. Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus, est Ordinarius eiusdem religiosi proprius.

Can. 1517. – § 1. Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit.

§ 2. Si tamen exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, tunc Ordinarius quoque, auditis iis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta Missarum reductione quae semper Sedi Apostolicae unice competit.

410. **Inscriptio Tituli et canonum coordinatio.** Desiderabatur in Decretalibus hic *Titulus XXVII* inscriptus *De bonis ecclesiasticis* iuxta eorum definitionem in can. 1497, § 1, *acquirendis*, sive per hanc acquisitionem fiant ecclesiastica, sive tantum in Ecclesia posita de subiecto in subiectum migrent. Nam per tres priores canones 1499-1501 diversa illorum dominii subiecta edocemur, simul ac in primo enuntiantur in genere acquisitionis modi, quia in specie considerantur sub seqq. ad can. 1501. Revera bona temporalia in illa subiecta proveniunt a fidelibus per diversas oblationes obligatorias (can. 1502) vel spontaneas (can. 1503), a personis autem moralibus Ecclesiae per tributa ordinaria et extraordinaria, vel in quadam occasione imposita, ut videre est in can. 1504-1506, aut iterum a fidelibus per solutionem taxarum, sicut ex can. 1507 hae moderationem habent. Modus specialis acquirendi bona ecclesiastica est praescriptio regulata in iure canonico per can. 1508 generaliter, per can. 1509 et 1510 quoad bonorum determinationem, dum tempus et bona fides in can. 1511 et 1512 sunt praescripta. Denique actus inter vivos et ultimae fidelium voluntates uti praefatae adquisitionis causa in can. 1513 asseruntur, atque adimplementum et exsequutio urgentur per can. 1514, 1515, nec fiduciaria eiusdem voluntatis acceptio praetermittitur in can. 1516, atque perpetuitas voluntatis eiusdem, ne privatim infringatur, protegitur canone 1517.

411. **Modi acquirendi legitimi et adquisitionis subiectum.** *Can. 1499. § 1. Ecclesia* in significatione can.[s] 1498, exercensque « ius » declaratum in can. 1495 *acquirere* sibi *bona tem-*

poralia, seu ad praesentem vitam utilia temporeque mensurata *potest* legitime, idest: valide ac licite *omnibus iustis* propter hanc ad alios virtutem *modis*, sive hi contractus sint, sive non habeant huiusmodi naturam, attamen qui sint *iuris*, seu legis vi inducti aut approbati, *sive naturalis* per rationem nobis cogniti, *sive positivi*, hoc est auctoritate sociali conditi, quod ut plurimum in hac re civile erit, pro quibusdam autem modis propriis v. gr. quoad taxas occasione administrationis iurisdictionis erit potestate ecclesiastica, *quibus* nempe praefatis « modis » *id* videlicet « acquirere bona temporalia » *aliis* personis physicis seu moralibus extra Ecclesiam *licet.*

Cum istius paragraphi praescriptum sit sequela necessaria iuris fundati in lege divina naturam Ecclesiae regulante, sequitur contra illud insurgere non posse auctoritatem civilem; et quia illius iuris materia est bonorum temporalium dominium respectu unius ad alterum, proindeque strictae iustitiae seu commutativae, quam restitutio necessario committatur, sequitur contradictiones vi potestatis civilis factas nullius roboris esse nec efficaciae, prout etiam Clemens XIII declaravit in § 11 suae const.[s] « Alias ad Apostolatus » [1].

§ 2. *Dominium bonorum* supple temporalium, quod simpliciter dictum est plenum, seu ius proprietatis secumferens iura usus ac ususfructus, administrationis, alienationis, etc., *sub suprema auctoritate* tum iurisdictionis Primatus *Sedis Apostolicae,* tum administrationis alteri adnexae atque immediata quoque in singulas et omnes personas morales, *ad eam pertinet moralem* sive collegialem sive non collegialem *personam* singularem, *quae* per se vel per suum administratorem *eadem bona* initio designata *legitime* iuxta § 1[m] et normas, quae modos acquirendi moderantur, vere *acquisiverit,* etiamsi nondum receperit.

Illa iurisdictionis auctoritas suprema pertingere potest usque ad dominii abdicationem coactam, praesertim cum temporali compensatione, ac etiam sine hac, dummodo ita sit necessarium ad animarum salutem, qui est proprius finis omnium Ecclesiae mediorum. Sic explicari possunt compositiones, quae a Sede Apostolica conceduntur in diversis circumstantiis. — Auctoritas vero suprema

[1] 30 Ian. 1768.

administrationis implicat tutelam omnium personarum moralium in Ecclesia quoad bona ipsarum temporalia, et supplere potest quoslibet actus inferiorum administratorum. Nec videtur auctoritas praedicta limitanda, quando agatur de bonis temporalibus tum Ecclesiae catholicae tum Sedis Apostolicae, cum eadem vi polleant rationes adductae.

Eodem §° soluta est quaestio inter Canonistas de subiecto dominii bonorum ecclesiasticorum, relictis sententiis quae asserebant: I° illa pertinere ad Deum et Sanctos quorum cultui erant destinata, II° illa esse bona pauperum ex motivo finis semper in Ecclesia retenti, III° illa esse ipsius Sedis Apostolicae, ita ut Romanus Pontifex, qua talis, esset eorum dominus, IV° demum illa esse Ecclesiae universae, ita ut personae morales in ea solummodo haberent usum ac usumfructum, V° in praxi bona illa societati civili fuerunt adiudicata. Quae omnes sententiae erroneae a clarissimo Wernz fuerunt optime impugnatae [1], ac nunc obsoletae.

412. **Dominii bonorum divisio** statuta est rationabiliter ad similitudinem divisionis, quae ratione hereditatis inter successores iuri naturae innixa per civile ius perficitur. Quod, eo magis fieri potuit, quia personae moralis existentia, quatenus iuribus praedita est, omnino pendet ab Ecclesia. *Can. 1500. Diviso territorio* v. gr. paroeciae *personae moralis ecclesiasticae,* nempe intra cuius limites ista collegialis vel non collegialis, hoc est officium, quoad suam potestatem iure exercet, attamen *ita ut* a) *vel illius pars* per dismembrationem *alii personae morali,* supra declaratae, v. gr. alteri officio paroeciali *uniatur*, ex. c. ad normam can. 1423, § 1, *vel distincta persona moralis* v. gr. nova paroecia ad normam can. 1427, *pro parte* territorii *dismembrata erigatur,* simul *etiam* praescribit canon quod *bona communia* scilicet *quae in commodum totius territorii* v. gr. pro subveniendis pauperibus paroeciae *erant destinata* per donantium ea voluntatem vel Superioris auctoritate. non autem quae forsitan in ecclesiae iam existentis reparationem fuerunt collata, *et aes alienum quod pro toto territorio* subiecto divisioni et iam declarato *contractum fuerat*, ex cuius scripturae tenore vel circumstantiis eruendum erit, *ab auctoritate ecclesiastica,* id est: ab eo Praelato, *cui divisio* haec *competat* iuxta ss. ca-

[1] Ius Decretalium, Tom. III, Tit. V, § 1.

nones, *cum debita proportione* scilicet: attenta diversitate personarum moralium ex divisione constitutarum, *ex bono et aequo* id est: extraiudicialiter secundum quod virtus et iustitia ratione temperata suadent viro prudenti, *dividi debent* inter personam cuius erat territorium et aliam, cui pars dismembrata iungitur, vel quae de novo erigitur, iuxta reg. iuris LV in 6°: « qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra »; *salvis* a) *piorum fundatorum* « in tabulis fundationis » (can. 1490, § 1) *seu oblatorum*, qui personae morali iam constitutae illa bona dederunt, *voluntatibus*, quas illi expresserunt, forsitan in persona divisioni subiecta locum habentes, vel post divisionem ad normam canonis factam servandas ab utraque persona quae ex divisione proveniat, b) *iuribus legitime quaesitis* quoad illa bona, et quae proinde iura ex canonis applicatione laederentur, c) *ac legibus peculiaribus* sive a Sede Apostolica pro tali regione aut territorio latis, sive a Superiore tum singulari tum collegiali infra Romanum Pontificem, *quibus* « legibus » *persona moralis* cuius territorium dividitur, *regatur* sola, vel cum aliis.

413. **Dominii bonorum successio, extincto subiecto,** decernitur *can. 1501.* Revera persona moralis quaecumque in Ecclesia inferior est membrum alterius personae moralis superioris, vel saltem ipsius Ecclesiae universalis. Porro dominium bonorum temporalium ad utilitatem ordinatur immediate ipsius subiecti dominii, sed consequenter utilitatem partis redundare opus est in totius bonum, et hinc dominium illud in personam altiorem radicatur mediate pro illius dominii natura. Igitur valde rationabile est praescriptum: *Extincta,* eo quod « a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit » (can. 102, § 1), *persona morali* collegiali vel non collegiali in Ecclesia, id est *ecclesiastica*, *eius* dominii *bona fiunt* ipso facto ac vi huius canonis propria *personae moralis* collegialis vel non collegialis *immediate* seu in primo gradu *superioris* illa, cum limitatione triplici canonis praecedentis iam declarata: *salvis semper*, utpote iustitia exigente, a) *fundatorum seu oblatorum voluntatibus* circa eorumdem bonorum finem vel delationem alteri in casu extinctionis, b) *iuribus legitime quaesitis* non tollendis, *atque* ratione can. 6 num. 1° exprimendum: c) « salvis » *legibus peculiaribus quibus extincta persona*

moralis regebatur in hac parte deferendorum vel applicandorum bonorum.

414. **Decimae ac primitiae** sunt proprie in iure, illae « decima vel alia et certa determinata pars fructuum vel lucrorum licite quaesitorum ministris Ecclesiae propter cultum divinum et spirituale ministerium ex ecclesiastica lege persolvenda » [1]. Hae vero « sunt primi fructus vel animalium ». De his habetur damnata in Conc. Constantiensi [2] prop. « 18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre ». Et Conc. Trid. ait [3]: « Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur; aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo: et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadant ». Sed lege tantum ecclesiastica viguerunt, et debito erga pastores aliter satisfieri posse patet, eo magis si aures faciles praebeant fideles ad haec verba eiusdem Conc. in loc. cit.: « Hortatur dehinc omnes, et singulos pro christiana charitate, debitoque erga pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, episcopis, et parochis, qui tenuioribus praesunt ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur ».

Cum « praxis solvendi decimas saltem personales et primitias tanquam sanctio iuris communis iam pridem in desuetudinem abiit », ut ipse Wernz testatur, sic conditus est *can. 1502. Ad decimarum*, sive realium idest: fructuum, sive personalium hoc est: ex lucris licite quaesitis, *et primitiarum solutionem* per fideles *quod attinet, peculiaria* locorum *statuta,* seu normae obligatoriae quaelibet, *ac laudabiles consuetudines* pro vi istarum ac illorum *in unaquaque regione serventur.*

Huc se refert quod S. C. de Prop. Fide respondit [4]: « Supposito legitimo transitu de orientali ad latinum ritum (quod absque Aplica. dispensatione evenire non potest) teneri decimas solvere parocho proprii ritus quem actu profitentur ». Quoad absolutionem

[1] Wernz. Ius Decretalium. Tom. III, Tit. VIII, §§ 1. 2. — [2] Bulla « Inter cunctas » 22 Feb, 1418. Denzinger. Enchiridion... n. 598. — [3] Sess. XXV de Ref. cap. 12. — [4] Collect. S. C. de Prop. Fide, 2 Iun. 1760 (C. G.) n. 429.

vero eorum, qui decimas recusent solvere diversis ex rationibus, consuli queunt responsa S. Poenitentiariae [1].

415. **Eleemosynarum petitio** in Ecclesiae favorem sic restricta est per *can. 1503. Salvis praescriptis can. 621-624* circa religiosos quaestuantes ibidem declaratis in Commentario Textus, *vetantur privati*, scilicet: singuli fideles, *tam clerici* cuiuslibet ordinis recepti *quam laici*, seu divinis ministeriis non mancipati per aliquem ritum, *sine* supple « licentia » a) *Sedis Apostolicae* ad normam can. 7, et ut videtur S. Congr. Concilii, aut S. Congr. pro Ecclesia orientali, iuxta earum competentiam, cuius licentiae rescriptum esset Ordinario loci in quo stipis cogitur vel saltem « Ordinario impetrantis praesentari, cum de rebus agatur publicis » (can. 51), b) *aut proprii Ordinarii*, cui nempe clericus subiiciatur ratione incardinationis, vel clericus et laicus ratione domicilii vel quasi-domicilii, simul *et Ordinarii loci*, ubi quaestuatio fiat, *licentia*, forsitan ad quamdam dioecesim illa vel ad partem dioecesis hac limitata, qualibet tamen earum *in scriptis data, stipem cogere*, quod designat ex pluribus eleemosynas postulare *pro quolibet* sine limitatione, sed *pio* idest: religionis vel charitatis causa *aut ecclesiastico,* quia ab Ecclesia saltem approbato *instituto* collegiali vel non collegiali, *vel fine* earum eleemosynarum intento.

416. *Cathedraticum* verbum, seu synodaticum in Decretalibus dictum forsan eo quod olim in Synodis annualibus solveretur, indigitat illud Apostoli [2]: « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » et « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? ». Sed hi textus et similes Novi Testamenti sunt, quibus fulciuntur canones 1502 et 1507, nam illud verbum strictam significationem in iure habere ostendit sic praescribens *can. 1504. Omnes* a) *ecclesiae,* scilicet: aedes sacrae dictae in can. 99 « personae morales non collegiales ». Hanc interpretationem exigit verbum iuxta exceptionem can. 1498, tum ex tenore iuris veteris, tum « ex contextu sermonis », addente canone nominatim, vel b) *beneficia* proprie dicta iuxta can. 1409, 1412, illae vel haec *iurisdictioni Episcopi subiecta,* unde paroeciae quoque religiosis exemptis etiam pleno iure commissae, non vero religiosorum praesertim exemptorum com-

[1] Collect. S. C. de P. F. 4 Maii 1897, n. 1967. — [2] I ad Corinth., IX, 14, 11.

munitates, *itemque* memorantur specialiter c) *laicorum confraternitates* proprie dictae ad normam can. 707 § 2, quae semper sunt personae morales vi can. 708, et « bona temporalia possidere possunt sub auctoritate Ordinarii loci » (can. 691), dum secus est dicendum de piis unionibus ad normam can. 687, *debent* personae morales sub litteris a) b) et c) huius canonis vigore *quotannis*, nec dies solutionis determinatur, *in signum subiectionis*, quod interpretationem de personis obligatis datam confirmat, (aliae namque multipliciter eamdem ostendunt), *solvere Episcopo* cuius « nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius », (can. 215 § 2), non vero ceteri inferiores Ordinarii, *cathedraticum* sic dictum ratione cathedrae episcopalis, quae iurisdictionem eius innuit, et explicatur sic: *seu moderatam taxam*, idest vi legis obligatoriam, generaliter *determinandam* pro futuro *ad normam can. 1507, § 1* de aliis taxis praescribentem et his verbis ad « cathedraticum » extensam cum hac limitatione: *nisi iam antiqua consuetudine* per hunc canonem recognita *fuerit determinata*. Non enim agitur hic de taxa, quae pro Episcopi sustentatione deserviat, proindeque ex circumstantiis etiam temporum dependente, sed est « signum subiectionis » externum ad aliam utilitatem non destinatum.

Hunc canonem illustrant Animadversiones in causa « Dioecesis N et aliarum in Gallia. Cathedratici » deductas ex consultorum votis a S. Congr^e^. Conc^l^. clarissimo Secretario [1].

417. **Dioecesanum tributum extraordinarium.** In cap. 16 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31) Honorius III Episcopo Assisinatiensi: « Tu autem his iuribus (episcopalibus ibi recensitis) in praefatis ecclesiis contentus existens, non amplius ab eis exigas, praeter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranen. Conc., si manifesta et rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum, sicut ab aliis ecclesiis eiusdem dioecesis, pro necessitate temporis sustinemus ». Porro Lateran. Conc. edixerat: « Prohibemus etiam, ne subditos suos talliis et exactionibus episcopi gravare praesumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quae aliquotiens superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate, moderatum ab eis auxilium valeant postulare ». Rationemque addit: « Cum enim dicat Apostolus: Non debent filii

[1] 13 Martii 1920. CO. XII, 444.

thesaurizare parentibus, sed parentes filiis, multum longe a paterna pietate videtur, si praepositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more fovere ».

Hoc « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) sic *can. 1505. — Loci Ordinarius* (can. 198, § 2) a) *praeter tributum pro Seminario, de quo in can. 1355, 1356* iam commentatis, b) *aut beneficialem pensionem*, quae tum « beneficiis quibuslibet (« § 1), tum « beneficiis paroecialibus » (§ 2) quandoque imponere potest, *de qua in can. 1429* praescriptum legitur, cuius declarationem tunc dedimus, *potest* iure ac licite, a) *speciali* ob circumstantias *dioecesis*, non unius vel alterius ecclesiae, etc., *necessitate impellente*, quatenus haec sit gravis quae aliter commode subveniri nequeat, b) *omnibus* sine ulla distinctione *beneficiariis* qua talibus, seu ratione beneficii habita, proinde *sive saecularibus sive religiosis,* nam horum quoque beneficia in dioecesis utilitatem sunt erecta, c) *extraordinariam,* proinde cum necessitate cessaturam, *et moderatam* in se ac relative ad beneficiorum redditus superfluos *exactionem*, nempe obligatoriam poenisque urgendam *imponere* aliquo edicto vel praecepto generali.

418. **Tributum ordinarium** est a quibusdam solvendum Episcopo, non ab omnibus. In Deretalibus legitur [1] ex Conc. Lateranen.: « Prohibemus insuper, ne ab abbatibus, episcopis, vel aliis praelatis, novi census imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum suis usibus appropriare praesumant: sed libertatem, quam sibi maiores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent. Si qui vero aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur ». Et in cap. 23 « de iure patronatus » (III, 38) X Lucius III ait: « Praesenti decreto statuimus, eos... sive patroni... censeantur, a gravaminibus ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis praeter antiquos et moderatos redditus a locorum episcopis institutos exigere, aut si aliud exegerint, excommunicationi subdantur. Contractus quoque huiusmodi, quos fecerunt, vel facient in futurum, vim aliquam decernimus non habere ».

Ab hoc « veteri iure non esse recedendum » (can. 6, 4°) scientes ita interpretamur *can. 1506. Aliud*, praeter dicta in can. 1504, 1505, *tributum* vel obligatoriam partis reddituum solutionem perio-

[1] Cap. 7, « de censibus exactionibus et procurationibus » (III, 39) X.

dicam a) *in bonum dioecesis*, eo quod ad istud bona ecclesiastica intra eam constituta ordinantur, b) *vel pro patrono*, seu ut huic cedat, illud *imponere* lege vel praecepto singulis pro isto aut omnibus in « bonum » illud a) *ecclesiis* stricto sensu can.° 1161, b) *beneficiis aliisque* c) *institutis ecclesiasticis* secundum inscriptionem praec.° Tituli XXVI, *quanquam sibi subiectis*, pro quibus ratio haec faceret praesumere pro Episcopi iure, *Ordinarius* « loci » ex contextu (can. 198, § 1) *potest tantummodo*, quod adverbium omnino excludit non expressa *in actu* a) *fundationis*, quando tabulae approbantur, b) *vel consecrationis* ecclesiarum proprie dictae ac declaratae ad can. 1155, § 1; non vero postea « imponere » vel augere, et si secus fecerit, ne inanis reddatur prohibitio, et concorditer iuri antiquo, esset irritum nec obligaret; additurque limitando etiam « tributum » supra permissum: *sed nullum* seu quolibet ex motivo, nec minimum quoque *imponi tributum potest* a quolibet ecclesiastico Superiore *super eleemosynis Missarum sive manualium sive fundatarum* etiam quando ad instar manualium traduntur. Significatio huius clausulae quoad verba singula requiri potest in Commentario Textus ad Art. IV, Cap. I, Tituli III.

419. **Taxarum praefinitio** primo facta fuit lege Pontificia sub Innocentio PP. XI. Sic enim legitur in Dec°. S. C C. [1]: « Ut norma haberetur uniformis in exactionibus pro variis actibus iurisdictionis ecclesiasticae non contentiosae, ne immodicarum taxarum onus, pluriumque controversiarum occasio tollatur, Innocentius PP. XI legem tulit, quae Innocentiana vulgo appellata, huiusmodi exactionum rationem apte moderabatur ».

Quod autem in cit.° Decreto praescriptum fuit in resp. ad II cum « opportuna immutatione » (can. 6) refert *can. 1507. § 1. Salvo praescripto can. 1056*, quo « locorum Ordinarii eorumve officiales nequeunt, occasione concessae dispensationis (matrimonialis, ut regula generalis), emolumentum ullum exigere », *et can. 1234* quoad « indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum » conficiendum per locorum Ordinarios « de consilio Capituli cathedralis », *praefinire* seu praevie statuere generales *taxas* scilicet: pecuniam occasionaliter solvendam a) *pro variis actibus*, seu eorum effectibus suscipiendis *iurisdictionis voluntariae* seu « non-iudicialis »

[1] 10 Iun. 1896. Acta S. Sedis XXIX, 433.

declaratae in Commentario Textus ad can. 201, § 3, b) *vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae*, sive « committatur merum executionis ministerium » (can. 54, § 1), sive « concessio gratiae exsecutori committatur » (§ 2), non vero aliorum, etiam quando hi « debeant Ordinario impetrantis praesentari » (can. 51), nam « pro recognitionis testimonio, quo rescripta (haec) muniuntur,... nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sarciri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci cognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei comprobationem circa aliquam sacram reliquiam » [1]. Quod implicite contentum est in canonis clausula, qui sic prosequitur: c) *vel occasione ministrationis Sacramentorum* quorumlibet *vel Sacramentalium*, quando « non habetur simonia » (can. 730) uti ad illum can. in Commentario Textus fuit declaratum, *in tota ecclesiastica provincia*, comprehensis quoque dioecesibus et quasi-dioecesibus quarum Pastores « cum Prelatis illius intersint » ad normam can. 285, nam « illas praefinire taxas » *est* ius et officium *Concilii provincialis aut* inter unum et subsequens « est » *conventus Episcoporum provinciae* « ad quem etiam Episcopi de quibus in can. 285 convocari et convenire debent » (can. 292, § 2); *sed nulla vi* obligatoria *praefinitio eiusmodi* hoc est: ad hanc normam elaborata *pollet*, *nisi prius* quam in praxim deducatur *a Sede Apostolica approbata fuerit,* et hinc « quam primum transmittenda ad S. Concilii Congregationem pro approbatione » (Dec.° cit.° ad III), sicuti « Propositum fuit S. Congr. Consist. dubium: Utrum post Const. *Sapienti Consilio* adhuc spectet ad S. C. Concilii adprobare taxas Curiarum Episcopalium, nec non dirimere quaestiones omnes, quae ad eas referuntur; an vero haec facultas reservanda sit huic S. C. Consistoriali. — Cui dubio Emmi. PP. respondendum censuerunt [2]: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Et hoc viget in Codice, dum canon 250 § 2 dicit: « S. Congr^s. Concilii est... moderarari quae... taxas Curiarum episcopalium... attingunt ».

Ad conficiendam illam taxarum praefinitionem primo vel postea mutandam, et ad praxim rite applicandam valde utile fore putamus illa cognoscere principia, quae in cit.° Dec.° S. C. Concilii edocuit: « I. An et quae taxa imponi possit iuxta prudentiae et iustitiae re-

[1] Ordo servandus in Rom. Curia. Normae peculiares, Cap. III, Art. I, n. 5°. — [2] 21 Apr. 1910. CO. II, 330.

gulas in materia sacramentali, ac speciatim in matrimoniali, itemque in materia beneficiaria. — Ad I. Affirmative, ita tamen ut quoad actus qui directe respiciunt sacramentorum administrationem servetur dispositio cap. 42 Decret. de Simonia, scilicet ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta et piae consuetudines observentur. Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensatio a denunciationibus matrimonii, venia conferendi baptisma in privatis domibus et cetera huiusmodi:

I. Servandas laudabiles consuetudines, et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum. II. Vere pauperes eximendos a quibusvis expensis; III. Taxas non adeo graves esse debere, ut arceant fideles a receptione sacramentorum; IV. Quoad matrimonium in specie, remittendas ipsas taxas esse, in casibus in quibus adsit periculum ne fideles in concubinatum proruant: V. Tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxas esse non debere proportionaliter inadaequatas reditibus beneficiorum ».

His quidquam esse addendum censeo. In Normis communibus...[1] iussum est: « In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur... etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro exsecutione rescriptorum, si haec necessaria sit; quae quidem summa pontificià taxatione erit inferior ». Hinc eruitur, quod in taxarum praefinitione « pro exsecutione rescriptorum Sedis Aplcae. », illa fieri debet in respectu ad taxationem huiusmodi appositam S. Sedis documentis, decernendo num tota vel partialis, aut nulla in casibus sit exigenda, et quo aequipollenti nummo pro diversitate nationum. Si tamen ultra illam signatam taxationem exigere opus esse videretur, petitio specialis S. Sedi porrigenda esset fulcita rationibus illud suadentibus, minime tamen illa exigenda esset nisi huiusmodi concessione praevia, sicut circa dispensationes matrimoniales cautum est expresse: « emolumentum ullum (non) exigere, excepta modica aliqua praestatione » (can. 1056), ita ut « si exegerint, teneantur ad restitutionem ».

Ait § 2. *Ad taxas* ut supra *pro actibus iudicialibus* praetermissas in § praec.[1] *quod spectat, servetur praescriptum can. 1909*, nempe: « taxarum notulam ac regulam » de obiectis ibi recensitis

[1] Ordo servandus... etc. Pars I. Cap. XI, n.º 1º.

non esse a S. Sede approbandam, salva iudici potestate quidquam in §° 2° eiusdem canonis indigitatum exigendi.

420. **Varia praescriptionis legislatio** statuitur vi *can. 1508. Praescriptionem*, quam multiplicem esse in Codice deprehendimus, videlicet: ad legem ecclesiasticam derogandam (can. 27, § 1) vel inducendam (can. 28), ut « privilegia acquiri possint » (can. 63, § 1), ad beneficium, quod clericus possidet, quandoque obtinendum (can. 1446), « contra ius patronatus » (can. 1470, § 1, 3°), ut « in contentiosis actiones tum reales tum personales extinguantur, de statu personarum » exceptis (can. 1701), ut « poena infligi non possit » (can. 2233, § 1), ut « criminalis actio perimatur » (can. 1702); praeter has ergo « praescriptionem » *tanquam acquirendi* bona temporalia et iura huiuscemodi *et se liberandi* ab oneribus quoad illa *modum* ab omni humana societate iuste recognitum, ac proinde *prout est* tale institutum moderatum pro tempore applicationis *in legislatione* vere tali sed *civili respectivae nationis* (ad quam pertineat illas facere leges), ubi res sunt sitae vel ad quam pertinet acquirens vel se liberans, saltem ut ibidem existens ecclesiastica persona, sub alterutro enim respectu legislationes illae disponuntur, *Ecclesia* idest: suprema eius auctoritas per hunc canonem *pro bonis ecclesiasticis* in can. 1497, § 1, definitis in hac parte iuridica moderandis *recipit*, ac si propria auctoritate fuerit legibus illis moderata praescriptio, *salvo*, ut limitante vel corrigente ipsam diversam legislationem, *praescripto canonum qui sequuntur* necessarii, ut iustitia illius instituti et erga Ecclesiam in tuto sit posita.

421. **Bona ecclesiastica extra praescriptionem posita** sic enumerat *can. 1509. Praescriptioni obnoxia non sunt* quaelibet ecclesiastica bona et iura temporalia vel spiritualia, ut expresse recensentur haec, non obstante Partis ac tituli inscriptionibus:

1.° Quae sunt iuris divini, id est tali iure ordinata, *sive naturalis*, v. gr. quae furto ablata debent restitui, *sive positivi* v. gr. est invalida auditio confessionum a non sacerdote, vel a sacerdote absque iurisdictione, Ecclesia hanc non supplente; — *2.° Quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico,* uti exemplum habemus in cap. 4 « de consuetudine » (I, 4) X: « Pervenit ad audientiam nostram (ait Innoc. III), quod quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta praesumunt fidelibus exhibere, quae

ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata. ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos, soli debent episcopi per manus impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem praetendentes: et infra. Discretioni tuae mandamus, quatenus omnibus presbyteris districte prohibeas, ne talia de caetero sua temeritate praesumant,...: cum umbra quaedam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu ».

3.° *Iura spiritualia,* seu facultates morales circa ea vel spiritualibus consequenter aut inseparabiliter adnexa, *quorum laici non sunt capaces,* v. gr. quae « soli clerici possunt obtinere » ad normam can. 118 in Commentario Textus ibi declaratam, sed hac de causa subditur: *si agatur de praescriptione in commodum laicorum* quoad praescriptionis effectum, scilicet: ut hi adquirant sibi ipsis talia iura. Etiam aliud exemplum nobis offert cap. 7 « de praescriptionibus » (II, 25) X ubi ratio decidendi est: « quia cum laici decimas detinere non possint, eas nulla valent praescribere ratione ».

Aliud in *4.*° praescriptioni subducitur secundum praecedentem ac veterem disciplinam in cap. 4 « de parochis et alienis parochianis » (III. 29) X relatam. Sic Urbanus III declaravit: « Super eo vero quod apud vos intelleximus dubitatum, an quod de finibus et his. quae finibus cohaerent, non praescribendis, statutum per canones esse dignoscitur, sit in parochiarum limitibus sicut in provincialibus admittendum: Respondemus, quod bene videtur in utroque servandum, si fines legitima probatione. vel alias indubitata fide constiterit ecclesiastica ordinatione statutos ». Hoc requirit tranquillitas ab ecclesiastici territorii divisione proveniens, atque ratio cessat illius instituti legalis, nempe: certitudo ipsius dominii. Propterea: *Fines certi* seu limites territorii bene determinati *et indubii* quoad pertinentiam a) *provinciarum ecclesiasticarum,* quae subsequentis divisionis partibus constant, et qua talium, b) *dioecesium,* quibus Episcopi praesunt, et cum « territorium cuiuslibet dioecesis dividatur in distinctas partes territoriales » (can. 216, § 1), subditur statim c) *paroeciarum*, et quia ubi est eadem ratio, ibi debet esse eiusdem legis dispositio, intelligatur quoque canon de quasi-paroeciis hic omissis, quia praescriptum est in can. 216, § 2: « Pari modo, ubi commode fieri possit, dividantur » qui statim adduntur in ca-

none: d) *vicariatuum apostolicorum*, e) *praefecturarum apostolicarum*, videlicet: « territoria quae erecta non sunt in dioeceses (et) reguntur per Vicarios aut Praefectos Apostolicos » (can. 293, § 1), f) *abbatiarum vel praelaturarum nullius*, quae sint « tribus saltem paroeciis constantes » (can. 319, § 2).

Idem autem asserere oportet de aliis abbatiis vel praelaturis nullius, ratione unius vel duarum « paroeciarum », quibus constant.

5.° Eleemosynae quoad acquisitionem iustam *et onera* quoad liberationem, sed illae et haec *Missarum* tam manualium, quam fundatarum et ad instar manualium. Haec exceptio per se comprehenditur sub n.° 1°, sed caute fuit addenda, quia circa has eleemosynas et onera Romanus Pontifex gaudet iure reducendi ac condonandi aliquando utendo ex necessitate, sed vi huius canonis non praesumitur illud iuris exercitium, nisi expresse in casibus fiat.

Quamvis solo iure ecclesiastico de *expressa* provisione canonica intelligatur quod sine illa « officium ecclesiasticum nequit valide obtineri » (can. 147, § 1), excluditur a praescriptione *6°. Beneficium ecclesiasticum* proprie dictum (can. 1409) *sine titulo*, idest: deficiente omni ratione « provisionis canonicae » (can. 147, § 2), quia si titulus praecesserit quamvis invalidus, « dummodo absit simonia, beneficium ex legitima praescriptione obtinetur » ad normam can. 1446 ibi declaratam.

Duo sunt in tit. « de praescriptionibus » 26, Lib. II Decretalium, quibus fulcitur sequens canonis exceptio. In cap. 12 sic loquitur Lucius III: « Cum non liceat a capite membra recedere, non sufficimus admirari, quod sicut referente Bracharen. archiepiscopo nobis est intimatum, licet ecclesiae vestrae in ipsius sint dioecesi constitutae, vos tamen obedire sibi tanquam episcopo vestro contumaciter recusatis: Ideoque mandamus, quatenus praefato archiepiscopo et ecclesiae Bracharen. obedientiam et reverentiam debitam, sicut alii clerici suae dioecesis faciunt, impendatis, praescriptione temporis non obstante ». Atque Innoc. III in cap. 16 sic arguit: « Nos igitur praemissam allegationem eorum (quod non meminerint se procurationem huiusmodi praedecessoribus eiusdem archiepiscopi exolvisse, nec ab eis aliquando fuisse petitam) nullam penitus reputantes, cum contra procurationem quae ratione visitationis debetur, praescribi nequiverit: quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo praescribi: etsi alius contra eum praescribere

posset utramque. Mandamus, quatenus sententiam... usque ad satisfactionem condignam facias observari: quia secundum Apostolum, Qui spiritualia seminat, non est magnum si metat carnalia: cum nemo cogatur suis stipendiis militare ».

Canonis exceptio sub n.° 7° est *Ius visitationis* ex parte legitimi Praelati *et obedientiae* praestandae suis legibus, praeceptis ac ordinationibus, non simpliciter, quia per alium Praelatum illud posset praescriptione translativa obtineri, sed exstinctiva praescriptio exprimitur, nempe: *ita ut subditi* sic dicti quatenus carent iurisdictione, quae in sequenti vocabulo includitur, sive laici, sive clerici aut religiosi fuerint, *a nullo Praelato* videlicet: « clerico sive saeculari sive religioso qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinet » (can. 110), *visitari possint* quoad primum ius, *et nulli Praelato* infra Romanum Pontificem *iam subsint* quoad obedientiam servandam.

Quaestio emergit ex altero Decretalium textu citato: an praescriptioni obnoxia sit procuratio, quae ratione visitationis debetur. Negative videretur respondendum ex reg. iuris 42 in 6°.: Accessorium naturam sequi congruit principalis » et ob rationes capiti insertas. Respondendum, quod etsi posset alias dici implicite ius visitationis continere ius ad procurationem, non est hoc verum post Codicem, quia procuratio non est debita generaliter causa visitationis, praescribente canone 346: « circa vero victualia sibi suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo », veluti particularem « legem inducens » (can. 28), quae « per contrariam legem vel consuetudinem revocatur » (can. 30). Unde constat rationes capitis Decretalium non urgere, nam Codex praesupponit aliis modis per ius commune esse Praelatorum sustentationi provisum.

Explicit canon sic: *8° Solutio cathedratici*, cuius exceptionis ratio pendet a praecedenti, quia debetur « in signum subiectionis » (can. 1504). Nec ratio eadem urget de aliis tributis qui sub can. 1505, 1506 recensentur, quia haec in favorem aliorum constituuntur contra quos praescribi potest, vel quando sunt in dioecesis bonum, non praebent locum praescriptioni ob defectum temporis, quia sunt extraordinaria.

422. **Quorumdam bonorum limitata est praescriptio;** videlicet: *Can. 1510. § 1. Res sacrae* seu « consecratione vel be-

nedictione ad divinum cultum destinatae » (can. 1497, § 2), *quae in dominio* pleno seu proprietatis *privatorum sunt,* nempe: personarum physicarum, etsi ad clericorum sacerdotumve patrimonium vel quasi-patrimonium pertineant, *praescriptione acquiri a privatis* aliis sub eodem sensu *personis possunt;* a) *quae tamen* physicae personae, etiamsi ratione dominii eas possideant, *eas* licite *adhibere nequeunt ad profanos* seu communes hominum *usus*, quia iuxta regulam iuris 1 in 6°.: « Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum », manente « consecratione aut benedictione constitutiva », congruenter can. 1150; nam subiungitur, et patet: b) *si vero consecrationem vel benedictionem* ad normam can. 1305 *amiserint, libere,* ad ius canonicum quod attinet, praescriptione aliisque modis legitimis per quoslibet *acquiri possunt* quolibet dominio, sive ut consecrentur benedicenturque iterum, sive *etiam ad usus profanos* supra declaratos, *non tamen sordidos* ex ipsius usus natura vel circumstantiis.

§ *2. Res sacrae*, ut supra, *quae in dominio privatorum,* uti haec clausula in § 1° manet declarata, *non sunt,* a) *non a persona privata*, prout haec opponitur sequenti, unde confirmatur illius data interpretatio, b) *sed a persona morali* collegiali vel non collegiali *ecclesiastica* seu Ecclesiae « publica auctoritate constituta » (can. 99), et consequenter initio §[i] *contra aliam personam moralem ecclesiasticam* statim prius declaratam *praescribi possunt,* servatis alias servandis.

423. **Tempus canonicum ad praescribendum** iuxta can. 1508 docet concorditer iuri Codicem praec.[i] *can. 1511. § 1. Res* sensibiles a) *immobiles* cum earum accessoriis coniunctis, b) *mobiles,* et implicite se moventes v. gr. grex, *pretiosae*, « quibus notabilis valor sit » ad normam can. 1497, § 2, c) *iura* temporalia vel spiritualia, quae « praescriptioni sint obnoxia » iuxta declaratum can. 1509, d) *et actiones sive personales sive reales* declarandae sub Lib. IV etiam circa earum praescriptionem, *quae pertinent* illae sub a) et b) quoad dominium, istae sub c) et d) quoad legitimum exercitium *ad Sedem Apostolicam* ad normam can. 7, v. gr. nunc temporis per officium « Camerae Apostolicae curanda et administranda » secundum can. 262, *spatio centum annorum praescribuntur*, attamen prout exponit Innoc. III in cap. 14 « de praescriptionibus » (II, 26): « Licet tam legali quam canonica sit de-

finitione statutum, ut contra Romanam Ecclesiam, quae gaudet privilegio speciali non nisi centum annorum praescriptio locum sibi valeat vendicare: tempora tamen intercidentium schismatum, (idem dicatur de aliis causis), quae secundum iuris ordinem cursum praescriptionis impediunt, nolumus aliquatenus computari: sed diligenti consideratione adhibita, de ipsa computatione deduci ».

§ 2. *Quae*, supple: « res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones » ut in § 1°, *ad aliam* quamlibet *personam moralem ecclesiasticam* in can. 1510 declaratam, sed « inferiorem » (can. 100, § 1), *spatio triginta annorum*, non aliter ac Gregorius confirmavit in cap. 3 « de praescriptionibus » (II, 26) X: « Sanctorum patrum sanctiones statuentes confirmaverunt, et nos irrefragabiliter confirmamus, ut omnes possessiones ad singulas provincias nostrorum fratrum pertinentes, a quibus per triginta annos possessae sunt, quiete et sincere absque synodali proclamatione, perpetuo teneantur ». Et quamvis caput loquatur de acquisitione ex praescriptione Ecclesiae, idipsum vi canonis nunc teneatur, abrogato altero cap. 8 eiusdem tituli aiente: « quod adversus ecclesias minorem praescriptionem quam quadraginta annorum Romana Ecclesia non admittit, licet quidam canones comprobent tricennalem ». E contrario viget, quod in eodem scriptum est: « Verum si de praescriptione et interruptione inter partes fuerit mota quaestio, ab utraque parte testes recipi debent: et si probata fuerit interruptio, praescriptio non tenebit ». Hinc recte implicitum hoc asserendum est in clausulis canonis contineri, propter hoc interpretandis de *continuo* « spatio tum centum annorum tum triginta annorum ».

Ex interpretatione canonis huius exurgit sequens dubium. « Ecclesia catholica » iuxta can. 100, § 1 connumeratur Aplcae. Sedi tamquam persona moralis distincta, proinde non venit sub § 1° praesentis canonis, ex altera vero parte illa non est inferior persona moralis in Ecclesia, quam respicit § 2 huius canonis. Quaeritur ergo: an « Ecclesia catholica » sit idem ac Ecclesia Romana, quam memorantur Decretales, et quo tempore illius bona, iura etc. praescribantur.

Ante responsum distinguamus propriam Ecclesiae Romanae significationem. Ecclesia Romana sumi potest primo pro dioecesi romana, sicut dicitur Ecclesia Mediolanensis, Lugdunensis, Valentina, etc.; et si qua talis habeat bona, iura, etc., sub §° 2° venire

dicenda esset, nisi obstaret privilegium seu ius quaesitum in Decretalibus memoratum, propter quod adhuc vigens vi can. 4, puto contra ipsam spatio centum annorum solummodo praescribi posse. Excipiendum omnino a praescriptione ius illud, quo eidem coniunctus est Primatus sui Episcopi super omnes alias Ecclesias, propter prop. 35 damnatam in Syllabo Pii IX: « Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri ».

Secundo sumi potest Ecclesia Romana cum significatione Ecclesiae Catholicae, quia illa cum Romano Pontifice est Caput et Mater omnium ecclesiarum. Tunc ergo distinguenda sunt tum iura, aliaque a suo Divino Fundatore Iesu Christo collata ei munera, quae absdubio « praescriptioni obnoxia non sunt » (can. 1509, 1°), tum alia bona et iura, etc. quae ipsa acquisivit in usu illorum iurium praesertim circa temporalia. Et de his bonis temporalibus et iuribus circa eadem, quamvis supponamus esse amisibilia propter bonum spirituale salutis animarum, qui est finis proximus ac proprius Ecclesiae, putamus illa bona eaque iura *praescriptione* acquiri non posse ab aliis, non tantum privatis personis, aut moralibus, sed nec etiam a potestate qualibet civili vel hominum perfecta societate. Praescriptio enim est *humanum* institutum ad servandam mutuam concordiam civium vel societatum quoque inter se, et ad negligentiam dominorum excutiendam. Sic enim legitur in cap. 5 « de praescriptionibus » (II, 26) X: « Ephesinus enim legislator, solum propter vitandam miserorum segnitiem, et longi temporis errorem et confusionem, primus triennali vel quadragenali praescriptioni vigorem legis imposuit ». Haec omnia urgeri de Ecclesia catholica qua tali nequeunt, ac propter eiusdem superioritatem erga omnes humanas societates tali humano instituto eam subiicere absonum est, nisi eadem expresse admittat illud, quae admissio post Codicem abest. Nam canon expresse loquitur solummodo de Sede Apostolica. Nec paritas omnimoda est inter Sedem Aplcam. et Ecclesiam Catholicam, haec enim Sedem Apostolicam ut fundamentum et principalem partem continet, quae Sedes Apostolica ob illius bonum et finem est a Deo instituta.

424. **Necessitas bonae fidei ad praescriptionem.** Reg. 2 iuris in 6°. clamat: « Possessor malae fidei ullo tempore non prae-

scribit ». Hinc liquet opportunitas, ut coniungatur canoni praecedenti *can. 1512* qui « lex irritans est » (can. 11), dum statuit: *Nulla valet praescriptio*, de qua in his canonibus agitur, *nisi bona fide nitatur*, sicut in Conc. Generali dicitur[1]: « Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam canonica quam civilis: Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae », seu quoniam (ut ait Alex. III in cap. 5 tit. cit.) « nulla antiqua dierum possessio iuvat aliquem malae fidei possessorem, nisi resipuerit postquam se noverit aliena possidere: cum bonae fidei possessor dici non possit ». Quia ex reg. iuris 3 in 6°.: « Sine possessione praescriptio non procedit », canon bonam fidem supra declaratam ex Decretalibus requirit, *non solum initio possessionis* rei acquirendae ob praescriptionem, vel quasi-possessionis iuris tali modo obtinendi, *sed toto*, ac non interrupto sicut dictum est ad can. praec., *possessionis* vel quasi-possessionis *tempore* in can. praec. *ad praescriptionem requisito*. Oportet monere, quod reg. 72 iuris in 6°.: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum » possessioni applicatur necessariae ad praescriptionem, iuxta Innoc. III in cap. 17 cit. tit. ubi sic arguit: « nec praescriptione aliqua muniaris, cum secundum confessionem tuam, non Ecclesia Pisana, vel tu fueris in quasi-possessione iuris exigendi huiusmodi iuramentum, quod per Sedem Apostolicam ab ipsis iudicibus receptum fuisse fateris: per quod constat Ecclesiam Romanam, semper in quasi-possessione fuisse, cum pro ea ministerio tuo, et antecessorum tuorum exactum fuerit, et praestitum iuramentum: et is etiam possidere dicatur, cuius nomine possidetur ».

Quaeres, eo quod ex cap. 17 huius tit. « in praescriptione rerum ecclesiasticarum, bona fides et iustus titulus exigantur », num huic principio sit per omissionem a Codice derogatum. — Resp. iustum titulum significare « aliquem modum quo iuxta leges transit dominium rerum ab uno in alterum statim », cui modo subsequitur legitima possessio. Quia ergo bona fides dicta fuit necessaria « in initio possessionis » ad praescriptionem, illa concipi ne-

[1] Cap. 20 « de praescriptionibus » (II, 26) X.

quit casu quo non praemittatur possessioni aliquis modus, qui ex se dominium transferret, etsi aliquo substantiali defectu incognito ille laboret. Ergo sub can. explicato iusti tituli necessitas includitur, sed Codex relinquit illum moderandum iuri civili uniuscuiusque regionis.

425. **Quis valeat donare ad pias causas.** Error fuit Ioannis Wicleff damnatus in Conc. Constantiensi [1]. « 32. Ditare clerum est contra regulam Christi ». Porro *Can. 1513* protegit ius dominorum disponendi de bonis suis, quatenus interest fini ipsius Ecclesiae. § *1. Qui* fidelis vel acatholicus *iure naturae* cui subiicitur, quatenus hoc non adigatur ad necessarium bonorum usum erga suos, vel ob debita, etc. *et ecclesiastico* per quod ille v. gr. professus a votis temporaneis regitur, *libere* seu pro arbitrio *valet* secundum dominii ius, proindeque *de suis bonis statuere*, non obstante quod huiusmodi libertati obstet lex civilis, quam alias observare deberet, *potest* valide ac licite pro amplitudine potestatis declaratae *ad causas pias*, nempe: instituta in finem religionis aut charitatis per Ecclesiam approbata, a) *sive per actum inter vivos,* qui effectum sic habet, b) *sive per actum mortis causa* v. gr. testamentum aut codicillum, quod firmatur per mortem testatoris, aut donantis, *bona* sui dominii *relinquere* per donationem fortassis munitam conditionibus. Hoc praescriptum est secundum ius Decretalium, ubi Alex. III ait iudicibus Velletren [2]: «Relatum est, quod cum ad vestrum examen super relictis ecclesiae causa deducitur, vos nisi septem vel quinque idonei testes intervenerint inde postponitis iudicare. Mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, (quod est generaliter dictum, quamvis subiungatur relate ad facti speciem) tribus aut duobus legitimis testibus requisitis; quoniam scriptum est: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum ».

Ex hoc eruitur praecedens de testamentis ad causas pias disciplina, quae restringebatur ad ea quae iure naturae sunt necessaria ut de voluntate defuncti constaret. Collimat in eam cap. 2 « de consuetudine » (I, 4) X: « Si vero quis possessiones aliquas claustris vel aliis religiosis locis in bona valetudine vel ultima vo-

[1] Bulla « Inter cunctas », 22 Feb. 1418. — [2] Cap. 11 « de testamentis et ultimis voluntatibus » (III, 26) X.

luntate, pro suorum vult remedio peccatorum conferre, hanc conferendi formam esse proponitis (ut ibidem describitur) quae scotatio vulgariter appellatur. Discretioni vestrae mandamus, quatenus donationes eorum, quae sub obtentu consuetudinis claustris, ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis pie conferuntur; vel etiam sunt collata, faciatis irrevocabiliter observari: cum huiusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factae donationis, quam traditae possessionis sit evidens argumentum ».

Valde prudenter post libertatem in § 1° vindicatam donantibus bona sua Ecclesiae, statuit restricte § 2. *In ultimis voluntatibus*, quae per alios sunt adimplendae, aut viva voce vel litteris exprimantur, et praecise *in bonum Ecclesiae* quoad diversas suas personas morales aut instituta, etc. ordinatae, quamvis libere fieri queant vel minus, ac exprimi quolibet modo donanti bene viso, ut relinquens possit securitatem habere adimplementi *serventur* ex praescripto canonis *si fieri possit*, eo quod tales donationes permittantur in societate, nec desit opportunitas, *sollemnitates iuris civilis* ut sic urgeri queant illae; alias ob defectum obedientiae atque indemnitati conscientiarum consulens Ecclesia statuit: *hae* « sollemnitates » praefatae *si omissae fuerint*, qualibet ex causa etiam impossibilitatis, *heredes* quibus bona obvenerunt illa, tum ex testamento, tum ab intestato, solum *moneantur* absque eo quod saltem in foro externo obligentur *ut testatoris voluntatem* certo cognitam *adimpleant*. Sic enim reposuerat S. Poenitentiaria 10 Ian. 1901: « Praxim huius S. Tribunalis in similibus casibus esse ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae: facile autem admittuntur heredes ad compositionem cum ecclesia vel pia causa cui legatum est ».

426. **Perfecta voluntatis ad causas pias observantia** praescribitur in *can. 1514. Voluntates fidelium* idest: voluntariae dispositiones catholicorum, quia « si legitime (pars adversa) probaverit, archipresbyterum, quae super ultima voluntate praemissa sunt, alienata mente dixisse: (ad obtinendum quod intendebat sententia feratur), cum idem archipresbyter ab intestato decesserit » [1], *facultates suas,* idest: dominii ipsorum res, sive omnes, ut in proxime cit. cap., sive partialiter velut in cap. 4 « de testamentis et

[1] Cap. 3, tit. XXVII, Lib. III, X.

ultimis voluntatibus » (III, 26) X legimus: « Cognovimus... quod moriens uxor Redempti... nudis verbis... scutellam argenteam cuidam monasterio reliquit: In quibus voluntatem eius, per omnia volumus adimpleri », et hinc etsi ab intestato illi decesserint, nullamque formam in voluntate exprimenda servaverint, salva can.[s] praec.[s] interpretatione. Prosequitur canon: «fidelium» *in pias causas* supra declaratas (de quibus solummodo est sollicitus legislator) a) *donantium* fortassis sub aliqua conditione, b) *vel relinquentium* dominium aliquod, *sive per actum inter vivos* validum etiam iure civili ad litteram a) quod attinet, *sive per actum mortis* sequuturae *causa* efficacem, etiam « si omissae fuerint sollemnitates iuris civilis » iuxta declarationem can. 1513, § 2, *diligentissime* seu quoad minutas quoque res et promptitudinem *impleantur* effectu volito per heredes aut exequutores testamentarios, fortassis exemptos quoque religiosos, quod praescriptum extenditur *etiam circa modum* gerendae *administrationis et erogationis bonorum* cum eorum fructibus in usus a fidelibus expresse designatos, et quidem non limitando tempus, propter damnatam prop. 43 [1]: « Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos ».

« Canon hic ius vetus ex integro refert », ut constat ex pluribus Decretalibus infra citandis, ac patet in Clem. Conc.[i] Viennensis, quae incipit: « Quia contingit », « quam quidem constitutionem eadem Sancta Synodus (Tridentina) innovandam duxit, et innovat, cum derogationibus in ea contentis » [2]. Scriptum est enim in ea [3]: « non attento quod loca ipsa ad hoc fundata, et fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes infectique lepra reciperentur inibi, et ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter agere, proventus eosdem in usus suos (administratorum) damnabiliter convertentes, cum tamen ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate) converti ».

Clausulam « circa modum administrationis » positam in canone respicit altera in fine addita: *salvo praescripto can.[s] 1515, § 3* statim exponendi.

427. **Piarum voluntatum exsecutores** iure dantur veteri, v. gr. in citatis ultimo textibus Conciliorum Trid. et Viennensis.

[1] Dec. S. C. S. Officii, 18 Martii 1666. Denzinger, n. 1143. — [2] Cap. 15 de Ref. Sess. VII. — [3] Cap. 2 tit XI, Lib. III in Clem.

Illi concordat et praesertim Dec.° Conc. Trid. in cap. 8 sess. XXII de Ref. *can. 1515,* dum edicit § *1.* Loco verbi « Episcopi » ponitur verbum *Ordinarii*, quod ad normam can. 198, § 1 multo latius patet, comprehenduntur enim alii non Episcopi atque etiam « Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ». Sed hi excluduntur evidenter ob naturam rei de qua agitur, scilicet: donationes laicorum vel clericorum bona possidentium, ac inde non religiosorum. Sequitur in cit.° Dec.°: « etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati », clausula quae in canone omissa est sicut sequens: « in casibus a iure concessis ». unde iure administrationis ordinario atque simpliciter *omnium piarum* propter scopum *voluntatum* seu voluntatis « dispositionum, *tam* in ultima voluntate », seu *mortis causa* sequuturae, quando effectum illae consequentur, « testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est » (ad Hebr. IX, 17), « *quam inter vivos* », quae nempe ante mortem disponentis efficaci vi pollent, « *exsecutores sunt* » vi officii sui ac iure dati.

Prosequitur Conc. Trid.: « habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant », quod ius et officium sub can. 1491 § 1 invenimus ac exposuimus, et sub aliis locis pro materiae diversitate, sed fuit omissa clausula « non tamen quae sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia », quod tamen viget vi can. 4, utpote « ius regibus quaesitum ». Atque illud « ius visitandi » extenditur quoque ibidem ad « eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur », quod retentum est in citatis can^{e}. ac §°. « etiam si praedictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita », cum exceptione tamen ex can. 1492, § 1: « si a iurisdictione (simul) et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit ». Explicitque ita Decretum: « ac omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt; ipsi ex officio suo, iuxta ss. canonum statuta (quae loquuntur de quolibet instituto ecclesiastico), cognoscant, et exsequantur: non obstantibus, quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio aut statuto ».

Atque in tit. « de testamentis » 26 Lib. III, Decretalium has legimus decisiones. Greg. IX in cap. 3: « Pervenit ad nos S. de

hac luce migrante supremae voluntatis elogio monasterium praecepisse fundari: cuius desiderium a T. religiosa femina eius herede protrahitur. Et infra. Quod si infra praedictum tempus (ex commonitione praevia infra annum), sive in loco, quod constitutum fuerat, seu si ibi non potest, et alibi placet ordinari tecum, implere neglexerit: tunc per te aedificetur, et omnia per te loco ipsi sine diminutione qualibet assignentur. Sic enim secundum piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates, episcopali decens est studio adimpleri ». Caput vero 6 ex Conc. Moguntino statuit: « Si heredes iussa testatoris non adimpleverint, ab episcopo loci illius, omnis res, quae eis relicta est, canonice interdicatur cum fructibus et ceteris emolumentis; ut vota defuncti adimpleantur ». Denique Greg. IX in cap. 19 decernit: « Ioannes clericus et P. laicus exsecutores ultimae voluntatis O. clerici sanctae Crucis, qui venerabilibus et piis locis, de bonis suis in ultima voluntate legavit, mandans insuper satisfieri creditoribus per eosdem: Post mandatum susceptum, per dioecesanum cogi debent, testatoris explere ultimam voluntatem ».

Hoc « ius vetus ex integro refert » § *2* dicens: *Hoc ex iure* « exsecutionis » edicto in § 1, *Ordinarii* locorum ex contextu (can. 198, § 2) *vigilare possunt, ac* ratione officii curae animarum et institutorum ecclesiasticorum *debent*, *etiam per visitationem* horum, seu hac sumpta occasione, *ut piae voluntates*, quarum « exsecutores sunt » ex § 1°, *impleantur* sive per heredes aut exsecutores testamenti « post mandatum susceptum », sive per administratores locorum piorum, quae vigilantia intelligenda est efficax atque poenis quoque urgenda, quantum prudentia suadeat. Prosequitur canon praescribens aliis: *et alii exsecutores* praeter Ordinarium *delegati* ab eo vel a donatario aut testatores *debent*, *perfuncti* plene *munere* quo tales nominantur, *illis* praedictis Ordinariis locorum ad quos singulos spectet, *reddere rationem* de fideli exsecutione.

De exemptis quoque religiosis hoc praescriptum intelligendum esse suadet cap. 17 in cit. tit., ubi Greg. IX ait: « Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli tam religiosi, quam clerici saeculares et laici, pecuniam et alia bona, quae per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus

sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, (ac notetur clausula sequens) licet etiam a testatoribus id contingeret interdici: Mandamus, quatenus executores testamentorum huiusmodi, ut bona ipsa fideliter ac plenarie in usus praedictos expendant, monitione praemissa compellas ». Ex hoc capite fuit desumptus § *3. Clausulae* donationis vel testamenti *huic* sub §§ 1 et 2 *Ordinariorum* locorum ex toto canonis contextu *iuri* declarato *contrariae*, *ultimis voluntatibus* verbotenus vel scripto *adiectae* a defuncto, *tanquam non appositae habeantur*, nam bonum commune illud exigit.

428. **De fiduciaria bonorum acceptione ad pias causas.** « Episcopus Bellovacensis... sequens dubium proposuit S. Congregationi Concilii dirimendum: utrum sacerdotes vel laici possint, inscio Ordinario, legata ad pias causas recipere eorumque administrationem gerere ac respectiva onera implere. — Emmi. Patres [1] ...respondendum censuerunt: Omnes, sive sacerdotes sive laicos, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas, teneri de hoc quam primum certiorem reddere Episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorumdem legatorum ». Hac ratione non solum logica connexio probatur inter § 2 can.[i] praec.[i] et sequentem canonem, sed fulcitur quoque interpretatio *can. 1516. § 1. Clericus*, etsi nondum sacerdos, sed comprehensus fortiori motivo inter « Sacerdotes et laicos » Declarationis supra transcriptae, quamvis « laicus » hoc in loco omittatur, eique *vel religiosus* substituatur, quod innuit hunc canonem respicere primo istorum obligationes de obiecto piarum voluntatum, quas urgere in designatis facile sit, secus vero in laicis. Alteruter igitur ex dictis *qui* a) *bona* (pecuniam vel alia) *ad pias causas* destinata ex voluntate dantis ea *sive per actum* efficacem *inter vivos, sive ex testamento*, ut illi relicta b) *fiduciarie* idest: ex parte donantis, qui adimplementum conscientiae eius, qui *accepit*, remisit, sic accipiens *debet* vi canonis *de sua fiducia*, hoc est: de commissione facta suae fidelitati *Ordinarium* ad normam can. 198, § 1 *certiorem reddere* modo apto sed illi beneviso, *eique* uti constituto per canones exsecutori earumdem voluntatum *omnia* (nihil occultans) *istiusmodi* sub fiducia ipsius comprehensa *bona seu mobilia* sub quibus

[1] 7 Aug. 1909, CO. I, 766

venit quoque numerata pecunia, *seu immobilia* ad quae pertinent syngrapha seu obligationes interesse producentes, *cum oneribus* bonis huiusmodi et praesertim extrinsece ob testatoris voluntatem *adiunctis indicare*, idest: summarie nota facere. Et huic praescripto tale pondus legislator pro bono communi attribuit, ut sic prosequatur: *quod si donator* per alterutrum « actum » supra distinctum *id* canone iussum *expresse* liquidis verbis *et omnino*, firma ergo voluntate, *prohibuerit*, « clericus vel religiosus » *fiduciam* sibi factam *ne acceptet*, quando fieri oporteret. Alias peccaret contra hunc canonem.

Ultimam declarationis in Bellovacensi partem refert § *2. Ordinarius* (can. 198, § 1), qui supra declaratus est, *debet* ratione officii sui ac iuris *exigere* etiam praeceptis ac poenarum comminatione ab illo « clerico vel religioso » *ut bona fiduciaria* supra declarata in § 1° a) *in tuto collocentur*, tum bona mobilia, tum pecuniam et syngrapha, ne furentur aut quocumque modo pereant, b) *et vigilare* cum effectu *pro exsecutione* fideli et plena *piae voluntatis* alterutro supradicto modo panditae equidem *ad normam can. 1515* servandam perfecte vi iuris Ordinarii ibidem expressi.

Quod diximus de motivo primario huius canonis confirmat per distinctionem causae piae statuens § *3. Bonis fiduciariis*, quae sola moderatur praesens canon, *alicui religioso* exempto vel non exempto *commissis*, a) *si quidem bona sint attributa* donantis voluntate *loci* idest: Vicariatus, Praefecturae Apostolicae *seu dioecesis*, « cuius nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), a) *ecclesiis*, nempe: ad eam pertinentibus subiectione, b) *incolis*, idest « personis in loco domicilium habentibus » (can. 91), c) *aut piis causis* saepius declaratis supra *iuvandis* per dicta bona eorumque fructus, *Ordinarius de quo* mentio fit *in* §§ *1, 2* huius canonis tantum ex contextu, *est loci Ordinarius*, quo « nomine veniunt omnes recensiti (in § 1° can^s^. 198), exceptis Superioribus religiosis », quoad hos enim dicitur in cit.° § 1° « nomine Ordinarii intelliguntur pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ». Has ergo tantum designat canon, quando sic explicit: b) *secus*; idest: quandoquidem « bona non sint attributa », ut supra, « Ordinarius de quo in §§ 1, 2 » supra determinatis *est Ordinarius* cuiuslibet gradus *eiusdem religiosi* cui bona fiduciaria commissa sunt, *proprius*, nempe cui subiiciatur. Ergo in

« religionibus votorum simplicium, quibus specialiter non fuerit concessum exemptionis privilegium » (can. 618, § 1), Ordinarius loci in quo sita est domus, quam inhabitat assignatus alumnus earumdem, aut « regularis » (can. 488, 7°) in religione laicali exempta iuxta can. 615, est « Ordinarius eiusdem religiosi proprius », qui alteruter « potest ab eodem etiam poenis coerceri » (can. 619).

429. **De reductione, moderatione ac commutatione** iudicium et potestatem Sedis Apostolicae propria esse supponit Conc. Trid. decernens [1]: « In commutationibus ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex iusta et necessaria causa fieri debent; episcopi, tamquam delegati Sedis Apostolieae, summarie et extraiudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur ». Et S. Congr. de Prop. Fide asserit graviter in eius Instructione anni 1897 [2]: « Postulat enim imprimis ius naturale et divinum: iubent canonicae, civilesque ipsae leges; pluribus denique in locis studiose commendat Sacrosancta Synodus Tridentina, ut voluntates fidelium, facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, diligentissime impleantur, et in eos praecise usus, iuxta modum conditionesque iis benevisas, pecunia inde obventa insumatur ad quos destinata fuit, neque in alios convertatur, etsi meliores utilioresque videantur, (nec aliter praescriptum fuit can. 1514); si secus fieret, fidelium voluntates, quae pro lege habendae sunt, fraudarentur, ipsique, magno cum Ecclesiae detrimento, a piis huiusmodi largitionibus retraherentur ».

Hoc ius praecedens refert *can. 1517* statuens in § *1. Ultimarum voluntatum*, seu « in pias causas per actum mortis causa » (can. 1514) dispositionum a) *reductio* quoad onera circa numerum actuum pietatis caritatisve, b) *moderatio* circa conditiones in eis oneribus servandas, c) *commutatio* quoad fructuum applicationem seu fines piae causae propositos, *quae fieri ex iusta tantum*, seu proportionata singulis actibus per litteras a) b) c) distinctis, *et necessaria* seu moraliter cogente ad ipsos *causa debent*, eo quod ultimae voluntates iure divino servandae sunt, nam propter acceptationem ab Ecclesia induunt contractus naturam « do ut facias », *Sedi Apostolicae reservantur*, ad normam can. 7, sed ratione pote-

[1] Cap. 6 de Ref. sess. XXII. — [2] Collect. S. Congreg. de P. F. n. 689.

statis vicariae in Primatu Romani Pont.s contentae, quae ad obligationes iure divino servandas extenditur quando illae in praevio actu humano fundamentum sortiuntur, cum evidenti exceptione: *nisi fundator*, qui cum Ecclesia acceptante dat legem ipsi contractui, *hanc potestatem* a) reducendi vel b) moderandi vel c) commutandi *etiam*, quia excludi nequit Sedes Apostolica, *Ordinario loci*, ubi locus pius sit vel acceptans donationem illam, *expresse* idest: liquidis verbis tabularum fundationis, vel quae constent legitima probatione, *concesserit*.

« Quod si hospitalia haec, ait Conc. Trid. [1], ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae aut perpaucae reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet episcopus; aut si id non possit ipse, prout supra, aliter provideat ». Atque idem Conc. testificatur in cap. 4 eiusdem sess. quod « contingit saepe in quibusdam ecclesiis; vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, a testatoribus praescriptis, nequeat satisfieri; vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subiicere: unde depereunt piae testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos praedicta spectant, onerandi occasio datur ».

Propter causas indigitatas in Trid.º iure statuit provide § 2. *Si tamen*, seu non obstante §º 1º, *executio onerum* quorumlibet *impositorum* « per ultimas voluntates », a) *ob imminutos reditus*, detractis expensis necessariis quae fortassis creverunt, vel propter augmentum valoris rerum, vel ob amissionem partialis dotis, *aliamve causam* v. gr. expressam in cap. 8 cit.º circa hospitalia, sub conditione tamen huius mutationis: b) *nulla administratorum* certa moraliter *culpa*, alioquin posset fere semper dubitari de casu hoc

[1] Cap. 8 sess. XXV de Ref.

excepto respectu §[i] 1[i], c) *impossibilis* physice aut moraliter *evaserit* totaliter vel partialiter, *tunc* solummodo *Ordinarius* (loci vel religiosus) cui subiecta est illa « executio », (de his enim curat Ordinarius ipse), *quoque* idest: praeter Sedem Apostolicam, a) *auditis iis quorum interest*, non propter utilitatis perceptionem, sed propter earum piarum causarum administrationem, b) *et servata*, *meliore quo fieri potest modo*, prudentiae ductu, v. gr. « in alium pium usum, qui (illi) institutioni proximior sit (ob similem utilitatem), ac pro loco et tempore utilior » (quantum fieri queat), diversum a servanda *fundatoris voluntate*, vel hac servata quoad finem *poterit eadem onera* praedicta *aeque* idest: secundum rationem iustitia informatam *imminuere*, quod tanquam « plus semper in se continet quod est minus » (reg. 35 iuris in 6°), videlicet: aliquam finis mutationem supra declaratam iisdem in circumstantiis iuxta initium §[i] perficiendam.

Attamen notanda valde limitatio additur congruenter const[i]. « Nuper » Innoc. XII [1]: *excepta Missarum* fundatarum ob contextum, sed ob alios canones a fortiori manualium et ad instar manualium *reductione*, quae habetur quoque in applicatione eleemosynarum in alium finem etsi pium, et *quae semper* seu quibuslibet in circumstantiis *Sedi Apostolicae* ad normam can. 7 scilicet S. Congr.[i] Concilii, *unice* cum exclusione quoque S. R. E. Cardinalium ac Legatorum Romani Pontificis, *competit*. Talis enim reductio per alios facta esset nullius valoris. Sic enim decrevit S. Congr. Concilii in Const. Innocentiana: « I. Ac primo districte prohibet atque interdicit ne episcopi in dioecesana Synodo, aut generales in capitulis generalibus, (prout concessum fuerat in cap. cit.° 4 Conc. Trid.), vel alias quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, (sic revocata in posterum illa Tridentina concessione), sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit ». Et ad quaesitum « I. ...quid si legatum sit ita tenue, ut

[1] 23 Dec. 1697.

non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit, pro expensis ad id necessariis? et quid, si permittatur episcopo in fundatione ut possit huiusmodi onera moderari? — Sacra Congr. Concilii respondit: Ad I. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet quod magis in Domino e re esse iudicaverit. Verumtamen si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere et moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam ». Quod expresse nunc viget iuxta exceptionem § 1° can.s 1551 insertam, et authentica interpretatione suffultam.

TITULUS XXVIII.

De bonis ecclesiasticis administrandis.

Can. 1518. - Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator.

Can. 1519. - § 1. Loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex eius iurisdictione fuerint subducta, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, opportune editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum curent.

Can. 1520. - § 1. Ad hoc munus rite obeundum quilibet Ordinarius in sua civitate episcopali Consilium instituat, quod constet praeside, qui est ipsemet Ordinarius, et duobus vel pluribus viris idoneis, iuris etiam civilis, quantum fieri potest, peritis, ab ipso Ordinario, audito Capitulo, eligendis, nisi iure vel consuetudine peculiari iam alio aequivalenti modo legitime fuerit provisum.

§ 2. Citra apostolicum indultum, ii a munere administratoris excluduntur, qui cum Ordinario loci primo vel secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu coniuncti sint.

§ 3. Loci Ordinarius in administrativis actibus maioris momenti Consilium administrationis audire ne praetermittat; huius tamen sodales votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensus exigatur.

§ 4. Sodales huius Consilii iusiurandum de munere bene ac fideliter adimplendo coram Ordinario emittant.

Can. 1521. - § 1. Praeter hoc dioecesanum Consilium administrationis, Ordinarius loci in administrationem bonorum quae ad aliquam ecclesiam vel locum pium pertinent et ex iure vel tabulis fundationis suum non habent administratorem, assumat viros providos, idoneos et boni testimonii, quibus, elapso triennio, alios sufficiat, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant.

§ 2. Quod si laicis partes quaedam

in administratione bonorum ecclesiasticorum vel ex legitimo fundationis seu erectionis titulo vel ex Ordinarii loci voluntate competant, nihilominus universa administratio nomine Ecclesiae fiat, ac salvo iure Ordinarii visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis.

Can. 1522. - Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum, de quibus in can. 1521, suum munus ineant:

1° Debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario loci vel vicario foraneo iureiurando cavere;

2° Fiat accuratum ac distinctum inventarium, ab omnibus subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; vel factum antea inventarium acceptetur, adnotatis rebus quae interim amissae vel acquisitae fuerint;

3° Huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

Can. 1523. - Administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur; ac proinde debent:

1° Vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant;

2° Praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3° Reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere;

4° Pecuniam ecclesiae, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in emolumentum ipsius Ecclesiae occupare;

5° Accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

6° Documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in Ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo vel armario Curiae deponere.

Can. 1524. - Omnes, et praesertim

Titulus XXVIII. De bonis ecclesiasticis administrandis —

- — ius —
  - — Romani Pontificis — Can. 1518
  - — Ordinarii loci —
    - — quoad vigilantiam et directionem — » 1519
    - — et officium erga Consilium administrationis — » 1520
    - — quoad singulares administratores — » 1521
- — obligationes administratorum —
  - — in munere —
    - — ineundo — » 1522
    - — adimplendo — » 1523
  - — erga operarios, quorum opera utuntur — » 1524
  - — quoad reddendam rationem — » 1525
  - — ante litis inchoationem vel contestationem — » 1526
- — effectus —
  - — obligationis ex parte Ecclesiae — » 1527
  - — restitutionis ob damnum — » 1528

clerici, religiosi ac rerum ecclesiasticarum administratores, in operum locatione debent assignare operariis honestam iustamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferant neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat.

Can. 1525. - § 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores, tam ecclesiastici quam laici, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis aut loci pii canonice erecti aut confraternitatis, singulis annis officio tenentur reddendi rationem administrationis Ordinario loci.

§ 2. Si ex peculiari iure aliis ad id designatis ratio reddenda sit, tunc etiam Ordinarius loci vel eius delegatus cum his admittatur, ea lege ut aliter factae liberationes ipsis administratoribus minime suffragentur.

Can. 1526. - Administratores litem nomine ecclesiae ne inchoent vel contestentur nisi licentiam obtinuerint scripto datam Ordinarii loci, aut saltem, si res urgeat, vicarii foranei, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddere debet.

Can. 1527. - § 1. Nisi prius ab Ordinario loci facultatem impetraverint, scriptis dandam, administratores invalide actus ponunt qui ordinariae administrationis fines et modum excedant.

§ 2. Ecclesia non tenetur respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit.

Can. 1528. - Etsi ad administrationem non teneantur titulo beneficii vel officii ecclesiastici, administratores qui munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittunt ita ut damnum exinde ecclesiae obveniat, ad restitutionem tenentur.

430. **Inscriptio tituli.** Sequitur *Titulus XXVIII* inscriptus *De bonis ecclesiasticis* ex can. 1497, § 1 cognitis, ac vere talibus post eorum acquisitionem, *administrandis,* tum per eorum conservationem, ne furentur, amittantur vel damnum patiantur, tum per meliorationem, tum curando eorum fructificationem, tum exigendo vel colligendo fructus eorum, tum denique illos distribuendo. De huiusmodi administratione circa bona religionum canones inveniuntur in cap. III, tituli X, Lib. II, sed nonnulli huius tituli canones respiciunt quoque administratores religiosos.

431. **Canonum ordo** talis est. Iura tum Romani Pontificis, tum Ordinarii loci, ut fundamentum praecedunt, et haec sunt obiectum quatuor canonum 1518-1521, sed duo posteriores respiciunt Consilium et personas, qui huius administrationis partem habent. Connectitur ergo logice can. 1522 cum sequentibus usque ad can. 1526, qui administratorum obligationes successive ab ineundo munere referunt. Ac denique effectus actuum administrationis edicunt can. 1527, 1528 respectu ipsius Ecclesiae, quandonam libera vel indemnis redditur.

432. **Ius Romani Pontificis** sic exprimit *can. 1518. Romanus Pontifex,* qua primatum habens iurisdictionis in omnes et singulas Ecclesias et personas quaslibet morales in ea, habet hanc

potestatem in ecclesiasticas res quoque extensam, seu *est omnium bonorum ecclesiasticorum*, idest: quorum « dominium ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisivit » (can. 1499, § 2), adversus antiquatam canonistarum sententiam, quam meminit Bened. XIV in epistola infra citanda, *supremus*, seu supra omnes Praelatos et administratores constitutus, ac pro natura illius primatus, etiam immediatus iure a) *administrator*, qui non solum actus illorum supplere ac exercere posset, ab eoque inferiores administratores qua tales omnino dependent, verum *et* « est » quoque b) *dispensator*, dum fidelis et prudens distribuit eadem bona, prout supremus ac proprius Ecclesiae finis, sanctificatio animarum exigit, cui illa bona singulorum membrorum propria finaliter deservire debent.

Optimum canonis commentarium nobis suppeditat Bened. XIV in sua epistola « Cum encyclicas » [1] dicens: « Nos, qua Pontifex Summus... supremi certe quidem sumus temporalium bonorum Ecclesiae dispensatores », et confirmat verbis D. Thomae [2]: « Res Ecclesiae sunt Papae, ut principalis dispensatoris, non ut domini et possessoris ». Additque statim Benedictus: « ex quo porro sequitur, ut non quidem vel ad ditandos consanguineos, vel ex arbitrariis causis, fas sint nobis Ecclesias suis nudare bonis, at illud quidem, ut quoties urgens subsit ratio, qualis indubie est, removere praesens publicae calamitatis discrimen, ostium, quantum in nobis est, Apostasiae intercludere, et fluctuantibus animis conciliare tranquillitatem, nobis liceat, quod nunc facimus, imperare, ut probata licet Ecclesiarum iura conticescant, utque illae ipsae, pro publica incolumitate ac religionis commodo, sacrificium quasi faciant suorum bonorum, quae non possident, et quae publici luctus tempore iisdem fuerunt adempta ». Denique affert haec concepta verba, quibus utitur Fágnanus [3]: « Concurrente iusta causa, conveniunt omnes tam Canonistae, quam Theologi, Papam, uti supremum administratorem ac dispensatorem bonorum Ecclesiasticorum, posse res uni Ecclesiae auferre, et dare alteri ».

Obiicies, praesertim respectu habito ad personas morales collegiales in Ecclesia. Vel haec potestas Romani Pontificis est sicuti

[1] 24 Maii 1754, § 4. — [2] 2, 2 quaest. C, art. 1, ad 7m. — [3] In cap. « Relatum » num. 21 ad 41 et praecipue num. 36 « Ne clerici vel monachi » etc.

potestas supremae auctoritatis civilis ad coactam expropriationem in civibus statuendam, vel est diversa. Si primum, illius potestatis actus exigeret ex parte Summi Pontificis compensationem ad aequale, ne iustitia laederetur erga dominum bonorum ecclesiasticorum, nec talis compensatio facienda esset per gratias spirituales, quia esset simonia iuris divini. Si alterum, videtur quod exercitium illius supremae administrationis esset contra ius naturae, quod vetat ne res domini, ipso invito, alterius fiant. — Respondeo: cum Ecclesia sit societas perfecta, non est neganda potestas supremi seu altioris dominii, quod in suprema civili auctoritate admittitur ad coactam expropriationem, quando finis Ecclesiae idipsum expostularet, seu proportionata causa iudicio eiusdem S. Sedis, sed hoc in casu ex iustitia esset domino illius boni tradenda compensatio in temporalibus ad aequalitatem. — Verumtamen ius, de quo canon loquitur est ab illa potestate diversum, et nititur potestati vicariae Romani Pontificis, quae propter finem Ecclesiae prosequendum, ita ei concessum est a Iesu-Christo, ut attingat, cum iusta causa necessaria ad actus validitatem, illa etiam quae iure divino essent observanda, quando praesupponitur actus humanae voluntatis, ut illud vigeat. Hoc censu venit dominium bonorum ecclesiasticorum, quod supponit actus auctoritatis ecclesiasticae ipsam personam moralem erigentis, cui ius dominii sequitur huiusque exercitio bona illa acquisita sunt. Exinde profluit illa saepius in praxim deducta facultas Sedis Apostolicae admittendi ad compositionem depraedatores bonorum ecclesiasticorum, vel iniuste huiusmodi bona detinentes qualibet ex causa.

433. **Iura Ordinarii loci** recensere incipit *can. 1519.* — § *1. Loci Ordinarii* (can. 198, § 2) *est,* seu ad ipsum spectat ratione officii *sedulo advigilare* efficaciter *administrationi* iuxta canones ac pias fundationes rite ducendae *omnium bonorum ecclesiasticorum* in can. 1497, § 1 designatorum, *quae* a) *in suo territorio,* ad quod nempe sua extenditur iurisdictio, sita *sint* b) *nec ex eius iurisdictione,* qua potestatem administrativam habente, *fuerint subducta,* quia sub alterius Praelati vel ecclesiasticae personae sola iurisdictione sint posita legitime; sed ad minus dictum ius habet, quia intelligenda canonis norma: *salvis* insuper *legitimis praescriptionibus,* quatenus hae constituunt modum acquirendi ius, atque intelligi quoque possunt de statutis rite conditis forsan per fundatio-

nis tabulas vel de privilegiis, *quae* declaratae praescriptiones *eidem* « loci Ordinario » *potiora* quam sola declarata vigilantia, *iura tribuant*.

Ad effectum vigilantiae deservit § 2 quoad omnia bona ecclesiastica in § 1° determinata. *Habita ratione*, qua duci debet praefati Ordinarii mens, a) *iurium* diversarum personarum, b) *legitimarum consuetudinum*, quae nempe « rationabiles fuerint et per annos quadraginta praescriptae » (can. 27 § 1, et 28), *et* c) *circumstantiarum* sive loci, temporis, sive personarum ac fundationum, *Ordinarii* locorum ex contextu ob § 1m, sed potest intelligi ac oportet de aliis quoque Ordinariis religiosis, *opportune* secundum Pastoris prudentiam *editis* utiliter *peculiaribus* ad illam rem *instructionibus* proprie dictis, nec ordinationes ac praecepta includere alienum est ab eis, *intra fines iuris communis*, hoc videlicet salvo, dum illae sint potius huius particulares applicationes explicantes illud, *universum*, seu quoad omnes sub inscriptione declaratos vel in hoc titulo contentos actus, *administrationis bonorum ecclesiasticorum* eis subiectorum iuxta § 1 declarationem *negotium ordinandum curent*, qui ordo valde administrationi temporalium prodest.

Ex dictis patet in posterum vim habere responsa S. Congr. de Prop. Fide huiusmodi [1]: « 2. Quale ius habet Episcopus in bona et ad bonorum administrationem, quae a novis... ecclesiis sunt acquisita? — 3. Quale sacerdotibus simplicibus curam Congregationum habentibus competit? — 4. An sacerdos simplex acquirat aliquod ius in similia bona quae intuitu Ecclesiae sunt data, illudque exerceat licite, invito Episcopo?

R. Ad 2. Episcopos habere ius administrandi bona ab ecclesiis acquisita ad formam Canonum, et iuxta intentiones fundatorum. — Ad 3. Habere sub dependentia Episcopi. — Ad 4. Negative ».

434. **Ordinarii loci ius administrandi** supponit ac moderatur *can. 1520*, sicut in cit. resp. ad 2 asseritur expresse. § *1. Ad hoc munus* administrationis iuxta tituli inscriptionem, quod in Ordinario includit vigilantiam et ordinationem, *rite obeundum* seu adimplendum quoad iura et obligationes ex illo profluentia, *quilibet* (seu etiam Abbas vel Praelatus nullius) *Ordinarius* loci principalis

[1] Collect. S. Congr. de P. P. (C. G.) Bardstown. n. 712.

ex verbis *in sua civitate,* ex qua dioecesis denominari solet, *episcopali* ob Sedem, vel Abbatiali aut Praelatitia, etsi haec verba non sint in usu sicut illud, *Consilium* proprie dictum propter vim suffragii ordinariam *instituat* ex canonis vero praescripto, statimque designatur illius compositio, *quod constet praeside* a iure dato, *qui est ipsemet* illud instituens ac successor in regimine *Ordinarius, et* a) duobus saltem *vel pluribus viris* tantum (sed laici non excluduntur) *idoneis* respectu administrationis temporalium, propter quod expresse additur: b) *iuris etiam civilis* servandi pro contractibus ex can. 1529, *quantum fieri potest*, unde saltem uno, *peritis*, c) *ab ipso Ordinario,* qui supra declaratus est, *audito Capitulo* simpliciter dicto seu « cathedrali » (can. 391, § 1), seu « coetu consultorum dioecesanorum, qui vices Capituli cathedralis supplet » (can. 427), *eligendis* nempe: « ab Ordinario » non per Capituli electionem.

Norma hucusque declarata patitur quoad eius vim exceptiones, ut sequitur: *nisi iure* scripto *vel consuetudine*, illo istave *peculiari*, nempe hic vel alibi *iam alio aequivalenti* (respectu consilii praefati) *modo legitime* seu obligatorio modo *fuerit provisum* rectae administrationi. Huiusmodi exempla sint: ex Instructione S. Congr. de Prop. Fide ad Vicarios App. Indiar. Orient. [1] « n. 27. Quod quidem Consilium (eidem administrationi gerendae) ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vic. Ap. designandis constare debet, cum quibus ipse Vic. in negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia; et cum sermo sit de novis ecclesiis aut domibus, collegiis, scholis fundandis numquam aget contra maioris saniorisque missionariorum partis consilium ». Item ex Instr. eiusdem S. Congregationis ad Vicarios App. Sinar. [2] n. XIV, in quo Sacra Cong. idem ac in praecedenti Instr. praescripsit, addens: « qui (prudentiores missionarii) illi ipsi esse possunt qui adsistere debent Vic°. Ap°. in aliis gravioribus Missionis negotiis expediendis, cum quibus ipse Vic. in rebus temporalibus quoque agat, eorumque audiat consilia. Hoc consessu uti debet Vic. Ap. sive ad tractationem rerum ipsarum temporalium gerendam, sive antequam ad alienationes efficiendas rem Ap^{ae}. Sedi proponat, sive ad exercendam vigilantiam circa administrationes speciales bonorum uniuscuiusque christianitatis, oblationum et collectarum, sive ad revisionem red-

[1] Collect. S. C. de P. F. n. 1346. 8 Sept. 1869. — [2] Collect. S. Congr. de P. F. n. 1606. 18 Oct. 1883.

ditionis rationum, quam singulis annis missionarii, servata quoad Regulares Const. « Romanos Pontifices » (Leonis XIII 8 Maii 1881) Vicariis App. exhibere tenentur. Hac ratione profecto fiet ut ecclesiasticum patrimonium conservetur, benefactorum voluntas sarta tectaque sit, litibus et abusibus et corruptelis via praecludatur ».

§ *2. Citra apostolicum* per S. Congr. Consistorialem, ut videtur, *indultum*, seu concessionem ad casum, *ii* clerici vel laici *a munere administratoris* in « Consilio » *excluduntur* per hunc canonem, *qui cum Ordinario loci*, et cum plures sic vocentur in singulis dioecesibus, interpretandum « cum praeside » Consilii nomine proprio, *primo vel secundo* in alterutra linea *consanguinitatis vel* eodem *affinitatis gradu* computato ad normam can. 96 §§ 2, 3, *coniuncti sint.*

De munere praefati Consilii dat normam textibus citatis Instructionum S. Cong. de Prop. Fide conformem § *3. Loci Ordinarius,* tam praecipuus in dioecesi, quam alius, *in administrativis actibus* iuxta tituli inscriptionem, sed *maioris momenti* ex iudicio prudentis, *Consilium administrationis*, sic illud oportet iuridice vocare, addendo dioecesanum, quando sit opus ab alio simili distinguere illud, videlicet: duos vel plures viros idoneos, quibus constat, coadunatos sub Ordinario praeside (can. 105, 2°) *audire ne praetermittat* ex canonis praecepto et quidem ad actus administrativi validitatem, cum distinctione applicationis can^s^. 105, 1° eo quod subditur: *huius tamen* Consilii *sodales* consequenter *votum habent tantum consultivum*, *nisi* a) *iure communi* Codicis et subsequentium legum *in casibus specialiter*, uti normae exceptionibus, *expressis vel* b) *ex tabulis fundationis* alicuius administrandae *eorum consensus exigatur.* Quod posset contingere in causis piis, vigente Codice, vel in eum praecedentibus, si requireret consensum talium personarum, quales subintelligi possent illi « sodales ».

§ *4. Sodales huius Consilii* nempe « administrationis », excluso proinde praeside, *iusiurandum* cum vera sed libera formula et *de munere,* quod in § praecedenti fuit declaratum, *bene ac fideliter* ad normam can. 105, 3° *adimplendo coram Ordinario* loci, cuius est « Consilium », *emittant* semel ante muneris exercitium.

435. **Inferiores administratores** esse iure necessarios dicit *can. 1521*, quorum qualitates iam. Clem. « Quia contingit » [1] statuit

[1] Cap. 2 tit. XI Lib. III in Clem.

easdem in Codice memoratas. § *1. Praeter hoc* (nunc appellatur) *dioecesanum*, quod verbum adhibetur convenienter ob eius scopum in Abbatia vel Praelatura nullius, *Consilium administrationis* paulo ante descriptum in can. praec., *Ordinarius loci* (can. 198 § 1), quia Clemens V « praemissa in loc. cit. ad hospitalia (aliaque pia loca) militarium ordinum aut religiosorum etiam aliorum extendi minime voluit: quorum tamen hospitalium rectoribus (ait) in sanctae obedientiae virtute mandamus, ut in illis secundum suorum ordinum instituta et antiquas observantias providere pauperibus et hospitalitatem debitam in illis tenere procurent: ad quod per superiores eorum arcta districtione cogantur, statutis aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in praemissis ». Quod etiam nunc viget, eo quod « implicite saltem in can. 1514, 1515 contineatur » (can. 6, 6°), ad minus quoad religiones clericales exemptas. — Igitur ex can. « Ordinarius loci » *in administrationem* a) *bonorum* temporalium *quae ad aliquam ecclesiam* uti personam moralem, sed in can. 1161 definitam, vel oratorium publicum, quia haec « eodem iure quo ecclesiae reguntur », *vel locum pium,* alioque nomine « institutum ecclesiasticum non collegiale » (can. 1489), ad hoc illamve non exempta ab eius iurisdictione, b) *et ex iure* quolibet tum scripto tum consuetudinario *vel tabulis fundationis* praedictorum locorum declaratis in can. 1490, *suum non habent* designatum *administratorem*, « in administrationem » illam *assumat*, memorando §m 3m can. praec. in « maioris momenti casibus », sicuti iussum fuit iisdem verbis in cit.a Clema, *viros* tantum singulos pro singulis locis, nec laici omnino excluduntur, quia de re temporali agitur, etsi clericos praeferre oporteat exemplo Apostolorum, qui « constituerunt super hoc opus ministrandi mensis » [1], non solum *providos*, ut administratio illa valde contingens requirit, *idoneos* ob peritiam in temporalibus, sed « *et boni testimonii* », quatenus ob honestatem morum salva sit eorum fidelitas per avaritiam, socordiam, misericordiam male intellectam non vincenda, seu ut Clem.a subdit: « qui sciant, velint et valeant loca ipsa, bona eorum ac iura utiliter regere, et eorum proventus et redditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, et quos in usus alios bona praedicta convertere praesumptio verisimilis non existat: in quibus sub obtestatione divini

[1] Act. Apost. VI, 3.

iudicii illorum ad quos dictorum locorum commissio pertinet, conscientias oneramus ». — Prosequitur canon de muneris tempore; *quibus* « viris » ut supra, *elapso triennio* continuo a die assumptionis supputando, illudque « finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri, prout sunt in calendario » (can. 34, § 3° et 1°), *alios* supple: « viros » earumdem qualitatum *sufficiat*, seu substituat distinctos ab illis, *nisi locorum circumstantiae*, v. gr. quia desunt alii in locis, vel propter specialem iam assumptorum idoneitatem, vel quia nolunt alii, etc., *aliud suadeant*, nempe eosdem per triennium aliud vel ad brevius tempus relinquere in eiusdem administrationis officio.

§ 2. *Quod si laicis*, quo verbo confirmatur interpretatio data in praec. §°., *partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum* alicuius personae moralis, (ergo non eis solis), quod proinde licite fieri potest ac iure, a) *vel ex legitimo* seu iuxta ss. canones *fundationis,* quando huius « tabulae » adsunt ad normam can. 1490, § 1, *seu erectionis* propter Ordinarii merum decretum *titulo* idest motivo, b) *vel ex Ordinarii loci voluntate* tanquam ab homine *competant, nihilominus*, et ad hoc respicit canonis praescriptum, a) *universa administratio* seu quoad singulos actus *nomine Ecclesiae fiat* expresse, quod sufficienter adimpletur, si uti procuratores loci pii publice cogniti tamquam ab Ecclesia dependentis se gerant, *ac* b) *salvo iure Ordinarii* triplici, nempe: *visitandi* ad normam can. 1491 ibi declaratam, *exigendi rationes*, quod per can. 1525 regitur, *et praescribendi modum administrationis* recognitum ac declaratum in can. 1519, § 2. Ac proinde in his omnibus incumbit « laicis » praedictis onus parendi.

436. **Administratorum obligationes praeviae ad munus** exercendum enumerat *can. 1522. Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum* inferiores, seu *de quibus* dictum est *in can. 1521, suum* quo denominantur *munus ineant*, seu incipiant exercere post nominationis acceptationem:

1.° Debent se bene seu obligationibus servatis *et fideliter* quoad scopum muneris *administraturos coram Ordinario loci vel vicario foraneo* ad hoc iure deputato, *iureiurando cavere*, idest: confirmare, ipsi quoque clerici iuxta cap. 5 « de iureiurando (II, 24) X, ubi ait Urbanus Papa: « Nullus episcopus clericos suos (nisi forte quibus ecclesiasticarum rerum commissa fuerit dispensatio) sibi iurare compellat ».

Id scriptum est quoque in Clem. cit. « Quia contingit »: « Illi etiam quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur, ad instar tutorum et curatorum iuramentum praestare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, (de quo statim in canone agitur), et Ordinariis seu aliis quibus subsunt loca huiusmodi vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem ».

Prosequitur canon: 2° *Fiat* per ipsos administratores vel alios *accuratum*, quia nihil etiam parvi valoris omittatur *ac distinctum* quoad singulas descriptas res alicuius momenti iuxta prudentiam *inventarium* seu elenchus deprehensarum rerum sub pii loci dominio vel possessione qualibet, *ab omnibus*, qui partem in ipsius loci administratione habebunt, *subscribendum* propria igitur manu, singularum temporalium a) *rerum immobilium*, v. gr. agrorum, domuum, syngrapharum, etc. b) *rerum mobilium* vel se moventium tum *pretiosarum*, « quibus notabilis valor sit » declaratus in can. 1497, § 2, *aliarumve* quarumlibet, atque notentur circumstantiae: *cum* a) *descriptione* ad eas discernendas, *atque* b) *aestimatione* pretii *earumdem;* attamen labor inutilis est vitandus, quapropter additur: *vel factum antea* rite huiusmodi *inventarium acceptetur* per subscriptionem « ab omnibus » supra declaratis appositam in eo, *adnotatis rebus* sub litteris a) et b) explicatis, *quae interim*, ab ultimo perfecta confectione inventarii *amissae* quocumque modo licito vel illicito *vel* e contra *acquisitae fuerint*. Uno verbo: ut inventarium nunc subscribendum aequipolleat inventario praescripto « ut fiat »;

Immo 3° *Huius inventarii* facti vel acceptati, ut in n. 2° expositum est, *alterum* ex duobus *exemplar conservetur in tabulario*, sive armario, sive scrinio, tabulas seu documenta pii loci servanda continente, quae *administrationis* sunt, *alterum* praecedenti conforme *in archivo Curiae* seu « dioecesano », quod can^s. 375 §^us 1 praescribit ut « Episcopi erigant », utrumque vero subscriptum ut in n° 2°; *et in utroque* supra declarato exemplari *quaelibet immutatio* ex acquisitione, amissione, etc. superveniens *adnotetur* successive, *quam patrimonium* seu complexus bonorum illius dominii *subire contingat* qualibet ex causa.

437. **Huius muneris obligationes canonicae** sunt, quas complete ac iuri praecedenti conformes recenset *can. 1523*. Et

imprimis S. Congr. de P. F. [1] in eius Instr. anni 1807 iam docuerat: « Quibus vero pro eorum munere administratio bonorum seu pecuniarum huiusmodi (ex piis fundatorum vel donantium voluntatibus provenientium) concredita est, ii nullis laboribus et difficultatibus deterrendi sunt ab iis conservandis, custodiendisque, atque in rationum codicibus conficiendis: eam omnem diligentiam in his omnibus adhibentes, quam prudens ac probus paterfamilias adhibere solet in rebus suis ».

Pariter in Codice asseritur: *Administratores* quilibet, etiam religiosi pro eorum participatione in dicto munere, *bonorum ecclesiasticorum* (can. 1497, § 1) *diligentia* mentis et actionis *boni*, idest: prudentis ac probi, qui sequatur paternum affectum erga suos atque rationis vocem ex iure naturae monentis, *patrisfamilias*, propterea ut typum administratorum dati, *suum munus*, quo appellantur, *implere* quoad omnes partes *tenentur* ex officio; *ac proinde debent* singillatim:

1° *Vigilare* cum effectu *ne bona ecclesiastica* sub can. 1497, § 1 distincta et declarata *suae curae* administrationis totaliter vel partialiter *concredita* et pro mensura huius, *quoquo modo* ex natura seu ab hominibus bestiisve procedente *pereant* v. gr. quia « bona, res et iura ipsorum (locorum piorum) interdum ab occupatorum et usurpatorum manibus excutere negligunt » [2], *aut detrimentum capiant*, v. gr. ut prosequitur cit. Clem.ª « quinimo ea collabi et deperdi, domos et aedificia ruinis deformari permittunt ».

2.° *Praescripta*, quae ad singulos pertineant, *servare* a) *iuris*, seu cuiuslibet normas obligatorias consuetudinarii aut scripti, *tam canonici* sive in Codice sive posterioris *quam civilis* in territorio vigentis, quandocumque hoc debeat ob ss. canones servari v. gr. vi can. 1529, vel suadente prudentia, praeter naturale ius, ut patet, *aut* (particula aequipollens copulativae) « praescripta » *quae a fundatore* causae locique pii institutive ecclesiastici, *vel donatore* aliquorum bonorum *vel legitima* ad hoc *auctoritate* ecclesiastica *imposita sint*, et consequenter per Ecclesiam acceptata;

3.° *Reditus bonorum* uti fructus agrorum, locationis pretium, interesse pecuniae mutuatae, syngrapharum debiti publici, *ac proventus* v. gr. propter census, hypothecas, etc. 1° *accurate* circa

[1] Collectanea S. Congr. de Prop. Fide. n. 689. — [2] Clem. « Quia contingit » 2, tit. XI, Lib. III.

quantitatem pecuniae ac illorum diversitatem *et iusto tempore,* quo debeant solvi, *exigere*, si forte non tribuantur sponte, II° *exactosque loco tuto* pro eorum qualitate ac circumstantiis *servare et* III° *secundum fundatoris mentem* cognitam ex ultima voluntate vel instituti ecclesiastici erectione *aut statutas* vigentesque *leges* proprie dictas, etsi particulares, *vel normas* v. gr. ab Episcopo datas *impendere* pro illorum scopo seu fine;

4.° Specialiter *pecuniam ecclesiae* proprie dictae (can. 1161, 1191 § 1) acquisitam, a) *quae de expensis* pro cultu divino aliisque necessariis *supersit et utiliter* pro ecclesia *collocari* in obligationibus sive Status, sive campsorum, sive aliter *possit,* b) *de consensu Ordinarii* (can. 198) loci vel Superioris maioris in religionibus clericalibus exemptis, respective ad ecclesiam, cuius sit pecunia, ad normam can. 533, § 1, 3°, c) *in emolumentum* solummodo *ipsius* declaratae *ecclesiae occupare*, quatenus hoc verbum excludit inactivitatem occasione praefatae pecuniae;

5.° *Accepti et expensi* seu horum ratiocinii *libros bene ordinatos,* unde liquet bona administratio, *habere.*

6.° *Documenta* idest: litteras, libellos, scripta quaecumque, « quavis ratione confecta, si aliquam contineant facti attestationem », *et instrumenta* nempe: « scripturas ordinatas ex ipsa intentione partium, quarum interest, ad fidem faciendam de contractibus, de pactis, de aliis actibus, quorum memoria praestat ne pereat » [1], *quibus iura ecclesiae in bona* (seu horum dominium qualecumque) *nituntur,* uti probationes saltem actus iuridici qui titulum dominii contulit, a) *rite ordinare,* ut facile inveniri queant, b) *et in ecclesiae*, quae subiectum est talis dominii, *archivo* praesupposito a can. 383, *vel* saltem *armario* ad effectum *convenienti* papyris *et apto* ad collocanda illa *custodire,* quod clavem omnino requirit. Illa duo absolute praescribuntur, non ita sequens edicitur: c) *authentica vero,* seu quae fidem faciant, *eorum* « documentorum et instrumentorum » *exemplaria* seu transumpta, sub conditione: *ubi commode fieri potest,* « *in archivo* dioecesano » moderato per can. 375-378, *vel armario* ad hoc « *Curiae* dioecesanae », seu sub eius potestate sito *deponere.*

438. **Operariorum specialis cura** iuxta mentem Ecclesiae in litteris encycl. « Rerum novarum » Leonis XIII [2] panditur *can.*°

[1] Clariss. Card. Lega. Praelectiones in textum iuris canonici... Lib. II, Vol. IV. num. 212, 213. — [2] 15 Maii 1891.

1524, iisdem Pontificis verbis redacto. Velut introductio sunt: « Ac primum tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, inprimisque ad ea, quae a iustitia ducuntur ». Cum igitur huiusmodi sint, quae sequuntur, ita incipit praesens canon: *Omnes*, quamvis baptizatis Codex directe loquatur ad normam can. 12, atque addit, *et praesertim* a) *clerici*, « qui debent laicis per facta recte in exemplum excellere » (can. 124), b) *religiosi*, eo quod « ad evangelicam perfectionem tendunt » (can. 488, 1°), *ac* c) *rerum ecclesiasticarum* (can. 1497, § 1) *administratores*, propter quam hoc sub Titulo praesens canon inseritur aliosque respicit praedictos. Ait enim Leo XIII: « In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, causae sunt considerandae plures: sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumenti sui causa indigentes ac miseros, alienaque ex inopia captare quaestum, non divina non humana iura sinere ». Hinc praescribit canon: distinctae sub initio personae a) *in operum locatione debent assignare operariis* sic dictis propter illam, *honestam* ad posteriorem vitandum abusum, *iustamque*, ut primo dixit S. Pontifex, *mercedem*. — In cit.[s] litteris habetur quoque: « Ista vero ad divites spectant ac dominos: non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vero turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, ut prosequitur canon », b) *curare ut iidem* « operarii » *pietati* sumptae pro religionis exercitiis, *idoneo*, nec solum stricto propter praeceptum, *temporis spatio, vacent*; c) *nullo pacto eos abducere a domestica* uxoris, filiorum parentumve *cura*, prout affectus requirit, *parsimoniaeque studio* utilis pro familia. Item d) *neque plus eisdem* « operariis » *imponere operis*, *quam vires ferre queant, neque id genus* activitatis, *quod cum aetate* puerili vel provecta *sexuque* muliebri *dissideat*.

439. **De reddenda administrationis ratione** cavet *can. 1525* omnino conformis Dec°. Conc. Trid. [1] atque ipsius verbis expressus, sub duobus §§ distinctus. § *1. Reprobata contraria* huius §[i] praescripto *consuetudine*, quae hinc « tanquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere » (can. 5), et « non est rationabilis » (can. 27 § 2), dum Conc. Trid. solummodo cavit: « consuetudinibus, et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis ». Ex hac clausula sequitur, quod « privilegia huiusmodi ab Apostolica Sede concessa (post dictum tantum Concilium) quae in usu adhuc sunt, integra manent » (can. 4), quia hoc Codicis canone non revocantur.

Praescriptum vero est: *administratores,* de quibus tractat praesens titulus, sed inferiores *tam ecclesiastici* seu « clerici » secundum Codicis usum, *quam laici*, « quibus partes in administratione illa competant » (can. 1521, § 2), et quamvis « utrique possunt esse religiosi », hi non comprehenduntur sub illis verbis, uti patebit ex commentario. Illi ergo « administratores » a) « fabricae » (Conc. Trid) *cuiusvis ecclesiae* proprie dictae (can. 1161) sed « saecularis, sive saecularis rector sit, sive religiosus » ad hanc normam quod attinet applicandam ex can. 1182, § 3, et « oratoria publica eodem iure reguntur » (can. 1191, § 1), sed ea sub ratione omnis distinctio illarum aufertur, dicente canone: *etiam cathedralis,* quae suprema est inter illas, *aut* b) *loci pii* seu « instituti ecclesiastici non collegialis » (can. 1489, § 1) v. gr. ex Conc. Trid. « hospitalis, (eleemosynae montis pietatis) » *canonice erecti* scilicet: « ab Ordinario loci » secundum canones tit. XXVI, immo « reprobata contraria consuetudine » ob can. 1492, etiam « si qui fundi domui (Congregationis religiosae non exemptae) tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam » (can. 533 § 1° n. 3°); demum c) *aut confraternitatis* ad normam can. 691, §§ 1, 5, et a fortiori quaecumque « associatio legitime erecta » ad idem tenetur praescriptum, sed « confraternitatis » solummodo fit mentio, tum ob Decretum Conc. Trid. hoc verbo utens, tum eo quod « confraternitates nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt » (can. 708), atque « tunc tantum fidelium associationes iuridicam in Ecclesia personam

[1] Cap. 9, sess. XXII de Ref.

acquirunt » (can. 687). — Praescriptum ergo canonis est, quod supra declarati a) *singulis annis* semel b) *officio tenentur reddendi* ob praesentem legem c) *rationem administrationis* temporalium hoc Titulo moderatam *Ordinario loci* (can. 198, § 2).

§ *2* adamussim concordat cit.° Dec.° Trid.: « Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci », idest: ut paulo ante in eodem legitur Decreto: « in institutione et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse cautum esset »; quae omnia sic canon edicit: *si ex peculiari iure aliis* prae loci Ordinario *ad id designatis ratio reddenda sit, tunc etiam* nempe: illo iure servato, *Ordinarius loci vel eius delegatus cum his* « designatis » *admittatur* ad rationem administrationis recipiendam cognitione, *ea lege* per hunc canonem roborata *ut aliter factae liberationes* administratorum ex rationis approbatione *ipsis administratoribus minime suffragentur* in eorum obligationis adimplementum.

440. **De litis inchoatione vel contestatione** pro bonis ecclesiasticis, sic statuit *can. 1526. Administratores* de quibus in can. 1521, *litem* in iudicio tam civili quam ecclesiastico, equidem « *nomine ecclesiae* » (can. 1521, § 2), pro bonis ergo ecclesiasticis *ne inchoent* uti actores, *vel contestentur* tanquam rei, *nisi* a) *licentiam* in casu et ad hoc sufficientem *obtinuerint* revera et b) *scripto datam* c) *Ordinarii loci* (can. 198, § 2), *aut saltem* quoad litteram c) sed sub conditione: *si res urgeat*, v. gr. ob imminens damnum) c) *vicarii foranei* ad hoc competentis ex canone praesenti, *qui statim Ordinarium* supple « loci » supradictum *certiorem* de hoc per modum sibi bene visum *reddere debet*. Rationem huius praescripti desumere possumus ex Instr. S. C. de Prop. Fide [1] pro dioecesibus Hollandiae: « Art. 20. Concilium praedictum non potest, nisi obtenta in scriptis facultate ab Episcopo, quidquam facere, quod fines ordinariae administrationis transgreditur ». Et infra enuntiat sub littera « j) Litigare sive tamquam actor, sive tamquam reus ».

441. **Administrationis limites** generaliter ponit *can. 1527*, non secus ac citata Instructio. — § *1. Nisi prius ab Ordinario loci* saepius memorato *facultatem* administratoribus iure denegatam a) *impetraverint*, nec sufficit eam petere aut praesumere, b) *scriptis*

[1] 21 Iul. 1856. Collect. S. Congr. de P. F. n. 1127.

dandam ex formae actus praescripto, *administratores* inferiores, de quibus Titulus a can. 1521 loquitur, *invalide actus ponunt* solummodo *qui ordinariae* seu frequentis *administrationis* declaratae ad Tituli inscriptionem *fines* seu limites *et modum*, scilicet: disiunctive propter hunc *excedant*.

Uti normam directivam accipere possumus elenchum praedictae Instructionis, in qua sub cit. art.° dicitur: « Itaque non potest, nisi eadem facultate obtenta: a) Hereditatem, legata, donationes (solemniter factas) vel fundationes acceptare, aut iisdem renunciare; b) Bona immobilia emere; c) Vendere, permutare, hypothecae subiicere, oppignorare, servitute aliove modo onerare, aut ultra trium annorum spatium (nunc corrigendum ad normam can. 1541) locare res Ecclesiae immobiles; d) Vendere, permutare, oppignorare vel alio quovis modo a destinatione sua avertere obiecta artificiosa, monumenta historica, aliave mobilia alicuius magni momenti; e) Magnas pecuniae summas mutuo accipere, transactiones aliosque contractus onerosos facere; g) Coemeteria condere; h) Facere aut supprimere parochiales, sive ad rem ecclesiasticam parochiae pertinentes, institutiones; i) Imponere capitationem, collectas inducere, aut eas, quas habet ecclesia, aliis donare ».

Alex. III sic sapienter decernit in cap. 1 « De deposito » (III, 16) X: « Gravis illa querimonia usque ad nos super deposito tuo tibi hactenus denegato pervenit... et infra... Cum enim non constet, pecuniam tuam, quam ille vir (clericus) Belial furatus est, in Ecclesiae utilitatem conversam: non debemus de iure contra canonicos eiusdem ecclesiae praecise intentare iussionis instantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam, personae non ecclesiae commendatam ».

Item Gregorius IX in cap. 2 « de solutionibus » (III, 23) X ait: « Firmiter inhibemus, ne quis praesumat ecclesiam sibi commissam, pro alienis gravare debitis: aut litteras alicui seu sigilla concedere, quibus possent ecclesiae obligari: decernentes si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum ecclesias non teneri ».

Praecedenti ergo iuri concors est § 2. *Ecclesia* iuxta huius nominis significationem iuridicam ex can. 1498, seu « quaelibet persona moralis in Ecclesia », *non tenetur* in iudicio vel extra illud *respondere* idest: onus subire *de contractibus* quibuslibet seu horum

ratione *ab administratoribus* ceteroquin legitimis, forsitan « nomine Ecclesiae » verbotenus (can. 1521, § 2), *sed sine licentia* requisita iuxta praec. §um vel ob alium canonem *competentis* ad hoc *Superioris* saecularis vel religiosi *initis*, eo quod ait reg. iuris 76 in 6°: « Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare », et quia non uti administrator contraxit, excedens potestatem. Attamen aequitas postulat exceptionem: *nisi quando* ex illo contractu *et quatenus* illius vi obtentum *in rem suam* nempe: in personae moralis utilitatem temporalem *versum est*.

Nec obiiciatur per hunc §um in casu eludi contractus obligationes, nam hoc est verum non absolute, sed repellendo eas in personam contrahentis administratoris. Sic enim prosequitur Alex. III in textu Decretalium citato: « Quocirca suademus ut in illum furem tuam dirigas actionem, eo quod (ut audivimus) loculos habet: et ea quae tibi subrepta sunt, asportavit. Nam et iudicibus dedimus in mandatis, ut illum iniquum sub quaestionibus ad rationem ponant, etiam (si oportuerit) vinculis alligatum, ut dictam pecuniam reddere compellatur ». Sed instari potest iniustum esse, ut contrahens cum administratore bonorum ecclesiasticorum qua tali, alioquin ad solvendum impotente, fraudetur iure suo per contractum obtento. Respondetur iniustitiam ex parte Ecclesiae abesse in hoc quoque casu, nam contrahens taliter non observato iure canonico, quo tales contractus reguntur, sibi debet damnum illud imputare, nam iuxta reg. iuris 13 in 6°: « Ignorantia facti, non iuris excusat ».

442. **Effectus illegitimae dimissionis muneris** in complementum huius tituli enunciat *can. 1528. Etsi ad administrationem* hoc titulo moderatam *non teneantur*, et hinc a sensu contrario supponitur ad eam aliqui teneri *titulo* seu ratione a) *beneficii* ob canonem 1476, § 1 b) *vel officii ecclesiastici* etiam lato sensu, quousque in beneficio vel « officio permaneat » (can. 190, § 2); praeter hos igitur etiam c) *administratores* ceteri *qui* huiusmodi *munus* ad normam can. 1521 *expresse* verbis, aequipollentibusque signis *vel tacite* videlicet facto *susceptum* ac proinde voluntarie, si a) *arbitratu suo* idest: non interveniente iure vel voluntate Superioris ecclesiastici ad illius dimissionis validitatem, atque b) *ita ut damnum* positivum vel negativum sed certo *exinde* hoc est: ex tali dimissione *ecclesiae* iuxta significationem iuridicam ex can. 1498 *obveniat*, propter contractum vel quasi-contractum

susceptionis muneris *ad restitutionem* idest: indemnitatis *tenentur*, quia eorum obligationes procedunt ex iustitiae commutativae virtute ob praefatum motivum.

TITULUS XXIX.

De contractibus.

CAN. 1529. - Quae ius civile in territorio statuit de contractibus, tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

CAN. 1530. - § 1. Salvo praescripto can. 1281, § 1, ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur:

1º Aestimatio rei a probis peritis scripto facta;

2º Iusta causa, idest urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas;

3º Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est.

§ 2. Aliae quoque opportunae cautelae, ab ipsomet Superiore pro diversis adiunctis praescribendae, ne omittantur, ut Ecclesiae damnum vitetur.

CAN. 1531. - § 1. Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur.

§ 2. Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit.

§ 3. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur.

CAN. 1532. - § 1. Legitimus Superior de quo in can. 1530, § 1, n. 3, est Sedes Apostolica, si agatur:

1º De rebus pretiosis;

2º De rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum.

§ 2. Si vero agatur de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et cum eorum consensu quorum interest.

§ 3. Si denique de rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, dummodo accesserit consensus tum Capituli Cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest.

§ 4. Si agatur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est.

CAN. 1533. - Sollemnitates ad normam can. 1530-1532 requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae peior fieri possit.

CAN. 1534. - § 1. Ecclesiae competit actio personalis contra eum qui sine debitis sollemnitatibus bona ecclesiastica alienaverit et contra eius heredes; realis vero, si alienatio nulla fuerit, contra quemlibet possessorem, salvo iure emptoris contra male alienantem.

§ 2. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt qui rem alienavit, eius Superior, utriusque successor in officio, tandem quilibet clericus illi ecclesiae adscriptus, quae damnum passa sit.

CAN. 1535. - Praelati et rectores de bonis mobilibus suarum ecclesiarum donationes, praeterquam parvas et modicas secundum legitimam loci consuetudinem, facere ne praesumant, nisi iusta interveniente causa remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis; secus donatio a successoribus revocari poterit.

CAN. 1536. - § 1. Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata.

§ 2. Donatio facta ecclesiae, ab eius

rectore seu Superiore repudiari nequit sine licentia Ordinarii.

§ 3. Repudiata illegitime donatione, ob damna quae inde obvenerint actio datur restitutionis in integrum vel indemnitatis.

§ 4. Donatio ecclesiae facta et ab eadem legitime acceptata, propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit.

Can. 1537. - Res sacrae ne commodentur ad usum qui earundem naturae repugnet.

Can. 1538. - § 1. Si ecclesiae bona, legitima interveniente causa, oppignoranda vel hypothecae nomine obliganda sint, vel agatur de aere alieno contrahendo, legitimus Superior, qui ad normam can. 1532 licentiam dare debet, exigat ut antea omnes, quorum interest, audiantur, et curet ut, cum primum fieri poterit, aes alienum solvatur.

§ 2. Hac de causa annuae ratae ab eodem Ordinario praefiniantur quae exstinguendo debito sint destinatae.

Can. 1539. - § 1. In venditione aut permutatione rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur.

§ 2. Administratores possunt *titulos ad latorem,* quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit.

Can. 1540. - Bona ecclesiae immobilia propriis administratoribus eorumque coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu

Tit. XXIX. De contractibus —
- — quibuslibet — Can. 1529
- — rerum ecclesiasticarum —
  - — non fungibilium —
    - — sollemnitates —
      - — servandae —
        - — in alienatione —
          - — omnes » 1530
          - — quoad pretium » 1531
          - — quoad Superioris licentiam » 1532
        - — in simili contractu » 1533
      - — quae omissae actionem causant » 1534
    - — donationis —
      - — active consideratae » 1535
      - — receptae seu acquirendo » 1536
    - — in commodato » 1537
    - — per oppignorationem vel hypothecam » 1538
    - — cum permutatione » 1539
    - — in locato conducto —
      - — certis personis exclusis » 1540
      - — cum sollemnitatibus » 1541
    - — per emphyteusim » 1542
  - — fungibilium » 1543

non sunt vendenda aut locanda sine speciali Ordinarii loci licentia.

Can. 1541. - § 1. Contractus locationis alicuius fundi ecclesiastici ne fiant, nisi ad normam can. 1531, § 2; et in iis addantur semper conditiones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendo canone, de opportuna cautela pro conditionibus implendis.

§ 2. Pro locatione bonorum ecclesiasticorum, servato praescripto can. 1479:

1.° Si valor locationis excedat triginta millia libellarum seu francorum et locatio sit ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum; si locatio non sit ultra novennium, servari debet praescriptum can. 1532, § 3;

2.° Si valor contineatur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum et locatio sit ultra novennium, servari debet praescriptum eiusdem can. 1532, § 3; si locatio non sit ultra novennium, praescriptum eiusdem can. 1532, § 2;

3.° Si valor non excedat mille libellas seu francos et locatio sit ultra novennium, servari debet idem praescriptum can. 1532, § 2; si locatio non sit ultra novennium, fieri potest a legitimis administratoribus, monito Ordinario.

Can. 1542. - § 1. In emphyteusi bonorum ecclesiasticorum emphyteuta nequit canonem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici de quo in can. 1532; quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim ecclesiae dare debet, quae canoni respondeat.

§ 2. Ab emphyteuta congrua exigatur cautio pro solutione canonis et conditionibus implendis; in ipso instrumento pacti emphyteutici forum ecclesiasticum arbiter statuatur ad dirimendas controversias inter partes forte exorituras et expresse declaretur meliorationes solo cedere.

Can. 1543. - Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur.

443. **Inscriptio Tituli**. — In Collectione Decretalium Gregoriana inveniuntur tituli XIII usque ad XXIV, quorum rubricae innuunt diversos actus commutationum circa res temporales, quos in Codice *Titulus XXIX* nunc considerandus amplectitur verbo inscriptionis unico *De contractibus.* Horum definitio est: « duorum vel plurium in idem placitum consensus signo sensibili expressus ». Contractus elementa necessaria sunt: *a*) personae contrahentes, veluti subiectum, *b*) materia seu obiectum in quod conveniunt, *c*) voluntatis actus in illis personis dans vitam contractui ad inducendum obligationis effectum, atque *d*) illius voluntatis manifestatio mutua, quia consensus mente retentus nihil operatur in rebus humanis. Contractus sunt obiectum Theologiae moralis, quatenus ad iustitiae virtutem se referunt, atque iure naturae ac positivo divino mensurantur. Attamen quia in moribus hominum quotidie ac frequenter sunt contractus positi, atque valde conducunt ad vitam socialem pacifice promovendam vel e contra turbandam, prouti recte fiunt vel depravantur; hinc necessitas ut potestas publica eis per leges invigilet.

444. **Canonum ordo.** — Praedictae autem leges pro diversitate ingenii populorum, temporum atque necessitatum, varietates induunt circa eosdem quoque contractus, quae omnes cum possint esse iustae ac opportunae, Ecclesia easdem adoptavit in genere per can. 1529. In sequentibus vero speciales normae, quae intersunt Ecclesiae, dantur hoc ordine. Praemittuntur praescripta « De rebus Ecclesiae alienandis vel non » (Tit. XIII. Decretalium) sub can. 1530-1534, quorum tres primi agunt de sollemnitatibus alienationis proprie dictae, atque extensis ad alios similes contractus per can. 1533, loquente can. 1534 de effectibus iuridicis ob illarum omissionem. Duo canones 1535, 1536 tractant « de donationibus » Tit. XXIV Decretalium), et sequuntur singuli per ordinem, can. 1537 « de commodato » (Tit. XV), can. 1538 « de pignoribus et aliis cautionibus » (Tit. XXI), can. 1539 « de rerum permutatione » (Tit. XIX), can. 1540 « de locato et conducto » (Tit. XVIII), et quoad solemnitates can. 1541, dum sequitur alius canon de emphyteusi adhuc practica, omisso Decretalium « de feudis » (Tit. XX). Aliae rubricae sub inscriptione tituli memoratae quoad earum nigrum seu sub eis contentum sortitae sunt aptiorem locum in diversis Codicis divisionibus. Ultimus vero can. 1543 agit de lucro legali pecuniae, quod nostris moribus et ab Ecclesia est admissum, proinde silentio non premendum.

445. **De contractibus in genere** statuit *can. 1529. Quae ius civile*, sic communiter appellatum, eo quod cives generaliter in societate perfecta per illud reguntur in ordine ad finem temporalem, *in territorio* unoquoque, ubi illud viget, *statuit* praeceptive *de contractibus tam in genere* seu pro omnibus his, tum quoad habilitatem contrahentium, tum quoad substantiam et circumstantias illorum, tum quoad sollemnitates in contrahendo servandas, fortassis ut valeat, *quam in specie*, praedictis superaddendo, aut detrahendo, aut mutando, *sive* agatur « de contractibus » *nominatis*, qui nempe proprio nomine discernuntur, ac forsan actione iudiciali muniantur, *sive innominatis*, qui carent appellatione propria, et reducuntur ad quatuor formulas « do ut des ». « facio ut facias », « do ut facias », « facio ut des », sive praefati contractus sint unilaterales, eo quod in uno solo contrahentium obligationem inducunt, sive bilaterales, quia omnes contrahentes manent obligati ex illis, additque canon: *et de solutionibus* in earum obligationum

adimplementum, nam de illis specialis est Tit. XXIII in Lib. III Decretalium. — Sic declaratis quae canon respicit, prosequitur: *eadem* successive ac diversa simul pro territorii diversitate, *iure canonico*, idest: vi huius, tanquam si per hoc fuissent praescripta, *in materia* contractus *ecclesiastica*, quae videlicet vel ex ipsius natura vel ob personas morales in Ecclesia contrahentes illo iure dirigi debet, *iisdem cum effectibus* obligationum ex contractu, actionis civilis apud tribunal saeculare, etc. *serventur* praeceptive in singulis contractibus. — Limitationes omnino necessariae ob legum civilium fallibilitatem adduntur: *nisi* a) *iuri divino* « sive naturali, sive positivo » (can. 27, § 1), et quatenus *contraria sint*, ita ut simul servari nequeat utrumque ius, nam in tali casu sententia Divi Petri urget: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus » [1], atque hae leges sunt iniustae, « quae ordinantur contra Dei mandatum, et ad hoc ordo potestatis (humanae) non se extendit; unde in talibus legi humanae non est parendum » [2]; explicitque sic canon: *aut aliud* ac « ius civile statuit » diversum vel oppositum vel ultra illud *iure canonico caveatur*. Id edicitur positive hoc in loco ad limitandum canonis praescriptum, ne dubium exoriretur an in territorio aliquo illud civile ius ab Ecclesia probatum praevalere deberet secundum quod leges particulares derogant generales conformiter regulae iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur », sed ita est logice praescriptum sive ob superioritatem Ecclesiae erga civilem societatem, sive ut magis luceat in praxi damnatio prop. in Syllabo Pii IX « 42. In conflictu legum utriusque potestatis ius civile praevalet ». — Addiscere igitur oportet canonistas singularum nationum ius civile de contractibus, attamen fundamentalia ex iure divino sunt ab eis apprime cognoscenda, ac secundo loco canones omnes tum praesentis Tituli, tum alios in Codice huc illuc dispersos. A perito huiusmodi canonista solum poterunt particularium casuum solutiones prudenter exspectari, quamvis non mediocris sagacitas erit quandoque necessaria ad discernendum veram oppositionem inter haec iura ab ea quae solum est apparens.

446. **Alienationis sollemnitates** ex iure veteri petitas retinet *can. 1530*. § *1* incipit quidquam reminiscendo per clausulam: *Salvo praescripto can. 1281*, § *1*, nempe: quod reliquiae aut ima-

[1] Act. Apost. V, 29. — [2] D. Th. Ia IIae, quaest. XCVI, art. 4, ad 2m.

gines ibidem declaratae « nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu ». Praeter hoc *ad alienandas*, non solum etymologice loquendo de omni pacto « per quod ipsorum (bonorum ecclesiasticorum) dominium transfertur », uti exponebat Paulus II in Extrav. communi « Ambitiosae », sed proprie ex contextu huius canonis cum sequenti « ad alienandas », recepta pecunia ut pretio, *res ecclesiasticas* sic dictas propter dominii subiectum ad normam can. 1497, § 1, *immobiles* v. gr. agrum, possessiones, ecclesias, *aut mobiles* v. gr. calices, patenas, tapeta, nec additur de utrisque verbum pretiosas, dicitur vero: *quae servando servari possunt*, nam in cit. Extrav. Pauli II haec legitur exceptio: « praeterquam de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia »; ad declaratas igitur alienationes, monito quod « non licet episcopo vel abbati, terram (seu bonum ecclesiasticum) unius ecclesiae vertere ad aliam, quamvis ambae in eius sint potestate » [1], semper *requiritur:*

1.º Aestimatio de iusto pretio *rei* alienandae, quod, ut tritum est, inter maximum et minimum limitem sistit, *a probis* quoad honestatem in officii exercitio *peritis* quoad hoc ex habilitatis documento vel communi iudicio, *scripto* communi vel seiuncto *facta,* atque « Pluralis locutio duorum saltem numero est contenta » (Reg. 40 iuris in 6.º). Ita scriptum erat in cap. 1 « de his quae fiunt a Praelatis sine consensu capituli » (III, 10): « Irrita erit episcoporum donatio, et venditio, vel commutatio rei ecclesiasticae, absque *collaudatione,* et subscriptione clericorum ».

2.º Iusta causa, *idest* non quaelibet, sed a) *urgens necessitas* ipsius personae moralis dominium rei habentis, aut venditionis perficiendae ad gravius malum positivum vitandum, b) *vel evidens utilitas* (ex ipsa alienatione vel ipsius intuitu) *Ecclesiae* « universae aut Sedis Apostolicae, vel etiam ipsius personae moralis in Ecclesia » (can. 1498), c) *vel pietas* (cum pecunia quae ex alienatione obtineatur) exercenda, v. gr. in magna annonae deficientia, erga civilem societatem, quae ut salva sit, maximis indigeat subsidiis, etc. Quaelibet ex tribus causis sufficit propter particulam *vel* disiunctivam, non aliter ac in iure veteri expressum est. Sic enim

[1] Cap. 1 « de rebus ecclesiae alienandis vel non » (III, 13) X.

legitur in cap. 8 huius Tituli Decretalium: « Alterius etiam quaestionis solutio ex epistola Leonis Papae colligitur evidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus ecclesiae quidquam donare, vel permutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium ecclesiae profuturum ». Atque in cap. 1 eiusdem Tit. in 6.° Innoc. IV reprobat alienationes bonorum ecclesiasticorum ea de causa « praesertim, cum evidens necessitas quare fieri (sic) deberet, vel utilitas non subesset ».

Demum in extrav. communi « Ambitiosae » supra citata sic scriptum invenimus: « Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem (nempe: quae sint « immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus ecclesiae, monasteria, et pia loca reguntur illustranturque; et eorum ministri sibi alimoniam vindicant », cum exceptionibus ibi adiectis) quidquam alienare praesumpserint, alienatio, hypotheca, etc. nullius omnino sint roboris vel momenti »: Et consequenter dicitur infra: « nihilominus alienatae et bona huiusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia, ad quae ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere revertantur ».

Ex hac Extrav. recte concludebatur fuisse beneplacitum apostolicum conditionem ad praefatarum alienationum validitatem. Cum autem praesens canon non restringatur ad res mobiles pretiosas, ut suo loco adnotatum fuit, Extravagantis praescriptum extensum in praes. §° restringitur quoad beneplacitum per canonem 1532, addente hoc, quem commentamur: *3° Licentia legitimi,* idest: ad normam can. cit. et 534, § 1, *Superioris* sive saecularis, sive religiosi, etiamsi sola potestate dominativa hic potiatur, *sine qua* singulariter diversa « licentia », si *alienatio* boni ecclesiastici fiat, *invalida est.* Hinc res clamat pro domino, ac proinde cum onere restitutionis.

Haec tria sunt ex iure servanda, sed ab homine superaddi queunt praecepta communia, vel pro singulis casibus, eo quod iubet § 2 tum Superiori, tum alienantibus: *aliae quoque* seu ultra praedicta *opportunae* non pro libitu *cautelae* ex intentione, quam exprimit §[1] finis, *ab ipsomet* idest: dante licentiam illam *Superiore pro diversis adiunctis* quarumdam vel uniuscuiusque alienationis *praescribendae* respective per legem aut praeceptum vel ordinationem, *ne omittantur* in praxi a contrahentibus, in hunc scopum *ut*

Ecclesiae, cuius nomine fit alienatio (can. 1498), *damnum* forsitan ex defectu solutionis pretii vel alias timendum prudenti iudicio *vitetur*.

447. **Iustum rei pretium** aestimatione determinari potest ita, ut duo periti de illa coniunctim scribant, vel e contra unusquisque illorum forsan dissentientium constituat. Si hoc alterum eveniat, vel limites iusti pretii rei designant vel unicum aestimant pretium plus minusve intelligendum, et maiori minorique amplitudine pro ipsius quantitate. Tunc ergo in quo illi periti conveniant pretium reputabitur iustum, eo quod « peritis in arte credendum est ». De pretio igitur concorditer exarato, vel de quo in dissensu concordent, interpretemur can. 1531 § *1. Res* « ecclesiastica immobilis aut mobilis » in can. praec. § 1° declarata *alienari* proprie per venditionem, nam dicitur *minore pretio* seu pecuniae summa *non debet* ex canonis prohibitione, quamvis iustum esset hoc minus, *quam in aestimatione*, prout paulo ante declarata est, *indicatur* qua iustum. Hic §^{us} et sequentes ferunt praescripta quae, uti generalia, sunt nova, et videntur desumpta ex Instr. S. Congr. de Prop. Fide, de observandis in usu facultatis bona ecclesiastica alienandi, permutandi, etc. [1].

Quod Bened. XIV statuerat de locatione bonorum Camerae Apostolicae motu proprio « Essendo » [2] extendit sequenti modo § *2. Alienatio* idest venditio hoc in canone considerata *fiat* quoad modum a) *per publicam* seu omnibus patentem *licitationem* inter eos, qui eam rem malint emere, vulgo sub hasta, b) *aut saltem* pro scopo huius modi obtinendo *nota*, uti facienda « alienatio », *reddatur* modo ad hoc apto iuxta circumstantias. Immo dum alteruter modus vendentis arbitrio relinquitur in praescripti adimplementum, iusui canonis limitatio sequens additur, *nisi* c) *aliud* diversum ab utroque modo, vel praescripti omissionem *circumstantiae* viro prudenti *suadeant*, et quamvis non dicatur, puto, ni certa omnino sit exceptio, Ordinarii iudicium exquirere oportebit. Demum consequens praescriptum est in plurium ementium aemulationem, quod sequitur: *et res* alienanda, ut supra, *ei*, quin statim sit semper tradenda res, *concedatur* ex contractu. seu in licitatione adiudicetur, *qui, omnibus perpensis*, v. gr. qualitate pecuniae solvenda, tempore quo recipienda sit, securitate solutionis, loco ubi haec sita sit, etc., *plus*

[1] Ad Patriarcha Armen. 30 Iul. 1867. Collect. S. Congr. de P. F. n. 1310. — [2] 23 Nov. 1742.

obtulerit tanquam rei pretium, quod erit iustum ob emptorum affluentiam, etsi ultra maiorem aestimationis limitem « a probis peritis factae » (can. 1530, § 1, 1°).

In cit. Instructione S. Congr. de Prop. Fide cautum erat: « pretium ab emptore integre solvatur in actu stipulationis ». Id in canone fuit omissum, sed ait § *3. Pecunia ex* perfecta *alienatione* per mutuam rei ac pretii traditionem *percepta, caute,* v. gr. « si non sit in promptu (investimentum pecuniae secundum sequentes determinationes), deponatur (illud) pretium in aliqua capsa publica, vel apud aliquam personam spectatae probitatis et idoneitatis, recepta tamen cautione scripto exarata » (Instr. cit. n. 1), ac semper adhibitis cautionibus rite datis de pecuniae depositione, dum *tuto* propter mensae nummulariae, vel obligationum, etc. securitate prudenter praevisa, *et utiliter* idest: ut interesse percipiatur, vel quidquam *in commodum Ecclesiae* ad normam can. 1498, cuius sit propria, proveniat; sic, ut declaratum est, *collocetur* « pretium in honesto, tuto, ac licito investimento », ut dicitur in cit. Instructione. — Ex hoc §° recte eruitur posse pretium rei loco numeratae pecuniae tradi per obligationes cuiusquam societatis honestae, tutae ac licitae, aut per syngrapha debiti publici, dummodo haec et illa sint eiusdem realis valoris fere stabilis.

Animadversione dignum est, obligare hunc canonem religiosos (non secus ac praecedens), nam can. 534 sic incipit: « Firmo praescripto can. 1531 ».

448. **Licentia legitimi Superioris** statim definitur, omisso quolibet alio praescripto de iusta causa, num. 2° requisita in can. 1530, § 1. Quia vero « sine hac licentia alienatio invalida est » (can. 1530, § 1, 3°), attente perscrutandus est *can. 1532*, dum religiosos servare oportet simile praescriptum ad can. 534, § 1 commentatum.

Pro diversa pretii venditionis quantitate datur triplex norma in totidem paragraphis, dum quartus adiungitur de conditione sub poena nullitatis, quae servanda est in precibus ad obtinendam licentiam, et erit exemplum de « reticentia veri », constituente « subreptionem de stylo Curiae » (can. 42, § 1). Sic exorditur commentandus canon: § *1. Legitimus* idest: ad hoc ecclesiastica lege deputatus *Superior,* et quidem vi huius canonis pro rebus ecclesiasticis alienandis, quae ad religionis dominium non pertineant, *de quo in can. 1530, § 1, n. 3,* seu ad validitatem contractus, *est*

Sedes Apostolica (can. 7), nempe: « Sacra Congregatio Concilii » (can. 250), « Congregatio de Propaganda Fide » (can. 252, § 2), alterutra pro diversitate territorii, relicta huiusmodi competentia « Congregationi pro Ecclesia Orientali, pro Ecclesiis talis ritus » (can. 257, § 2), *si agatur* disiunctive:

1° De alienandis *rebus pretiosis*, idest: ad normam can. 1497, § 2, sicut « iam ante Codicem classici scriptores, v. g. Pirhing, in lib. III, tit. XIII, n. 32, negabant posse, sine beneplacito S. Sedis alienari « vasa aurea et argentea, gemmas et vestes pretiosas quae servando asservari possint, et mobilia, qualis grex, unde utilitas et fructus diuturnus percipi potest » [1]. Quod postremum est quoque verum saltem ob numerum sequentem; quamvis S. Congr. Concilii interrogata: « I. Utrum ad alienationem rerum utcumque pretiosarum, semper necessarium sit beneplacitum Apostolicum, an possit Ordinarius intra certos summae limites huiusmodi alienationem permittere;... respondendum censuit: Ad I. Ad Pontificiam Commissionem Codicis pro canonibus authentice interpretandis ».

2° De alienandis *rebus* ecclesiasticis (can. 1497, § 1) « temporalibus, sive quae corporalia sint, tum immobilibus tum mobilibus, sive incorporalia », etiam *quae* « pretiosa » (can. cit. § 2) dici nequeant, quando *valorem* alienationis *excedunt triginta millium libellarum seu francorum* vel pecuniae aequipollentis valoris, non habito respectu ad cambium independens ab extraordinariis circumstantiis. Propter istas enim aequipollentiam ex cambio fore ponderandam saltem in nummorum depretiatione, suadet aequitas interpretationis; v. gr. nunc in regionibus Europae centralibus.

Huc opportune memoranda est S. Congr^a. Concilii resolutio in causa supra citata: « I. An ordinaria votiva in ordine ad alienationem recensenda sint inter res pretiosas de quibus in can. 1532, § 1, n. 1. — II. Quinam valor dici possit notabilis in rebus pretiosis ita ut earum alienatio sit Ordinariis locorum vetita. — Atque Emi S. C. Concilii Patres,... reformatis dubiis in hanc formulam: An donaria votiva alienari possint absque beneplacito Apostolicae Sedis; respondendum censuerunt: Negative ». Rationes adductae ab eius Sacri Consessus Secretario ibidem videri possunt, praesertim quia, « ut hodie dici solet, non solum valor aestimationis, sed etiam

[1] Dioecesis N. Donariorum votivorum. 12 Iul. 1919. CO. XI, 417.

affectionis (recte intelligendus) attendendus est, et in fine adiicitur etiam positivum argumentum quod petitur ex stylo et observantia perpetua S. Congregationis » eiusdem.

[1] Porro « attentis deductis et resolutis in hac causa, Ordinarius Laudensis ab eadem S. Congr. reverenter postulavit infrascriptorum dubiorum solutionem... II. Utrum ad alienationem quorumcumque donariorum votivorum requiratur beneplacitum Apostolicum, an possit Ordinarius de eisdem disponere, intra certam summae quantitatem. — III. An ad alienationem donariorum votivorum requiratur beneplacitum Apostolicum, quando ipse oblator donarii in alienationem ultro consentiat. — IV. Utrum mera oblatio doni ad altare vel ad sacram iconem, praesumptionem voti secum ferat, an positive constare debeat donarium ex voto oblatum esse... Sacra Cong. Conc.... respondendum censuit:... Ad 2. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad alteram. — Ad 3. *Affirmative.* Ad 4. Donarium praesumi votivum nisi de contraria donatoris vel offerentis voluntate aliunde constet ».

Alium limitem pretii alienationis assignat § *2,* quod videtur substituere valorem 25 ducatorum aureorum de Camera dictorum, qui antiquitus fuit iure designatus in hac materia. Norma ergo est: *Si vero agatur de* alienandis proprie *rebus* declaratis sub n.° 2° praec.[s] §[i], *quae valorem* « aestimationis » *non excedunt mille libellarum seu francorum* cum declarata prius significatione, « legitimus Superior » est a) *loci Ordinarius* ad normam can. 198, § 2, ac proinde Vicarius Capitularis, Sede vacante, sicuti ex can. « Terrulas » in Dec.° Gratiani, b) *audito* (can. 105, 1°) *administrationis Consilio*, uti quid simile praescriptum fuit can. 1520, § 3, *nisi* quoad requisitum sub littera b) *res* alienanda *minimi momenti sit* ex prudenti iudicio, *et* semper c) *cum eorum consensu,* v. gr. personae moralis collegialis, *quorum interest* alienationis contractus. Huc memorari oportet quae S. Congr. EE. et RR. scripsit Vicario Capitulari Pontiscurvi super alienationibus Sede vacante [2]: « Ciò non deroga al Capitolo *Novit,* il quale vieta l'alienazione de' beni della Mensa sede vacante (nunc can. 436), e perciò non ha luogo la disposizione del can. *Terrulas* (nunc § 2) quando si tratti de' beni appartenenti alla Mensa Sede Vacante come neppure ha luogo ne'

[1] Lauden. Dubia. 14 Ian. 1922. CO. XIV, 161. — [2] 14 Iun. 1788. Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR. (Bizzarri), 1885.

beni delle Chiese inferiori e Beneficii che siano vacanti ». Quod ultimum viget, quia deest conditio necessaria sub littera c).

§ *3. Si denique*, utpote unica tertia hypothesis, *de rebus* ut supra « agatur » *quarum pretium* supra declaratum *continetur intra mille libellas* limitem positum in § 2°, sed hic tanquam inferiorem, *et triginta millia libellarum seu francorum*, quae statuuntur in §° 1°, atque hic eadem summa ut limes superior consideratur, tunc « legitimus Superior » *est* a) *loci Ordinarius* omnino ut in prec. §° fuit declaratus, sed *dummodo accesserit* ad actus validitatem (can. 105, 1°) triplex *consensus*, nempe: b) *tum Capituli cathedralis*, « cuius vices coetus consultorum dioecesanorum (in loco) supplet » (can. 427), c) *tum Consilii administrationis*, cuius solum consilium requirebatur in praec. §°, d) *tum eorum quorum interest*, prouti haec clausula in tali §° manet declarata. Commentarium de triplici consensu simul requisito confirmatur ex responso S. Conc. Concilii ad Dubium « V. An in Ordinarii facultate sit, quando Consilium administrationis et Capitulum cathedrale inter se dissentiant, supplere alterutrius consensum, tum in negotio alienationum tum in quovis aequipollenti contractu », quando nempe ille consensus requiritur ad normam seq. can. 1533. Atque « S. C. Conc. respondendum censuit... Ad 5. *Negative* ».

De concordantia cum iure veteri sufficiat referre praeter cap. 1 supra cit. et verba quoque citata cap^s. 8^i, quae in hoc illis sequuntur [1]: « Irrita enim episcoporum donatio, *venditio* et commutatio rei ecclesiasticae erit absque conniventia et subscriptione clericorum: per hoc enim noveris solutam secundo loco propositam quaestionem: cum concessiones ecclesiarum perpetuas, ad alienationes non sit dubium pertinere ». Atque in cap. 3 ait Alex. III: « Certum est, de rigore iuris concessionem illam non tenere, quam reclamante capitulo per praedecessorem tuum constat factam fuisse: Nisi eam ratam postmodum habuisset ».

« Ad tollendam quae de facili in praxi emergere posset ambiguitatem, mandatum est disceptari in S. Congregatione Concilii: I. An loci Ordinarius vi canonis 1532 sanare valeat peractas sine debita licentia alienationes bonorum ecclesiasticorum, quorum valor non excedat triginta millia libellarum; Et quatenus affirmative:

[1] Tit. X « de his quae fiunt a Praelatis sine consensu capituli », Lib. III. X.

II. An idem Ordinarius, quum sanationem impertitur, teneatur servare praescriptas normas canonis 1532, § 2 et 3. — Emmi Patres respondendum censuerunt: Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo ». Rationes adductae in folio videri possunt in Actis Aplcae. Sedis [1]. Porro, quia ratihabitio Capituli, vel Consilii administrationis, etc. non faciunt validam Ordinarii loci licentiam prius datam, sequitur ex his declarationibus fuisse per Codicem derogatam clausulam finalem cap. 3 cit.[1] Tit. X, Lib. III.

Quam dedimus interpretationem in duobus §§is praecedentibus, confirmant sic responsiones ad « Dubia soluta ab Emmo Praeside Commissionis [2]. 1° Utrum pretium, de quo in can. 1532, § 3, idem sit ac valor rei secundum aestimationem a probis peritis scripto factam ad normam canonis 1530, § 1, num. 1; an vero maius pretium per publicam licitationem, etc. oblatum ad normam canonis 1531, § 2. — 2° An requiratur Apostolicae Sedis beneplacitum ad alienationem peragendam, si, indicta licitatione, pro pretio a peritis legitime taxato infra libellarum triginta millia, offeratur tandem pretium hac summa superius. — Resp.: Ad 1um: Affirmative ad 1am partem; negative ad 2am. Ad 2um: Provisum in responsione ad 1um ».

Reg. 88 iuris in 6° edicit: « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem ». Ad vitandas ergo praecedentis canonis fraudes latus est § *4,* ac necessario propter can. 15, ne suffulti cane. 19 alienantes bona ecclesiastica legem praecedentem eluderent. Igitur *si agatur de alienanda re* supra declarata ac, dum est ecclesiastica, *divisibili* quoad huiusmodi contractum, si ob intentionem ab initio vel ob temporis lapsum non magnum prudenti iudicio, « alienari » contingat, *in petenda licentia aut consensu* supra dictis in canone hoc, sed tam in una quam in altero expostulando, (non quoad rei totalitatem, talis enim sufficeret pro successivis partium alienationis contractibus), sed *pro alienatione* partium secunda et ulteriori *exprimi debent* a petente ob canonis praeceptum, proinde « de stylo Curiae » (can. 42, § 1), *partes* illius « rei divisibilis » *antea* praevie his precibus *alienatae* quamvis cum debita licentia; si *secus* fiat, *licentia,* etsi obtenta cum debito consilio per § 2 vel consensu mul-

[1] 17 Maii 1919. CO. XI, 387. — [2] Pont. Commissio ad Cod. can.s auth. interpretandos. 24 Nov. 1920. CO. XII, 577.

tiplici per § 3 requisito, *irrita est*. Ergo solummodo propter hanc « veri reticentiam seu subreptionem ».

449. **Extensio sollemnitatum ad alios contractus** iure veteri « vigens retinetur » (can. 6). *Can. 1533. Sollemnitates*, nempe: aestimatio rei, iusta causa, licentia legitimi Superioris, requisito consilio vel consensu aliarum personarum, licitatio forsan praemittenda contractui, pecuniae collocatio, *ad normam can. 1530-1532*, quae, prout manet declaratum, sunt quoque servandae a religiosis vi can. 534, § 1, *requiruntur* eodem modo ibi explicato, *non solum in alienatione proprie dicta*, iuxta interpretationem canonum praecedentium, quia « leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem » (can. 18), *sed etiam* vi huius canonis et ab eisdem personis supra dictis pro diversitate canonum, *in quolibet contractu*, gratuito vel oneroso, quatenus altera pars onus quoque suscipit in se aut nullam obligationem contrahit, sed *quo* vel per quem contractum *conditio* temporalis *Ecclesiae* alienantis ad normam can 1498 *peior fieri possit* ex illius natura. Hoc canone firmantur « receptae apud probatos auctores interpretationes » (can. 6, 2°) circa ius vetus de sollemnitatibus alienationum.

Ut exempla horum contractuum habeantur, quae sequuntur ex diversis iuris textibus. Sit primo cap. 2 « de solutionibus » (III, 23) X: « Firmiter inhibemus, ne quis praesumat ecclesiam sibi commissam *pro alienis gravare debitis:* aut *litteras alicui seu sigilla concedere*, quibus possent ecclesiae *obligari:* decernentes si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum ecclesias non teneri ». Item in cap. 2 « de donationibus » (III, 24) X est scriptum: « Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum episcopus et quilibet praelatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, non dominus: conditionem ecclesiae meliorare potest, facere vero deteriorem non debet. Accepimus autem, quod praedecessor tuus *graves donationes* in rebus episcopatus fecit *in detrimentum ecclesiae*, suis canonicis inconsultis. Unde quoniam donationes huiusmodi de iure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat donationes huiusmodi, tam a clericis, quam a laicis legitime revocare ».

Luculentius habetur in cap. 5 « de rebus ecclesiae alienandis vel non » (III, 13) X: « Nulli licet alienare rem immobilem ecclesiae suae, sive agrum, sive rusticum mancipium neque specialis

hypothecae titulo obligare. Alienationis autem verbum continet condonationem, donationem, venditionem, permutationem, et emphyteusis perpetuum contractum. Unde omnes sacerdotes ab huiusmodi alienatione abstineant: poenas timentes, quas Leonina constitutio comminatur ».

« Interpretationes vero apud auctores probatos receptas » sic expressit claris. Wernz S. I. [1]: « Hinc actus alienationis sunt donatio, venditio, permutatio, solutio (ut supra in cit.° cap.), cessio iuris v. gr. crediti vel litis vel actionis iam quaesitae. Nam illis actibus vere transfertur ius in re. Porro alienationi adnumerantur alii actus, qui alienationem praeparare et inchoare censentur velut pignus, hypotheca specialis, aut transferunt dominium saltem utile v. gr. infeudatio, emphyteusis, locatio diuturna i. e. ultra triennium frugiferum, aut generatim in perpetuum vel ad longius tempus bona ecclesiastica gravibus oneribus subiiciunt v. g. per concessionem servitutis vel iuris advocaticii.

At repudiatio lucri etiam sine causa ab administratore ecclesiastico facta, quamvis aliunde illicita sit, tamen vera et propria alienatio dici nequit ». Non est enim contractus. « Item alienatio non est pecuniam mutuo accipere, si hypotheca speciali bona ecclesiastica non graventur, neque pecuniam fundorum ecclesiasticorum mutuo dare in forma alias legitima et secura ». Hinc, quando sequentes canones huius Tituli XXIX praedictos contractus moderantur, meminisse oportet canonem hunc 1533, ut notentur modificationes inductae, si quae sint, vel superadditae.

450. **Actio personalis ac realis consequens** ex alienatione adversus praecedens aliquod praescriptum declaratur in seq. *can. 1534. § 1. Ecclesiae* iuxta significationem iuridicam ex can. 1498, cuius bona fuerunt alienata cum canonum transgressione, *competit* vi huius canonis in foro ecclesiastico, *actio,* seu ius ad petendam in iudicio rei male alienatae restitutionem, vel quod interest illius causa, *personalis,* etsi haec persona, ut supponitur, rem illam non detineat, *contra eum,* administratorem vel alium, non refert, *qui* (et eo quod) *sine debitis sollemnitatibus* ad normam can. 1530-1532, et can. 534 pro religiosis *bona* illius *ecclesiastica* (can. 1497, § 1) *alienaverit* proprie, idest: transferendo in aliam personam

[1] Ius Decretalium. Tom. III. Titulus V. § 3. I.

eorum dominium directum, vel contra canonem 1533, ipsorum [1] « dominium utile aut ususfructuum transtulerit, aut aliis iuribus in illa concessis periculo amissionis exposuerit aut ad longius tempus directae Ecclesiae possessioni subtraxerit, aut generatim peioris conditionis fecerit quolibet contractu ». Addit canon *et* « actio » praedicta extenditur *contra eius heredes* ad resarciendum damnum illud; *realis vero* « actio », nempe ius supra dictum ad recuperandam rem alienatam, *si alienatio nulla fuerit* quolibet ex motivo in utroque foro, civili et ecclesiastico, vel ob canonis irritantis transgressionem in foro saltem ecclesiastico, *contra quemlibet* bona vel mala fide *possessorem* illius rei, *salvo iure* petendi restitutionem pretii ex parte primi *emptoris contra male* idest: irrite *alienantem*, ut supra.

Hae duae actiones iam in Decretalium iure agnoscuntur. Sic enim legitur in cap. 12 « de rebus ecclesiae alienandis vel non » (III. 13) X: « Volentes igitur super his indemnitatibus consulere ecclesiarum, ac tantis gravaminibus providere, constitutiones et venditiones huiusmodi feudorum, seu aliorum bonorum ecclesiasticorum, sine legitimo personarum ecclesiasticarum assensu praesumptas, occasione constitutionis laicae potestatis: (cum non constitutio, sed destitutio, vel destructio dici possit, necnon usurpatio iurisdictionum) sacri approbatione concilii decernimus non tenere, praesumptoribus per censuram ecclesiasticam compellendis ». — Et quoad realem actionem en cap. 3 « de pignoribus » (III, 21) X in quo ait Alex. III: « Unde quoniam indignum est, ut eidem ecclesiae res suae, praesertim quae sacris ministeriis deputatae sunt, taliter debeant deperire: Mandamus, quatenus si verum est quod asseritur (de pignoris obligatione), filium eius, qui ex successione ipsius patrimonii ius dicitur obtinere, moneas et compellas, ut ea recolligat, et restituat ecclesiae memoratae ».

Quinam actionem illam exercere possint declarat § *2. Contra invalidam* secundum ius civile (can. 1529) vel canonicum ob praec.[a] canones *rerum ecclesiasticarum* unamquamque *alienationem agere possunt* in alterutro respective foro, semper autem in isto, a) *qui rem alienavit*, ad hoc enim ex iustitiae virtute obligatur; sicuti ratione iurisdictionis vel potestatis dominativae debet prudenter, po-

[1] Wernz, loc. cit.

test autem b) *eius* alienantis *Superior,* c) *utriusque successor in officio* et propter hoc erit quoque obligatus, *tandem* solum potest, nisi ex charitate obligetur d) *quilibet clericus* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *illi* singulari *ecclesiae*, ut plurimum ad normam can. 1161, 1191, § 1, *adscriptus,* prout hoc supponitur faciendum consequenter praescripto can.[s] 111, § 1, *quae* determinata « ecclesia » *damnum* ex praedicta alienatione *passa sit,* tunc enim solummodo « clerico », quia eius interest, actio conceditur. Sic enim ait Symmachus Papa [1]: « Si quis presbyterorum, diaconorum, seu defensorí, alienanti praedium ecclesiae subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: nisi forte et alienator, et qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint. — Sed etiam licet quibuscumque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, et ut cum fructibus possint alienata reposcere: et ecclesiastica auctoritate fulciri ».

451. **De donationibus,** quae est rubrica tituli XXIV in Lib. III Decretalium, si res sint ecclesiasticae, praescripta continet *can. 1535* intelligendus quoque circa ipsos religiosos. *Praelati* nempe: « clerici sive saeculares sive religiosi (« in religione autem clericali exempta » (can. 501) quia est additum) qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent », *et rectores,* pariter cleri saecularis aut religiosi, quia verbum proprio sed lato sensu accipiendum est, *de bonis mobilibus* tantum, eo quod immobilium similis contractus cadit sub can. 1533, *suarum*, ratione regiminis ad minus qua administratoris, *ecclesiarum* iuxta sensum declaratum in can. 1498, *donationes,* sive voluntate secundum cap. 1 cit. tit.: « Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere se quod sponte tribuit, existimet », sive facto, et proprie seu per contractum gratuitum, *praeterquam,* haec est exceptio permissa, a) *parvas et modicas* congruenter tum can.[s] 1532, § 2°, nam aliae per hunc canonem sunt moderatae, tum cap.[1] 8: « de testamentis » (III, 26) X: ubi Alex. III ait: « Ad haec praesentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quae per ecclesiam sunt adepti, de iure testari non possunt: Viventes tamen et sui compotes, moderate valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti sed eleemosynae intuitu erogare, in aegritudine constituti », sed has moderatas b) *se-*

[1] Cap. 6, tit. XIII. Lib. III, X.

cundum legitimam iuxta ss. canones *loci,* ubi fit donatio, *consuetudinem,* uti habetur in cap. 3 huius tit. Decretalium: « Caeterum si Abbatem donationem cum Priore et quibusdam de conventu vel solum Abbatem facere contigerit, et postea conventus pars reclamaverit: Datae rei quantitas, et illius terrae consuetudo (quae tamen sacris canonibus non obviet) est diligentius attendenda: et secundum hoc est donum ratum vel irritum iudicandum ». — Hucusque de concessa donatione per exceptionem: alias vero « praelati et rectores » ut supra *facere ne praesumant,* essent enim, quamvis factae cum debita licentia vel consensu ad normam can. 1532, contrariae can. 1530, § 1, 2° *nisi iusta* (idest: sine damno ecclesiae gravi) interveniente *causa* a) *remunerationis* ex gratitudine ob recepta beneficia, b) *aut pietatis* erga Deum vel erga Superiorem cui subiicitur ecclesia, vel ob patriae necessitatem, c) *aut christianae caritatis* versus aliam personam moralem aut physicam, familiam, etc. ad earum sublevandam necessitatem.

Porro regula in omnibus donationibus prae oculis habenda edocetur ab Innoc. III in cap. 9 cit. tit.[1]: « Hoc semper est observandum, quod unus episcopus vel alius non solum non debet amplius, sed nec tantum nec minus cum gravi ecclesiae suae detrimento conferre: sive simul et semel id facere velit, sive pluries successive, eisdem vel diversis ecclesiis conferendo: unde cum grave detrimentum sive de possessionibus, sive de proventibus ad episcopalem mensam, vel cathedralem ecclesiam pertinentibus in quantalibet portione constiterit esse collocatum, poterit legitime revocari: nisi praescriptione, vel alia exceptione legitima, actio huiusmodi excludatur ». Et infra dicitur: « quia non solum si saepe, sed etiam si semel id fiat ex variis circumstantiis deprehendi potest interdum valde damnosum: quod quidem magis potest ex ostensione facti, quam expressione alicuius statuti cognosci... Si vero in tantum abundet episcopus, ut sine damno ecclesiae suae, possit amplius etiam quam per quinquagesimam vel centesimam partem necessitati alterius ecclesiae subvenire, quamvis per se non debeat summam excedere a canone praefinitam, per quam incaute largiri volentibus est occursum: de superioris tamen auctoritate (pontificis) potest etiam in maiori summa inopiae alterius provideri ». Cui capiti congruit canon, quem commentamur, dum sic explicit: *secus,* idest *donatio* non « parva et modica » contra vetitum canonis prae-

sumpta *a successoribus* « praelati et rectoris » donantis, etsi cum debita licentia, *revocari poterit* propter causae unius ex dictis defectum, quamvis talis revocatio non sit obligatoria, quia non iubetur, nec facit donationem nullam. Aequitas vero praescripti patet ex reg. iuris 76 in 6°: « Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare ».

452. **De receptis donationibus** agit *can. 1536*, quia usque nunc dispositum est de faciendis bonorum ecclesiasticorum donationibus. Teste Leone PP. XIII fel. rec. in const. « Romanos Pontifices » [1]: « receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi. At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus applicante » [2].

Huic doctrinae nititur § *1. Nisi contrarium* sequenti « praesumptioni iuris simpliciter » (can. 1826) *probetur* « directe vel indirecte », videlicet: ob expressam donantis voluntatem, propter motivum colligendarum eleemosynarum, aliasve circumstantias actus donandi, vel ex applicatione cap. 15 « de testamentis » (III, 26) X, *praesumendum ea quae donantur* bona, pecuniam, etc. *rectoribus ecclesiarum* ad normam can. 1498 et quarumlibet, etsi paroecialium, iuxta cit. textum, vel capitularium, etc. non solum intellectis ad normam can. 479, § 1, immo *etiam religiosorum* quorumcumque, ac proinde quae ipsorum sint propriae, *esse ecclesiae* ut supra declaratae *donata*, idest sic « bona ecclesiastica » fieri (can. 1497, § 1).

Cum eius, cui fit donatio, sit proprium illam acceptare ut compleatur contractus, vel respuere, iuxta regulam iuris Romanorum « Invito beneficium non datur » [3], sequitur de hac re § *2*. Enimvero « quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data,

[1] 8 Maii 1881. — [2] Reiffenstuel. Lib. 3 Decretal. tit. 30, n. 193. Van Espen, ius eccles. univ. part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21. — [3] l. LXIX, tit. XVII. Lib. L, D.

piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit, administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris. Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cuius res gesta fuit, ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela ». Ita in cit. const. Leonis XIII. Ex quibus rationibus liquet praescripti aequitas: *Donatio facta ecclesiae*, ut in can. praec.[1] expresse, tacite, aut ex praesumptione, *ab eius rectore* sensu lato, ut supra, *seu Superiore*, ita dicto propter subditos inter quos sit rector forsan religiosus, *repudiari nequit*, sic ut actus donationis effectu careat, *sine licentia* illius *Ordinarii* ad normam can. 198, § 1, cui subdatur ecclesia supra declarata.

§ *3*. *Repudiata*, seu non acceptata, *illegitime* idest: contra praecedentem §m *donatione*, proindeque « facta ecclesiae », *ob damna* saltem privationis illius boni, seu alia quoque, si *quae inde* seu illa de causa *obvenerint, actio* sequens alterutra *datur*, seu eâdem ad can. 1534, § 1 definita munitur ius a) *restitutionis in integrum*, quod « minorum iure fruentibus » competit vi can. 1687, § 1, (nam « personae morales, uti ecclesia, sive collegiales sive non collegiales minoribus aequiparantur »), *vel* b) « actio » *indemnitatis*, idest ius petendi in iudicio ab illegitime repudiante donationem, ut « damna » reparet supra dicta.

§ *4*. De natura donationis est, ut propter ingratitudinem donatarii revocetur. Opportune igitur praescribit canon respiciens naturam personae moralis: *Donatio* a) *ecclesiae* ad normam can. 1498 *facta* consensu vel etiam effectu, *et* b) *ab eadem* respective per suum rectorem vel Superiorem aut administratorem *legitime* seu secundum leges civiles *acceptata, propter ingratum Praelati*, cui eadem « ecclesia » subiiciatur, *vel rectoris* a quo illa persona administretur, *animum* etsi verbis factisve expressum, *revocari nequit*. Habet enim hoc in casu locus regulae iuris 76 in 6°: « Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare ».

453. **De commodato,** qualis est rubrica tit. XV, Lib. III Decretalium, X, ponitur in hoc Codicis capite unicus *can. 1537*. Etenim memor legislator regulae iuris 51 in 6°: « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum », applicat huic

contractui praescriptum can.[s] 1150 sequenti modo. *Res sacrae*, videlicet: « consecratae vel benedictae constitutiva benedictione », ut ibi declaratum fuit, *ne commodentur,* sive laicis, sive clericis, sive personae morali *ad usum* cognitum praevie, proindeque revocari posset commodatum ob implicitam hinc conditionem, si adhiberentur « ad usum » *qui earundem naturae,* quatenus haec destinationem secumfert peculiarem, v. gr. vestis sacrae ad scenicam repraesentationem, vel quatenus « ob usum profanum », v. gr. calicis ad bibendum in regio convivio, *repugnet.*

De caetero hic contractus regitur praescripto can. 1529, quoad circumstantias « iure civili in territorio » forsan statutas; et si propter rei commodatae valorem vel circumstantias, v. gr. longioris temporis, « conditio Ecclesiae (commodantis) peior fieri possit », serventur sollemnitates, quae ob canonem 1533 « requiruntur ».

Viget quoque ob contractus naturam caput un. huius tituli supra citati: « Cum gratia sui tantum qui commodatum accepit, de levissima etiam culpa teneatur: Licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. — Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post expletum, cuius gratia res fuerat commodata: Cum non decipi beneficio nos oporteat, sed iuvari ».

454. **De pignoribus et aliis cautionibus,** prout fert rubrica tit. XXI, Lib. III Decretalium X, specialia iubet *can. 1538* desumptus ex Instr. S. C. de Prop. F. ad Patriarch. Armen. n. 4. *Si ecclesiae bona*, mobilia immobiliaque, *legitima* « idest: urgente necessitate, vel evidenti utilitate Ecclesiae, vel pietate » (can. 1530, § 1, 2°) *interveniente causa,* seu ampliata respectu Instr.[is] cit. « si constet de vera et gravi Ecclesiae necessitate », a) *oppignoranda*, quae nempe traduntur in solutionis debiti securitatem, b) *vel hypothecae nomine* per hunc contractum in illum finem *obliganda sint,* ita ut possint in alienum dominium sub conditione non impleta venire, unde incepta ex iure esset alienatio, c) *vel agatur* solummodo *de aere alieno* idest: mutuo passivo *contrahendo* simpliciter vel cum obligatione aliquid ultra sortem periodico tempore solvendi, *legitimus Superior* cleri saecularis, subditur enim: *qui ad normam can.[s] 1532, licentiam dare debet*, non ita hoc intelligendum quod sit obligatus, nisi ratione causae, sed quia ut designatus a canone ad illam dandam est competens, a) *exigat* a postulantibus

ipsam *ut antea,* seu praevie ad licentiam et requirendos consensus iuxta cit. canonem, ne vane requirantur, *omnes, quorum interest* iuxta obligationem ex praedictis contractibus sequuturam, *audiantur* ad informationem, quamvis haec auditio non pertineat « ad valide agendum » ex parte Superioris secundum can.[s] 105 contextum, *et* b) *curet* efficaciter sed modo sibi beneviso, *ut cum primum fieri poterit* ob ecclesiae circumstantias, *aes alienum* in quolibet ex tribus contractibus subauditum *solvatur,* idest: obligatio ex dictis contractibus finem habeat.

§ *2* refert quoque citatam Instructionem, dicens: *Hac de causa,* nempe: « ut debitum illud quamprimum ecclesia ipsa dimittat », *annuae ratae* circa determinatos eiusdem redditus erunt assignandae, idest: *ab eodem Ordinario*, qui in §° 1° dictus est « legitimus Superior », *praefiniantur* circa earum quantitatem, *quae exstinguendo debito* ultra eius interesse *sint destinatae.* Hae proinde, ut prudenter statuit Instructio praedicta, « singulis vicibus (uti norma directiva) erunt deponendae in capsa publica, vel penes honestam atque idoneam personam, ut suo tempore investiri possint ».

Quaeres: an huius canonis praescriptum vigeat « pro debitis contrahendis » per religiones? Resp. negative in rigore iuris, quia ex citato can. 1532 eruitur propter huius interpretationem agi de Praelato cleri saecularis, et praeter hoc can. 534 statuens « de contrahendis debitis et obligationibus » per religiosos nihil simile habet. Attamen norma huius canonis 1538 ut directiva Superioribus religiosis consulenda erit.

455. **De venditione ac permutatione** duo sunt Collectionis Gregorianae Tituli, scilicet: XVII « de emptione et venditione » atque XIX « de rerum permutatione ». Ille contractus est alienatio proprie dicta, quam dirigunt can. 1530-1532. Permutatio vero non subiicitur eis, nisi casu quo « conditio Ecclesiae peior fieri possit » ad normam can. 1533. De utroque simul contractu viget specialiter *can. 1539.* — § *1 In venditione*, seu contractu, quo « res datur propter illius valorem in pecunia receptum »; *aut permutatione* idest: contractu, quo « res datur propter aliam rem eiusdem valoris receptam » vel supplendo valoris differentiam pecuniâ, sive illi contractus fiant inter personas morales in Ecclesia, aut inter personas physicas, sive res per tales contractus desinat aut e contra incipiat esse bonum ecclesiasticum, quia generalis est prohibitio et funda-

mentum habet in qualitate *rerum sacrarum*, « quae nempe consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt » (can. 1497, § 2), *nulla ratio consecrationis vel benedictionis*, qua elucent res, *in pretii aestimatione* ad illud adaugendum habeatur. Secus « res spiritualis esset obiectum, etsi partiale, contractus », quod « est simonia iuris divini » (can. 727, § 1).

Cum pecunia hodiernis temporibus non solum nummis sed etiam chartaceis valoribus numeratur, immo titulis publice recognitis repraesentatur, venditioni non est dissimilis horum permutatio, de qua statutum tradit § *2. Administratores* bonorum ecclesiasticorum *possunt* licite « ecclesiae » ad normam can. 1498 *titulos ad latorem quos* sic *vocant*, quia exhibens eos recipit absque difficultate reditus forsan semestrales eorum, atque uti dominus vel legitimus ipsius mandatarius reputatur, *commutare in alios titulos* (nulla posita determinatione, an sint quoque ad latorem, vel intestatis, Debiti publici vel obligationes alicuius societatis) dummodo a) *magis aut saltem aeque tutos* contra pericula magnae depretiationis eorum iuxta peritos de his valoribus, *ac frugiferos* quoad percipiendos inde redditus, b) *exclusa qualibet*, sive in hac permutatione, sive quoad partem habendam in societatibus, cuius sunt forsitan actiones, *commercii vel negotiationis*, quae in illa permutatione vocatur giuoco di borsa, in societatibus vero, quae sint vere commerciales, *specie*, unde vitanda est quoque illius verisimilitudo probabilis, c) *ac de consensu* a) *Ordinarii* loci, si persona moralis eidem circa administrationem subiecta sit, vel saltem « pro pecuniae collocatione » ad normam can. 533, b) *dioecesani Consilii administrationis*, hinc adnumerandus « casibus specialiter expressis », quos innuit can.• 1520, § 3, c) *aliorumque quorum intersit* profectus vel damnum ex tali permutatione fortassis obventurum.

Recta interpretatio huius §[i] exigit ut intelligatur stricte de commutatione in alios titulos cum evidentia saltem aeque tutos ac frugiferos, et dummodo titulorum ecclesiae valor realis per contractum permutandorum non excedat summam mille libellarum seu francorum, secus enim vel si fiat permutatio in titulos minus frugiferos, vel pro pecuniae pretio tituli alienentur erit contractus proprie alienationis, vel « quo conditio Ecclesiae peior fieri possit » (can. 1533). Tunc ergo memoranda est ad praxim Codici accomo-

dam declaratio S. C. C. Romana et aliarum [1]. « I. An pro alienationibus publicarum versurarum, ad ecclesiastica entia vel ad pias causas tutelae Ecclesiae subiectas spectantium, Apostolicum beneplacitum requiratur prouti pro alienationibus bonorum immobilium ac rerum pretiosarum; II. an eadem facultas requiratur pro earundem permutationem in alias publicas versuras aut valores etiam immobiles; III. An venditores et acquirentes obnoxii sint ecclesiasticis poenis a Conc. Trid. statutis cap. 11, sess. XXII de Reform. ab Extrav. « Ambitiosae » et a Const. « Apostolicae Sedis ». — E.mi Patres... respondendum censuerunt: Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Ad III. Affirmative quoad poenas in Extravaganti « Ambitiosae » et Const. « Apostolicae Sedis » statutas ».

Quaeres nunc an religiosi teneantur etiam servare semper §i 2i praescriptum? — Ex dictis facile deducitur sequens responsum. Negative, eo quod ex contextu §i liquet requiri « consensum Ordinarii », cuius administrationi non subduntur bona ecclesiastica religiosorum, praeter casus exceptos in can. 533 supra citato, atque ex altera parte Superiores religionum laicalium vel clericalium non exemptarum sub appellatione Ordinarii minime veniunt. — Verumtamen, limitationes illius §i, quas supra exposuimus, religiosis quoque sunt impositae ratione aliorum canonum, quos iidem servare debent, ac propter quos illae vigent.

456. **De locato et conducto,** tit. XVIII, Lib. III Decretalium rubrica, incipit agere *can. 1540* extendens suum praescriptum ad venditionem, quam paulo ante Codex moderatus est. Prohibitio nova, quamvis prudens, sequens est. *Bona ecclesiae* ad normam can. 1498, sed *immobilia* in can. 1497, § 1 declarata, hinc mobilia etiam pretiosa sunt ab hac prohibitione exclusa, quia « leges, quae liberum iurium exercitium coarctant, strictae subsunt interpretationi » (can. 19), non extante canone, qui sub immobilium nomine intelligi dicat mobilia praefata, a) *propriis* « ecclesiae » illius *administratoribus*, qua eorum peculium habentibus, sive clericis,

[1] 17 Febr. 1906. Acta S. Sedis XXXIX, 159.

sive laicis, b) *eorumque,* ut declarati sunt *coniunctis in primo aut secundo* tum aequali tum inaequali in linea obliqua vel in recta *consanguinitatis* declaratae ad can. 96 *vel affinitatis* explicatae ad can. 97 *gradu* ad loca citata manifestato *non sunt,* etiamsi alii canones serventur, a) *vendenda,* aliter sentiendum de emptione ab illis personis per quam « bona ecclesiae » ipsius fiant, b) *aut locanda* v. gr. domus ad inhabitandum, vel ad officinam ibi habendam, *sine speciali* ad unum vel alterum contractum in singulis casibus *Ordinarii loci licentia,* qua concessa etsi tacite plene licet iuxta canonem. Ex postremis verbis rite infertur canonis praescriptum ad religiosorum bona illa non esse extendendum.

457. **Sollemnitates** in locationis contractu quocumque servandas enumerat *can. 1541.* Instructio cit. Sacrae C. de P. F. ad Patriarch. Armen. haec habet : « 6. Denique in locationibus bonorum ecclesiasticorum cavendum est, ut locationes praedictae fiant iusto pretio, atque ut annua responsionis solutio non fiat anticipate in praeiudicium successorum. Non licebit autem ecclesiastica bona locare ultra triennium; poterit autem R. P. D. Patriarcha, si specialem ab Apostolica Sede super alienatione bonorum ecclesiasticorum facultatem obtinuerit, permittere ut locationes praedictae fiant etiam ultra praedictum tempus, dummodo non excedat novennium ». Hanc normam videtur habuisse prae oculis legislator, quando canonem nunc commentandum confecit.

Can. 1541. § 1. Contractus singuli *locationis* idest : « quibus conceditur usus vel ususfructus propriae rei aliis in se suscipientibus obligationem solvendi pretium annuum in determinatis diebus », dummodo sint « contractus » *alicuius fundi ecclesiastici,* sive in eo constructa sit domus ad inhabitandum aliosve usus, sive sit ager colendus, vel simplex fundus in alios usus destinandus, *ne fiant, nisi ad normam can. 1531,* § *2,* in cuius adimplementum forsan sufficient media in territorio usitata ad similes contractus ineundos ; *et in iis* contractibus *addantur semper* ob canonis praeceptum *conditiones* illorum a) *de limitibus custodiendis*, ne conductor invadat partes ei non concessas, vel derelinquat agri partes omnino, aut permittat aliis subripere quoad usum, b) *de bona cultione,* sive ager sit, sive quoad aedificii ordinariam conservationem, c) *de rite* idest : statutis temporibus *solvendo canone*, idest : pretio locationis,

d) *de opportuna cautela* v. gr. pignore, fideiussione, etc. *pro conditionibus* praefatis aliisque contractus *implendis.*

§ *2. Pro locatione* supra declarata *bonorum ecclesiasticorum,* secundum naturam eorum, atque ex citatione quorumdam solummodo §§[m] circa « sollemnitates » in can. 1533 extensas ad quemlibet contractum, sicut est iste, « quo conditio Ecclesiae peior fieri possit », sequitur earum aliquam existere semper, v. gr. « iustam causam », vel non requiri v. gr. « aestimationem rei a probis peritis scripto factam » (can. 1530, § 1, 2°, 1°), saltem non semper v. gr. pecuniae perceptae collocationem, requisitas vero hic fuisse expressas. Hinc subditur de legitimi Superioris licentia: *servato praescripto can. 1479* « de locatione bonorum beneficialium », ubi « anticipatae solutiones ultra semestre prohibentur » fieri aliter, quam canon praescribit:

1° Si valor annualis *locationis* uniuscuiusque secundum contractum, idest: « annuae responsionis solutio », ut loquitur Instructio, et contextus requirit, nam si interpretaretur de totali valore solvendo, sequeretur absurdum. Praescribit enim canon: si ille *excedat triginta millia libellarum seu francorum*, prouti eadem summa fuit declarata in can. 1532, § 2, *et* a) *locatio sit ultra novennium* computandum a die initi contractus vel a die quo incipit vigere secundum illius tenorem, *requiritur beneplacitum apostolicum* a S. Congregatione Concilii expetendum; b) *si locatio non sit ultra novennium,* etiamsi iuxta datam interpretationem annualis « valor locationis » excedat praefatam summam, *servari debet praescriptum can. 1532, § 3* ibi declaratum, « si agatur nempe de alienandis rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum ».

2° Si valor supra initio n.[i] 1[i] declaratus *contineatur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum et* insuper a) *locatio sit ultra novennium,* computandum sicut in n.° 1° fuit dictum, aequiparatur alienationi boni praedicti valoris, seu *servari debet praescriptum eiusdem can. 1532, § 3* iam explicatum; b) *si locatio non sit ultra novennium*, supple « servari debet » *praescriptum eiusdem can. 1532, § 2* ibi expositum « de alienandis rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum ».

3° Si valor ut supra in n.° 1° *non excedat*, etiamsi aequet *mille libellas seu francos et* a) *locatio sit ultra novennium* idest:

tantum duret vis contractus, *servari debet idem praescriptum can. 1532*, § *2* circa alienationem boni praefati valoris; b) *si locatio non sit ultra novennium*, etsi tantum perdurare debeat, *fieri potest* contractus *a legitimis administratoribus,* veluti actus ordinariae administrationis, sed praevie *monito Ordinario*.

Quaeres an hic canon obliget quoque religiosos, qui praedia vel domus aliis locant? — Resp. affirmative quoad §ᵐ 1ᵐ: nulla enim est ratio distinguendi generale praescriptum. Quoad 2ᵐ §ᵐ videretur negative respondendum esse, quia can. 1532, ut ibi dictum fuit, non urget religiosos; verumtamen, quia de alienatione hic agitur ad sensum can. 1533, et circa ipsam pro religiosis viget can. 534 de licentia legitimi Superioris obtinenda, sic respondeatur oportet in casu necessarii beneplaciti apostolici sub n.° 1° canonis 1541, istud etiam a religiosis expetatur, pro aliis vero casibus « requiritur et sufficit licentia » ut in can. 534, nisi agatur de fundis alienandis, quorum administratio Ordinario loci subiecta sit.

458. **De emphyteusi,** « quae est species quaedam locationis et conductionis, et intelligitur contractus consensualis, quo res immobilis cum translatione dominii utilis in perpetuum vel ad longius tempus alteri colenda et fruenda conceditur sub onere pensionis realis domino directo certis temporibus solvendae pro fructibus et in recognitionem dominii directi » [1]. Secundum hanc definitionem emphyteusis est vera illius dominii alienatio, ac propterea religiosi quoque praescriptum servare debent, eo magis quod generaliter loquitur *can. 1542.* § *1. In emphyteusi* quacumque *bonorum ecclesiasticorum* (can. 1497, § 1) equidem « immobilium », sive ad vitam emphyteutae concessa, vel dum extent personae ad eius familiam pertinentes, vel in perpetuum, ita ut ad heredes quoque transeat, *emphyteuta,* sive qui contractum init cum dominii utilis acquisitione, sive qui ab eo causam habet, *nequit canonem* id est: summam pecuniae singulis certis temporibus solvendam *redimere*, ita ut semel pro semper eamdem solvat, a) *sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici* ad alienationem pro quantitate pretii solvendi, dicitur enim *de quo in can. 1532*, vel quoad bona religiosorum aequipollenter « de quo in can. 534 ad normam constitutionum » forsan statuentium peculiariter de illius can. redemptione,

[1] Wernz. Ius Decretalium. Tom. III. Tit. IX, § 8, II. De emphyteusi.

alias earumdem quae vigent pro alienatione, *quod si* « emphyteuta » *redemerit* cum alterutra declarata licentia « canonem », b) *eam saltem pecuniae vim*, sive nummis, sive syngraphis, sive obligationibus mensae nummulariae legitimae, etc., *ecclesiae* (can. 1498), cuius est bonum in emphyteusi concessum, *dare debet*, servatis normis can. 1529, 1536, *quae canoni respondeat* quoad redditus inde percipiendos, nam uti « pecunia ex vera alienatione percepta... in commodum Ecclesiae collocetur » (can. 1531, § 3).

§ 2. In contractu ineundo vel prosequendo: *Ab emphyteuta*, uti supra declarato, *congrua exigatur cautio* pignoris, hypothecae, fideiussionis, etc. a) *pro solutione* successiva *canonis* in contractu stipulati, b) *et conditionibus* huius *implendis* pleno cum effectu; *in ipso instrumento* in scriptis propterea conficiendo *pacti*, velut pacem statuentis inter partes, seu contractus *emphyteutici* definiti sub initio commentarii canonis, a) *forum ecclesiasticum* id est: iudicialis potestas ecclesiastica vel secundum canones *arbiter* ad normam can. 1929 *statuatur ad dirimendas* vel decidendas « ad normam iuris » canonici *controversias*, sive quoad contractus interpretationem, sive aliis ex motivis *inter partes*, contractu nempe ligatas, *forte exorituras* ex mutationibus temporum ac personarum earum, b) *et expresse* « in ipso instrumento » *declaretur*, ne alioquin dubitetur *meliorationes* ab emphyteuta factas *solo cedere*, indeque domino directo seu ecclesiae.

Confirmatur ac perficitur canonis praec.[s] declaratio verbis Instr.[s] saepius citatae S. C. de P. F. ad Patriarch. Armen. n. « 3. In contractibus emphyteuticis ineundis praemittatur aestimatio peritorum (vi can. 1530, § 1, n° 1°); audiantur omnes interesse habentes, (sicut iubent nunc can. 1532, §§ 2 ac 3, nec Sedes Apostolica dat aliter licentiam, atque can. 534); constet de evidenti Ecclesiae utilitate (ut vult can. 1530 § 1 n° 2°); canon ab emphyteuta persolvendus non sit minor quam qui a peritis statutus fuerit, (quemadmodum aliis verbis iussit can. 1531, § 1); stipulatio scripto consignetur, (quod implicite cautum est in praec.[s] can.[is] § 2), cui descriptio fundi ac topographica eiusdem tabula adiiciatur, praestet emphyteuta hypothecariam inscriptionem super alio idoneo suo fundo, aut saltem, hoc deficiente, cautionem idonearum personarum pro securitate canonum trium annorum, (nunc ex analogia can. 1541 novem annorum, quod sicut tota haec determinatio recte in praxi

observabitur); atque in ipsa stipulatione obligationem emittat pro se suisque successoribus valituram, nunquam utendi qualibet praesenti vel futura lege seu privilegio affrancationis canonis, (quod nunc optime ad tutam § 1 observantiam adiicitur, in territoriis ubi leges civiles non obstant huic clausulae), et melioramenta omnia solo cedendi », sicut iisdem verbis canon declaratus explicit.

459. **De praestatione rei fungibilis et de lucro,** quae tam frequenter eveniunt in hodiernis moribus, non potuit Codex tacere, atque postremum huius Capitis locum eisdem assignavit propter similitudinem, quam induunt, locationis, cum ab hoc contractu valde sit dissimilis illa praestatio. Hoc sic perpulchre discernitur ab Angelico Doctore:[1] « sciendum est quod quaedam res sunt quarum usus est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, et triticum consumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res, et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis vero seorsum vellet vendere vinum, et vellet seorsum vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id quod non est; unde manifeste per iniustitiam peccaret. Et simili ratione iniustitiam committit qui mutuat vinum aut triticum petens sibi dari duas recompensationes, unam quidem restitutionem aequalis rei, aliam vero pretium usus, quod usura dicitur. Quaedam vero sunt quorum usus non est ipsa rei consumptio; sicut usus domus est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideo in talibus seorsum potest utrumque concedi; puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reservato sibi usu ad aliquod tempus: vel e converso cum quis concedit alicui usum domus, reservato sibi eius dominio. Et propter hoc licite potest homo accipere pretium pro usu domus, et praeter hoc petere domum accomodatam, sicut patet in conductione et locatione domus. Pecunia autem, secundum Philosophum[2] (et revera) principaliter est inventa ad commutationes faciendas; et ita proprius et principalis pecuniae usus est ipsius consumptio, sive distractio, secundum quod in commutatione expenditur. Et propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniae mutuatae accipere pretium, quod dicitur usura; et sicut alia iniuste

[1] II-II, quaest. LXXVIII, a. 1, c. — [2] Ethic. lib. V. cap. 5, a med. et Polit. lib. I, cap. 5 et 6.

acquisita tenetur homo restituere, ita restituere tenetur pecuniam quam per usuram accepit ».

Eapropter generaliter redactus est *can. 1543. Si res fungibilis*, idest: quae ex eiusdem natura usu consumitur vel distrahitur, nec refert an sit « bonum ecclesiasticum » (can. 1497, § 1), vel non, si *ita alicui detur* per domini rei legitimam concessionem, a) *ut eius fiat,* quatenus potest pro libito eadem uti, b) *et postea tantundem* scilicet: eandem quantitatem *in eodem genere* rei de qua agitur, v. gr. pecunia, frumenti, olei, etc. *restituatur,* non iam eadem in specie, nam « puta, si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem vel ad ponendum loco pignoris; talem usum pecuniae licite homo vendere potest, sed est talis secundarius usus pecúniae argenteae, vel aureae » (D. Th. loc. cit. ad 6^{m}), e contra in canonis hypothesi, *nihil lucri,* hoc est, quo crescat proprium patrimonium, *ratione ipsius contractus*, qui vocatur mutuus, et est onerosus ac bilateralis, *percipi potest* a clericis vel laicis, qui « possunt esse religiosi » (can. 107), vel considerentur tanquam personae physicae, vel morales collegiales, vel qua administratores ecclesiae ad normam can. 1498. « Neque vero ad istam labem purgandam, ullum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus » [1].

Prosequitur Bened. XIV (loc. cit.): « III. Per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgat, quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mer-

[1] Bened. XIV, ep. encycl. « Vix pervenit » 1 Nov. 1745, § 3, n. II. Collect. S. C. de P. F. n. 1393, nota 1.

caturam, et negociationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda ».

Et Instr. a. 1873 data per S. C. de Prop. Fide, [1] sic concludit: « 3. Deficientibus licet aliis quibuslibet titulis, cuiusmodi sunt lucrum cessans, damnum emergens, atque periculum amittendae sortis, vel assumendi insolitos labores pro sortis recuperatione, unum quoque legis civilis titulum ceu sufficientem in praxi haberi posse, tum a fidelibus, tum ab eorum confessariis, quibus proinde suos poenitentes hac super re inquietare non licet, donec quaestio haec sub iudice pendeat, nec S. Sedes ipsam explicite definierit ».

Hucusque data non est haec de morali re definitio, sed certo propter legis ecclesiasticae alias explicatam indefectibilitatem non officit iuri naturae quod generaliter canon asserit: *sed* cum respectu ad mutui contractum *in praestatione* antedicta *rei fungibilis* et prout fuit declarata, *non est per se,* id est: obiective seu praescindendo a circumstantiis, quae fortassis ex charitate obligante faciant quod hic edicitur, *illicitum* a) *de lucro,* scilicet: de quoquam recipiendo ultra id quod traditur « in eodem genere restituendum », *legali* nempe: lege civili statuto, atque forsan diverso in re communi ac in re commerciali, quoad primum v. gr. 5 pro cento, et ad secundum quod attinet 6 pro cento, *pacisci*, veluti per adiectum contractum, etsi eodem fiat istud: atque ratio videtur esse, quia potestas civilis, cui moderatio contractuum, secundum horum naturam ac prout in finem humanae societatis hi ordinantur, potuit iuste lucrum statuere, cum valde influat in bonum commercii atque industriae, et civium bono temporali ac paci, tale lucrum iuxta hodiernos mores fere semper titulo extrinseco innixum statuere privatis solvendum, proinde cum limitatione: *nisi constet,* alias pro legis iustitia praesumitur, *ipsum* « lucrum legale » *esse immoderatum,* pro illa quoque regione. Sic enim dicitur in calce cit.ae Instructionis: « quaenam usurae quantitas dicenda sit immodica et excessiva, quaenam iusta ac moderata, (et loquitur de praxi antea dicta sub n. 3), universim determinari non posse, cum hoc dimetiri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum ». Et paulo ante sub n. X citatur rescriptum S. Congr. S. O. sub die

[1] Collectanea eiusdem S. Congr. n. 1393, XI.

26 Mart. 1840 datum: « Quoad excessitatem fructuum, (decem pro centum legali taxae illius temporis respondentem), consulat R. P. D. Episcopum, qui expendat facti circumstantias, et praxim illius temporis, quae vigebat apud viros timoratae conscientiae, et provideat ».

Nec urget in contrarium traditae doctrinae, quod apud Romanos certum erat et nunc de usura vi contractus mutui retinendum est [1]: « res quae usu consumuntur, neque ratione naturali, neque civili, recipiunt usumfructum » ; et « senatus non fecit earum rerum usumfructum (nec enim poterat), sed quasi usumfructum constituit », concedens scilicet usuras. Et Philosophus naturali ratione ductus dicit [2] quod « usuraria acquisitio pecuniarum est maxime contra naturam ». Unde concludebat D. Thomas, et optime secundum mores valde a nostris diversos, atque inspecta simul mera natura mutui: « Et ideo usuras lex humana concessit, non quasi existimans eas esse secundum iustitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum » [3].

Nunc vero lex humana bono quidem communi prospiciens, sed titulis mutuo extrinsecis iuste innixa, etiam ipsa iusta devenit secundum ea quae diximus, et hinc prosequens canon sic explicit: *aut etiam* ultra lucri legalis quantitatem « pacisci » ut supra *de lucro maiore,* sub quo illud contineatur, *si iustus,* idest: secundum quod haec virtus aequalitatem strictam requirit, *ac proportionatus* totali lucro vel saltem excessui percipiendo *titulus* seu motivum mutui extrinsecum *suffragetur* in singulis casibus.

Opus est igitur illos titulos secundum iustitiae regulas cognoscere, ne avaritia mentis oculos excaecari contingat. — Quoad lucrum cessans sit exemplum illius qui paratus ad vendendum frumentum, quod ei iuxta placitum in promptu est, illud alteri ad seminandum mutuat, adiecto pacto ut recollectionis tempore ultra mutuatam mensuram tantumdem recipiat quanti differat pretium frumenti inter mutui peracti et recollectionis tempora, prouti nunc certo praevidetur esse futurum. — Ad emergens damnum pertinere videtur quod [4] « Sacro approbante Concilio (Lateran. V, Leo X) declaravit ac definivit: Montes pietatis (antedictos) per respublicas institutos et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos et con-

[1] Constit. Lib. II, tit. 4 de usufructu, § *Constituitur.* — [2] Polit. lib. I cap. 7. — [3] II-II, q. LXXVIII, a. 1, ad 3^{m}. — [4] Bulla « Inter multiplices » 28 Apr. 1515.

firmatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem absque lucro eorumdem Montium percipitur, nec speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari, quin immo meritorium esse ac laudari et probari debere tale mutuum et minime usurarium putari ».

[1] « Quaeri nunc potest quale esse debeat periculum, et quae eius ratio, et natura, ut hoc concurrente titulo, possit mutuans aliquid ultra sortem recipere... Si periculum ex iis circumstantiis dumtaxat proficiscatur, quae omnibus mutuantibus (in loco) communes sunt, nec ab ipsa mutui natura disiungi possunt, tunc certo quodlibet lucrum, quod ex mutuo captatur, ab usurae labe purgari minime potest. (Itaque huiusmodi sunt) pestis, incendia, turcarum persecutiones, aliaque huiusmodi infortunia, quae... in quacumque urbe semper instant mutuantibus... Maiorem potius videtur habere indaginem, cum periculum amittendae sortis immineat vel ex culpa ipsiusmet mutuatarii; quod veterator sit, fallax, vafer, quod fuga, aut malitiosis tergiversationibus creditorem fallere possit, vel cum praeter ipsius mutuatarii culpam, alia instent creditori pericula ex loci, temporis ac personarum circumstantiis, quae ipsum in sorte recuperanda valde anxium, atque sollicitum teneant... Confessarii perpendant singulos casus, inquirant super qualitate, et probabilitate periculi, videant si assecuratione pignoris omne absit periculum, servent proportionem inter periculum, atque id quod mutuanti lucrari supra sortem permittitur, probatos auctores consulant, atque praesertim adhaereant sententiis, atque principiis ab hac Apostolica Sede approbatis, tam in supra laudato Decreto S. Congr. de Prop. Fide anni 1645 [2], quam in Ep. Encyclica Bened. XIV « Vix pervenit » edita anno 1745 ».

[1] Instructio S. C. de P. F. 1873. Collectanea eiusdem S. Congr. n. 1393, II. — [2] Collectanea S. Congr. de P. Fide, n. 114.

TITULUS XXX.

De piis fundationibus.

Can. 1544. - § 1. Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi.

§ 2. Fundatio, legitime acceptata naturam induit contractus synallagmatici: *do ut facias*.

Can. 1545. - Loci Ordinarii est normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de eius fructibus rite distribuendis.

Can. 1546. - § 1. Ut huiusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii loci, in scriptis datus, qui eum ne praebeat, antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut reditus omnino respondeant oneribus adiunctis secundum cuiusque dioecesis morem.

§ 2. In acceptatione, constitutione et administratione fundationis patronus ecclesiae nullum ius habet.

Can. 1547. - Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto, ab eodem Ordinario designando, deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii arbitrium, auditis et iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris.

Can. 1548. - § 1. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.

§ 2. Alterum tabularum exemplar in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.

Can. 1549. - § 1. Servatis praescriptis can. 1514-1517 et can. 1525, in qualibet ecclesia onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur, quae apud rectorem in loco tuto conservetur.

§ 2. Pariter praeter librum de quo in can. 843 § 1, alter liber retineatur et apud rectorem servetur, in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur.

Can. 1550. - Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, iura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545-1549, exclusive competunt Superiori maiori.

Can. 1551. - § 1. Reductio onerum quae pias fundationes gravant, uni Sedi Apostolicae reservatur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur, et salvo praescripto can. 1517, § 2.

§ 2. Indultum reducendi Missas fundatas non protenditur nec ad alias Missas ex contractu debitas nec ad alia onera piae fundationis.

§ 3. Indultum vero generale reducendi onera piarum fundationum ita intelligendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera, quam Missas reducat.

460. **Tituli inscriptio.** Remanet postremus Libri huius commentandus *Titulus XXX* qui *De piis fundationibus* inscribitur ad innuendum, eas ortum habere a fidelium voluntate in religionem inclinata, quarum notionem inveniemus in primo tituli canone, ut mos est in Codice. Ex eodem apparebit illas esse res personae mo-

rali concreditas cum adnexis implendis oneribus, simulque numquam esse personas morales, propter quod inter «alia instituta non collegialia» tituli XXVI convenientem sortire locum non potuisse. Ius praecedens quo illae fundationes regebantur fuit praesertim const. «Nuper» Innoc. XII[1], cui complura S. C. C. decreta in eiusdem explicationem accesserunt, et inter commentarium citanda. Illud ius cum canonum praescriptis conferre optimum erit, ut pateat quantum hac in re «Codex vigentem huc usque disciplinam retinet, vel forsan opportunas immutationes afferat» (can. 6).

461. **Canones** sunt praeter primum alii septem sic ordinati. Loci Ordinarii ius et ex parte personae moralis acceptantis requisita enuntiant can. 1545, 1546. Dotationis nomine assignatis bonis per can. 1547 securitas providetur. De tabulis fundationis can. 1548, ac de tabellis et libris praescriptis can. 1549 cavent, dum sequens can. 1550 omnia in praecedentibus scripta iura et officia Superiori maiori religiosorum exemptorum adiudicat. Circa reductiones ultimo piarum fundationum a can. 1551, si et quo modo fieri queant, edocemur.

462. **Notio.** *Can. 1544. § 1. Nomine piarum fundationum* hoc sub titulo, et in Codice, necnon usu iam prius invecto, *significantur* a) *bona temporalia* b) *alicui personae morali*, quae potest esse «collegialis et non collegialis» (can. 99) *in Ecclesia* uti perfecta societate existenti, *quoquo modo* idest: brevi manu, testamento, legato, *data* contractu ex se gratuito, sed c) *cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus*, circiter quadraginta annos ob analogiam consuetudinis diuturnae, vel melius «ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimandum» (can. 6, 2°), *ex reditibus annuis* illorum bonorum a) *aliquas Missas* quolibet anno *celebrandi*, b) *vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas*, sive proprie liturgicas sive cultus tantum divini, *explendi*, c) *aut nonnulla pietatis* - v. gr. edocendi catechismum pueros vel adultos *et caritatis opera* v. gr. dotandi pauperes puellas *peragendi*.

§ *2. Fundatio* de qua in §° 1° *legitime* seu iuxta ss. canones *acceptata* quoad eiusdem duo supradicta elementa doni et oneris, ut habeatur duarum personarum in idem placitum consensus, et sic consequenter *naturam induit contractus synallagmatici* seu utrin-

[1] 23 Dec. 1697.

que onerosi *do ut facias*, qui, ut alias diximus, est innominatus. Nempe: do annuos reditus, praesupposita dotationis collatione, ut facias adnexa onera adimplere per te ipsam vel fortassis per alios. Exurgit inde iustitiae obligatio, ita ut oneribus non adimpletis in toto vel in parte, reditus annuales in toto vel pro rata omissionis non acquirantur, et veluti res aliena nequeunt retineri, sed in conscientia nulloque praesupposito debent reddi. Immo: cedunt iidem reditus personis physicis, quae onera illa implent pro debito stipendio iuxta fundationis determinationem, vel hac deficiente, secundum ss. canones vel statuta Superioris legitimi; retenta fortassis illorum parte iuxta easdem voluntatem ac normas in favorem personae moralis, cui adnexa sit illa fundatio, et curantis per suum Superiorem, rectorem vel administratorem plenum onerum adimplementum; queis obligatio illa multiplex ex iustitia imminet.

463. **Ius Ordinarii loci** ad duo perficienda enuntiat *can. 1545. Loci Ordinarii* ad normam can. 198, § 2 *est* ius obligatorias *normas* generales vel speciales pro quibusdam fundationibus *praescribere*, sive « in Synodo » dioecesana (can. 362), sive extra eam, a) *de dotis quantitate* dictae « bona temporalia » in can. 1544, § 1, *infra quam* veluti limitem inferiorem *pia fundatio* quaelibet in genere vel in specie, iam in praec. can. definita *admitti nequeat* nec licite, nec valide ob sequentis canonis tenorem, *et b*) *de eius* fundationis uniuscuiusque *fructibus*, seu « reditibus annuis » in can. praec. declaratis, *rite distribuendis*, casu quo desit expressa fundatoris distributio illorum. Et quia ex regula iuris 80 in 6°: « In toto partem non est dubium contineri », illud ius implicite continet eadem duo in singulis fundationibus et casibus peragere. Ius hoc est ceteroquin expressum in const. « Nuper » cit. num. II ad V: « Posito quod testator relinquat ut celebrentur pro eius anima centum missae (et eadem erit ratio de aliis functionibus ecclesiasticis), absque ulla praescriptione elemosynae, quaeritur, an liberum sit heredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario? — Sacra Congr. Concilii censuit,... esse ab episcopo praescribendam eleemosynam congruam quae respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciae ».

464. **Requisita ad piam fundationem** statuta sunt, ne « depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus

fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac christifideles, gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur », ut scriptum est in Dec.° S. C. C. « Cum saepe contingat » sub Urbano VIII.

Can. 1546. § *1. Ut huiusmodi* nempe « piae » *fundationes* in can. 1544 declaratae, *a persona morali* ut ibidem *acceptari* ad earum existentiam iuridicam *possint*, *requiritur* praevie a) *consensus Ordinarii loci* (can. 198, § 2), non solum verbotenus vel tacitus vel praesumptus aut indeterminatus, sed *in scriptis datus* ad hanc singularem fundationem, eo quod additur: *qui* supradictus Ordinarius *eum* [supple « consensum » ne praebeat, b) *antequam legitime* idest: sufficientibus ex lege probationibus *compererit* seu eidem constiterit, *personam moralem* quae acceptare fundationem desiderat, *tum novo oneri* « fundationis » *suscipiendo*, *tum antiquis* fundationum vel aliter *iam susceptis satisfacere posse* per sua membra, si persona sit collegialis, vel per alios, quando iuxta fundationum tabulas sic satisfieri possint onera; c) *maximeque caveat*, quod idem est ac « praecipuam rationem habeat », *ut reditus* « annui » ex bonis temporalibus in fundatione dandis *omnino respondeant oneribus adiunctis secundum cuiusque dioecesis morem*, attamen cum providentia « ne eleemosyna pro missis celebrandis sit adeo tenuis ut (in proxime futuro) non facile inveniantur qui velint huic se muneri subiicere, vel reditus sint adeo exigui ut persona moralis pro necessaria sua sustentatione (ut praevideri prudenter potest) novis se oneribus obstringere compellatur » (cit. Dec.°). Propter quae sic explicit num. VI, unde ad litteram desumptus est $\S^{us}$ 1us: « intelligantque (Ordinarii), si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse reddituros ».

Opportune admonet § *2. In* necessaria *acceptatione* personae moralis, *constitutione* quoad conditiones bonorum datorum et susceptorum onerum, *et administratione fundationis* « piae » quoad utrumque, *patronus ecclesiae* sumptae ad normam can. 1161 et 1191 § 1, in qua fundationes piae condantur, *nullum* etiam solius vigilantiae *ius habet*.

465. **De collocatione dotis piae fundationis** hanc rationem affert cit. Dec.^{m} in num. V: « Praeterea ne in ecclesiis, in quibus onera missarum (ac simile urget de aliis oneribus) in per-

petuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis tepidiores ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla aut parva sint utilitate coniuncta, statuit atque decernit », quemadmodum *can. 1547.* — *Pecunia* in nummis vel papyris, non vero syngrapha, *et bona* tantum *mobilia*, *dotationis nomine* piae fundationi *assignata,* et a persona morali acquirenda, *statim* « a die realis acquisitionis » *in loco tuto* v. gr. « penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam » *ab eodem Ordinario* consensum dante *designando*, *deponantur* « ab iis ad quos pertinet », *ad eum finem* canone praescriptum, *ut* interim *eadem pecunia vel bonorum mobilium*, quae prescripto iuris implicito vendenda sunt, *pretium custodiantur et quamprimum caute* pro conservatione illorum *et utiliter* quoad reditus annuos inde percipiendos, a) *secundum prudens* idest: iuxta regulas huius virtutis propriae *Ordinarii* directum *arbitrium*, cui parendum est, b) *auditis* ad normam can. 105, 1° pro validitate solum « arbitrii » ex contextu, *et iis quorum interest* nempe: fundatore atque persona morali secundum eius normas vel administratore ipsius, *et dioecesano administrationis Consilio,* quod est moderatum per can. 1520, 1521, *collocentur,* vel investiendo « pecuniam et pretium » in bonis immobilibus fructiferis, sicuti expressit cit. Dec. S. C. C., vel in syngraphis debiti publici, aliisve quae praefatis bonis iure aequipollent, a) *in commodum fundationis* serviendae ratione fructuum ac redituum veluti ex re propria personae moralis hoc sub modo, proindeque *cum expressa* in ipsa collocatione vel huius documento *et individua* seu sufficienter determinata *mentione oneris* per illius boni reditus adimplendi. Hinc sequitur implicito praescripto quod additur in cit.° Dec.¹ num.°: « Ac si eadem (ut supra distincta sunt) bona immobilia auctoritate Apostolica (omnino necessaria) deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium... deponi, atque in aliis bonis stabilibus (ut antea) itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque annexione converti debet ».

466. **Fundationis piae documenta** ob rei momentum praescribit *can. 1548.* § *1. Fundationes,* iuxta tituli inscriptionem, *etiam viva voce factae* quoad earum conditiones ac onera, et supponitur ita fieri posse, ut valeant, *scripto consignentur* equidem faciente fidem in perpetuam rei memoriam, idest: a cancellario seu notario secundum can. 372, § 3, 373, § 1.

Immo duo authentica exemplaria sunt conficienda, eo quod iubet § 2. *Alterum tabularum*, quia ex historia hoc verbum ad scripta publica de contractibus designanda restrictum est, *exemplar in Curiae archivo* per can. 375-378 moderato, *alterum in archivo* constituendo vi can.[s] 383 *personae moralis, ad quam fundatio*, cuius tabulae sunt, *spectat* quoad utilitatem ac onera, *tuto,* ne voluntates fidelium furto, vel animalium climatisque nocumento e memoria excidant, *asservetur.*

467. **De tabella et libro conservandis** extat ius vetus in Dec.[is] S. C. C. tum « Nuper » sub Innoc. XII, tum « Ut debita » [1] sub Pio X s. m. Sic legitur in illo ad num. III: « Utque id ipsum, (scilicet: ut singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum saecularium tum regularium ecclesiarum, ne onera seu missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant), quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum: quorum implemento si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint,... in eadem tabella similiter exprimant sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse ».

« IV. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective libris, simili distinctione et diligentia, tam praefati a quibus rationes debent reddi, quam superiores quibus reddendae erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respective curare ».

Hoc ius vetus ad alia quoque onera piarum fundationum extensum per canones ex integro referri, indigitat *can. 1549*, dum

[1] 11 Maii 1904. Acta S. Sedis, XXXVI, 762.

ita exorditur § *1. Servatis praescriptis* (iuxta Codicis logicam dispositionem) *can. 1514-1517* de vigilantia efficaci Ordinariorum circa piarum voluntatum ac fundationum adimplementum, quod ad missas aliaque onera pertinet, *et can. 1525*, de rationibus ipsorum omnium reddendis Ordinario. *in qualibet ecclesia* « tum saeculari tum religiosa », acceptaque in sensu can. 1161 et « oratoria publica eodem iure reguntur » (can. 1191, § 1), a) *onerum* singulorum *ex piis fundationibus* iuxta can.ⁱ 1544 in §⁰ 1⁰ significationem, *incumbentium* « morali personae », prout est « ecclesia » (can. 99), *tabella* seu elenchus ut in cit.⁰ Dec.⁰ *conficiatur* b) *quae apud* « ecclesiae » *rectorem* « secundum propriam verbi significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18), latiorem quam in can. 479, § 1, *in loco tuto* declarato ad § 1 can.ⁱ praec.ⁱ *conservetur* ex huius §ⁱ duplici praescripto.

§ *2. Pariter,* videlicet: secundum omnes cit.ⁱ can.ⁱ circumstantias sub eodem declaratas, *praeter librum de quo in can. 842, § 1*, idest: « in quo » manualium et quasi-manualium seu « receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem accurate notent rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum », a) *alter liber* ab eo distinctus *retineatur*, seu revera talis habeatur, *et* b) *apud rectorem*, in supradicta ampliori significatione, ac « locorum quoque piorum », *servetur,* c) *in quo* a) *singula onera* tum « missarum, tum aliarum functionum et operum », quae piis fundationibus imposita sunt, *perpetua et temporaria* sed « in diuturnum tempus » (can. 1544, § 1), b) *eorumque* singulorum *implementum* c) *et eleemosynae* praefinitae *adnotentur,* equidem ab ipso « rectore » per se vel per alium, ita tamen ut ipse fidem faciat ad minus per subscriptionem, nam haec praescripta in id collimant, *ut de iis omnibus* singulatim recensitis *exacta ratio Ordinario loci reddatur* « singulis annis » ob praescriptum can. 1525 supra citatum.

468. **Salva religiosorum exceptio.** Cum a can. 1545 semper fuerit nominatus loci Ordinarius non obstante quod de piis fundationibus generaliter et quibuslibet ecclesiis praescripta data fuerint, hinc sequitur in hac re subiici religiosos Episcopis. Attamen in const. « Nuper » Innoc. XII, et in Decretis ibi relatis, eadem circa regulares iussa sunt, expressis eorum Superioribus Generalibus ac Provincialibus. Idem ius Codex retinet, mutatis verbis pro eorum significatione in ipso *can. 1550. — Si agatur de piis fundatio-*

nibus a) *in ecclesiis,* b) *etiam paroecialibus* sic dictis propter paroeciam ibi constitutam, non de paroeciis saecularium ecclesiarum, quae forsan religiosis concreditae sint, *religiosorum exemptorum*, tum « regularium » (can. 488, 7°), tum in Congregatione religiosa, quae nempe ad hos iure pertineat, *iura et officia Ordinarii loci* hucusque in hoc titulo declarata, seu *de quibus in can. 1545-1549* inveniuntur praescripta, *exclusive* erga Ordinarium quoque loci *competunt* praedictorum *Superiori maiori* (can. 488, 8°), cuilibet, qui « in iure nomine Ordinarii pro suis subditis intelligitur » (can. 198, § 1).

469. **De onerum reductione directa et per indultum.** S. Congr. Conc. in Dec.° « Cum saepe contingat » auctoritate Urb. VIII [1]: « primo districte prohibet atque interdicit ne episcopi in dioecesana Synodo, aut generalis in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit ».

Et super hoc primo Dec.° quaesitum fuit: « quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? et quid, si permittatur episcopo in fundatione ut possit huiusmodi onera moderari?... Et Sacra eadem Congregatio respondit: Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet quod magis in Domino e re esse iudicaverit; Verumtamen, si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit ut liceat episcopo iniunctum onus reducere et moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam ».

Hoc ius ampliatum refert *can. 1551,* cuius § *1* est propterea interpretandus ita, ut « in dubio, a veteri iure non sit recedendum »

[1] 21. Iun. 1625.

(can, 6, 4°). *Reductio*, etsi per moderationem aut commutationem fiat, *onerum* « aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas, explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi » (can. 1544, § 1), omnium vel aliquorum, *quae pias fundationes* singulas *gravant* ex illorum natura, *uni*, ceteris Superioribus quoad validitatem quoque illius exclusis, *Sedi Apostolicae* ad normam can. 7, scilicet per S. Congr. Concilii, *reservatur* veluti « causa maior » (can. 220), manentibus duabus exceptionibus, videlicet: a) *nisi in tabulis fundationis*, quae in can. 1548 memoratae sunt, *aliud* nempe: illam competere alteri Superiori reductionem, *expresse* ob illarum tenorem *caveatur*, uti provida voluntatis manifestatio « legitime acceptata » (can. 1544, § 2), *et* b) *salvo praescripto can. 1517, § 2*, propter quod « ob imminutos reditus aliamve causam, (ut ibi talis §[us] fuit declaratus), Ordinarius quoque poterit eadem onera aeque imminuere, excepta Missarum reductione », quae exceptio, ut ibidem diximus est limitanda per clausulam § 1 eiusdem canonis: « nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit ».

Sic enim solutum est authentice sequens dubium [1]: « Utrum Ordinarius, ad normam can. 1517 et can. 1551, ob imminutos reditus, onera Missarum reducere valeat, si id in tabulis fundationis expresse caveatur. Resp. Affirmative ».

Utilitate quandoque non fraudabitur rememorari decretum Conc. Trid. « Contingit saepe » [2] quo « Sancta Synodus facultatem dedit Episcopis, ut in Synodo dioecesana, itemque abbatibus, et generalibus Ordinum ut in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possent pro sua conscientia... statuere circa magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum quidquid magis ad Dei honorem, et cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire ». Quae facultas intelligenda fuit de prima Synodo dioecesana et de primo generali capitulo illi Concilio Trid.° subsequuto, ceteroquin nunc obsoleta ob cit. Dec.[m] S. Congr. Concilii.

Pluribus S. Congr.[e] Concilii fulcitur stylus Curiae, quem refert § 2. *Indultum*, idest: gratiosa concessio ad tempus sive pro uno, sive pro pluribus actibus *reducendi* taxative *Missas fundatas* uni

[1] Commiss. Pont. ad ss. can.[s] auth. interpretandos. 14 Iul. 1922. CO. XIV. 529. — [2] Cap. 4 sess. XXV De Ref.

vel pluribus Ordinariis concessum, sic est intelligendum, quod *non protenditur* a) *nec ad alias Missas*, sive manuales sive ad instar manualium, (ex contractu) alio quolibet, sive (do) brevi manu eleemosynam (ut applices) Missam, sive legato cum onere ut facias celebrare tot Missas pro tali intentione etiam in perpetuum, *debitas*, b) *nec ad alia onera* sola vel cum Missarum celebratione in tabulis *piae* cuiuslibet *fundationis* imposita. Eapropter S. Conc. Consistorialis edens « Circolare ai Rdmi Ordinari d'Italia » die 29 Iunii 1919, praeterquam in num 2, concessit facultatem Ordinariis quibuslibet in dicto territorio ad reducendum Missarum numerum ex legatis vel piis fundationibus, et similem facultatem attribuit locorum Ordinariis circa Missas, quas in Curia vel apud se receptas haberent.

Demum praedicto Curiae stylo conformis est § 3. *Indultum vero generale*, quatenus indulto speciali quoad unam fundationem opponitur, sive « generale » sit ratione indultariorum, sive speciale quatenus uni Ordinario collatum, *reducendi onera* non designata *piarum fundationum ita intelligendum est* iuxta Sedis Apostolicae mentem hic expressam, ac proinde *nisi aliud constet* v. gr. ex indulti generalis tenore, prout praesumitur quoque ex precibus indulti ad reductionem unius tantum fundationis, *ut indultarius potius alia onera*, designata in can. 1544, § 1, *quam Missas* in fundatione praescriptas *reducat*.

Explicit huius Lib. III Commentarium Textus die 29 Decembris 1921.

Gloria in excelsis Deo
et a Iesu Patre futuri saeculi et pacis Principe
sit in terra pax
hominibus bonae voluntatis.

INDEX
CANONUM ET COMMENTARII

LIBER TERTIUS
De Rebus.

PARS SECUNDA.
De locis et temporibus sacris.

SECTIO I.
De locis sacris.

TITULUS IX.
De Ecclesiis.

TITULUS X.

De Oratoriis.

TITULUS XI.

De Altaribus.

TITULUS XII.

De sepultura ecclesiastica.

Caput I. — **De coemeteriis.**

Caput II. — **De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione.**

Caput III. — **De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda.**

SECTIO II.

De temporibus sacris.

TITULUS XIII.

De diebus festis.

TITULUS XIV.

De abstinentia et ieiunio.

PARS TERTIA.

De cultu divino.

TITULUS XV.

De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae.

TITULUS XVI.

De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum.

TITULUS XVII.

De sacris processionibus.

TITULUS XVIII.

De sacra supellectili.

TITULUS XIX.

De voto et iureiurando.

Caput I. — De voto.

TITULUS XXII.

De scholis.

TITULUS XXIII

De praevia censura librorum eorumque prohibitione.

Caput I. — De praevia librorum censura.

Caput II. — De prohibitione librorum.

TITULUS XXIV.

De fidei professione.

PARS QUINTA.

De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.

TITULUS XXV.

De beneficiis ecclesiasticis.

Caput I. — **De constitutione seu erectione beneficiorum.**

Caput II. — De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum.

Caput III. — De beneficiorum collatione.

Caput IV. — De iure patronatus.

Caput V. — **De iuribus et obligationibus beneficiariorum.**

Caput VI. — De dimissione et permutatione beneficiorum.

TITULUS XXVI.

De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus.

PARS SEXTA.

De bonis Ecclesiae temporalibus.

TITULUS XXVII.

De bonis ecclesiasticis acquirendis.

TITULUS XXVIII.

De bonis ecclesiasticis administrandis.

TITULUS XXIX.

De contractibus.

TITULUS XXX.

De piis fundationibus.

ADDENDA

Ad pag. 16 post §m 1m cans. 1164. Hic referre possumus Dubium, quod « Sacrae Rit. Congr.[1] pro opportuna declaratione expositum fuit; nimirum: [1] Utrum in ecclesiis earumque cryptis divino cultui destinatis apponere liceat tabulas cum inscriptionibus et nominibus fidelium defunctorum quorum corpora inibi tumulata non sunt nec tumulari possunt iuxta canonem 1205 § 2. Cod. I. C. — Et S. Rit. Congr.... respondendum censuit: *Non licere,* iuxta alias resolutiones et ad tramitem decreti S. R. C. n. 733 et can. [2] 1450 § 1 Cod. I. C. ».

Decretum S. R. C. n. 743 fuit datum in Comen.: « Emo. Sacchetto referente petitionem cuiusdam familiae, quae a fundamentis extruxerat Cappellam in Ecclesia parochiali, eamque sufficienter ut asserebatur, dotavit: an in ea liceret affigere inscriptiones virorum in Dignitate ecclesiastica constitutorum ex eadem familia cum imaginibus et statuis ipsorum? Et S. R. C. respondit: Non licere ». Die 2 Martii 1641.

Ad pag. 154 post §m 1m can.s 1261. Ad divulgationem sequentis Decreti S. Rit. Congr.s in hac tantum editione sequens inserimus dubium simul cum responso. [3] « Utrum Rubricae quae in *Ritu celebrandi Missam,* tit. VII, n. 8, et tit. VIII, n. 6, praescribunt ministro pulsare campanulam ad *Sanctus* et *ad elevationem Hostiae et Calicis,* post consecrationem, applicandae sint etiam ad Missas sollemnes seu cantatas et pontificales, de quibus tamen circa campanulam pulsandam *Missale Romanum* in citatis titulis et *Cooremoniale Episcoporum,* lib. II, cap. 8, silent? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, quibusdam casibus a communi regula iam exceptis per decreta edita nn. 3157, Mechlinien., ad 10 (5 Sept. 1867), 3448, Societatis Iesu, ad 2 (11 Maii 1878) et 3814, Dubiorum (21 Nov. 1893), inspecta praxi communi et antiqua, perpensis rationibus quae in casu aeque militant pro Missis privatis et aliis sollemnioribus; nempe: Christifidelium attentio, laetitia, devotio, fidei catholicae professio in veram ac realem Iesu Christi praesentiam in SSma. Eucharistia, eorumque consociatio angelicis choris ad laudandum Deum et adorandum; quum neque obstet praenotatum silentium, quod, sicut in aliis caeremoniis, suppletur in casu per expressas Rubricas quae non distinguunt inter Missas privatas et Missas

[1] 20 Oct. 1922. CO. XIV, 557.

[2] Hic certo irrepsit mendum quoad numerum canonis.

[3] 25 Octobris 1922. CO. XIV, 557.

sollemniores, neque has excludunt, proposito dubio ita respondendum censuit: *Affirmative, et ad mentem.*

Mens autem est: « Si usus, ex toto vel ex parte contrarius, in aliqua ecclesia Conlegiata, Cathedrali et Patriarchali, aliisque ecclesiis seu oratoriis hucusque viguerit, eadem ecclesia seu oratorium, amodo se conformet communi praxi et enunciatae Rubricarum interpretationi; nisi, loco campanulae, alterum et congruum signum adhibeat. Insuper ad removendum, quantum fieri potest, inconveniens quo aliqui de longinquo vel de propinquo in templo sistunt sine attentione ac reverentia etiam ad praecipuas divinorum mysteriorum actiones, maxime expedit, ut paulo ante consecrationem aliquod campanulae detur signum, iuxta communem ecclesiarum praxim ».

Quam resolutionem et mentem... Sanctitas Sua (Pius PP. XI) ratas habuit, approbavit et servari mandavit.

In pag. 171 post commentarium §i 1i. Interpretatio data iuxta quam priora canonis verba se referunt ad duas paragraphi partes distinctas per litteras *a*) et *b*) prius positas confirmatur ex sequenti authentica interpretatione [1]. « X. Utrum ecclesiae, in quibus, ad normam can. 1274, § 1, sine Ordinarii licentia fieri potest expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et infra octavam inter Missarum sollemnia et ad Vesperas, sint illae tantum quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam. Resp. Affirmative, firmo praescripto can. 1771 ».

Memorandum hic responsum S. Cong.s Rit. in una Marianopolitana [2]. « In nonnullis ecclesiis et oratoriis publicis vel semipublicis ubi Ssmum. Eucharistiae Sacramentum legitime asservatur, usus quidam introductus est, ut Missae cantatae vel lectae coram Ssmo. Sacramento sollemniter exposito in Altari celebrentur, atque vel extra Missas in eodem Altari, durante expositione, Sancta Communio Christifidelibus administretur. Hinc idem Archiepiscopus postulavit: Utrum hic usus permitti vel tolerari possit? — Et S. eadem Congr. ... respondendum censuit. Ad primam partem, praefatum usum *non licere,* sine necessitate, vel gravi causa, vel de speciali indulto; et ad secundam partem *negative,* iuxta Decreta ».

Ad calcem pag. 201. — Sacrae Rituum Congregationi propositum est sequens dubium: « Utrum liceat, quatuor calices, quorum effigies in ephemeride *Benediktinische Monatschrift* (Beuron, 1920, n. 3 4) exhibentur, quique ibidem in textu pag. 168-184 elogiis efferuntur et nominibus « Poculum caeleste - Genimina vitae - Flos de Virgine - Virga Iesse » insigniuntur, in Missae sacrificio adhibere? »

[3] Et Sacra eadem Congregatio... rescribendum censuit: « Ad Rmum.

[1] Commissio Pontificia ad Cod. canones auth. interpretandos. 14 Iul. 1922. CO. XIV, 529.

[2] 17 Aprilis 1919. CO. XI, 246.

[3] 30 Iun. 1922. CO. XIV, 437.

Dnum. Ordinarium loci, qui curet ne calices a formis traditionalibus differant, ob periculum effundendi sacras species et excitandi admirationem ».

Ad pag. 241 ante num. 199. — Huc pertinent duae sequentes responsiones:

I. Proposito dubio: [1] « Utrum instructione huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis, latae die 16 Sept. 1864, circa participationem catholicorum cuidam societati Londini erectae ad *procurandam*, ut aiebant, *christianitatis unitatem*, applicandae sint, et a fidelibus servandae etiam quoad eorundem participationem conventibus quibuscumque, comitiisque publicis vel privatis ab acatholicis indictis, qui finem sibi praestituunt unionem procurandi omnium coetuum christianorum nomen sibi vindicantium »; Emi. ac Rdmi. Dni. Cardinales... respondendum mandarunt: « *Affirmative*, et iterum evulgandas esse in ephemeride officiali Sanctae Sedis supra memoratas litteras, una cum aliis ad quosdam Puseistas anglicos datis, die 8 Nov. 1865 ».

II. [2] In plenario conventu habito ab Emis. ac Rdmis. Dominis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito dubio: « An doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum doctrina catholica; ideoque an liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere ». — Iidem Emi. ac Rdmi. Domini, praehabito DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt: « *Negative in omnibus* ».

Ad pag. 266, post §^{m} 1^{m} can.^{s} 1341. Hoc praescriptum continet implicite declar.^{s} seq.^{s} S. Congr.^{s} Consistorialis: [3] « X. An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis, qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti? — XI. An invitari possint sacri Oratores qui in aliquo fuerint improbati? — Ssmus. Dom. Noster (Pius X) respondendum mandavit: — ad X et XI negative ».

Ad pag. 275 post can. 1347. **Frequens assistentia concionibus** est commendanda fidelibus, habito respectu ad ius Conc. Tridentini [4], ubi dicitur: « Moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei ». Huiusmodi statutum fere ad verbum translatum est in can.^{m} 467 sub §^{0} 2^{0} ibique commentati sumus, sed quia nostris temporibus multi fideles ob adiuncta locorum ac personarum aliter agunt, conditus est *can. 1348. Monendi et adhortandi* ad summum velut ad valde utilem praxim, et quandoque obligatoriam ut ignorantia fidei depellatur et vita christiana conservetur, ac proinde *diligenter* capta occasione *fi-*

[1] Dec. S. S. Congr. S. Officii. 4 Iul. 1919. CO. XI, 309,
[2] Dubium de Theosophismo. 16 Iul. 1919. CO. XI, 317.
[3] 25 Sept. 1910. CO. II, 741.
[4] Cap. 4, sess. XXIV de Ref.

deles sunt per animarum pastores, necnon confessarios ac praedicatores, *ut sacris concionibus frequenter intersint* ubilibet istae habeantur. Optimum commentarium est responsum S. C. de Prop. Fide [1] ad quesitum: « Se convenga obbligare sotto reato di colpa i cristiani che non possono ascoltar la Messa per mancanza di sacerdoti, ad intervenire nei giorni festivi in luogo di essa alle pie adunanze che si tengono dai fedeli. — R. Monendos fideles, qui in proposito casu Missam audire non possunt, non ideo solutos esse obligatione sanctificandi festum per precationes aliave pia opera; ideoque magnopere hortandos, nec tamen sub reatu peccati (tamquam praecepto Ecclesiae inobedientes) obligandos, ut satagant piis illis conventibus interesse in quibus pabulo verbi Dei, aliisque religiosis exercitationibus instrui et enutriri valeant, et coniunctis precibus in spiritu charitatis, divinam opem efficacius implorare valeant ».

[1] 4 Ian. 1798 (C. P. pro Sinis-Chan-si). Collectanea, n. 642.

ERRATA CORRIGE

IN PAG.	ET LINEA	ERRATA HAEC:	CORRIGE SIC:
3	3	« Deum intra »	« Dum intra »
40	3	§ 1, (addatur statim)	*si de alia ecclesia*
98	5 inferiori	admissis	admissae
155	8 »	praeter illam	praeter ius
220	2 »	585	1073
221	5	publica (addatur statim)	perpetua
231	9 inferiori	implicet, (» »)	*iusiurandum adiiciatur,*
338	12	dicendum S. Officii	dicendum S. Poenitentiariae
362	1 inferiori	9⁰ non comprehensis	9⁰ comprehensis
416	16	interpretabatur	interpretabantur AA.
478	14 inferiori	expressa: *quae*	expressa dimissio: et *quae*
496	16-17	quam... committatur	quam laesam... comitatur,

Prov: Torontinae